This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

5221.30

25221.30

July 29, 1856

25221.30

25221.30
Fiction.

Pract. Theol.

$1.83

July 29, 1856

GESTA ROMANORUM.

GESTA ROMANORUM

HERAUSGEGEBEN

VON

ADELBERT KELLER.

ERSTER BAND.

TEXT.

Stuttgart und **Tübingen.**

J. G. Cotta'scher Verlag.

1842.

25221.30

Buchdruckerei der J. G. Cotta'schen Buchhandlung in Stuttgart.

GESTA ROMANORUM

CUM APPLICATIONIBUS MORALISATIS ET MYSTICIS.

EX GESTIS ROMANORUM HISTORIAE NOTABILES DE VITIIS VIRTUTIBUSQUE TRACTANTES CUM APPLICATIONIBUS MORALISATIS ET MYSTICIS INCIPIUNT FELICITER.

Cap. 1.

De dilectione.

Pompejus regnavit, dives valde et potens, qui filiam unicam et pulchram habebat, quam tenerrime diligebat, ita quod pro ejus custodia quinque milites ei assignavit, ut contra omne periculum sub pœna gravi eam custodirent. Milites vero diebus ac noctibus armati eam custodiebant, et ante ostium cameræ lampadem ardentem ordinabant, ne aliquis de nocte ad eam accederet ipsis dormientibus vel eis ignorantibus. Et quendam caniculum bene latrantem habebant, per cujus latratum excitari possent. Puella ista tenerrime nutrita erat, quæ multum anhelabat, mundi spectacula videre. Cum autem semel foras perspexisset, venit quidam dux, qui, cum oculos impudicos in eam injecit, statim captus est in amorem ejus, quia pulchra nimis et oculis omnium erat gratiosa ac imperatoris filia unica, quæ post mortem patris jure hereditario imperium obtineret. Dux iste multa ei promisit, ut ejus consensum obtineret. Illa vero, sperans de promissione, consensit, statim caniculum parvum occidit, lampadem extinxit et de nocte ducem est secuta. Mane vero facta est quæstio, ubi devenit. Erat tunc in palatio regis pugil fortis, qui semper pro justitia imperii pugnavit. Qui cum audisset, quod filia patrem contemsit, agili cursu post eam currebat. Dux vero, cum eum armatum vidisset venientem, duellum cum eo commisit. Sed pugil prævaluit et caput ejus amputavit et puellam ad palatium reduxit; tamen faciem patris multo tempore non vidit, sed continue gemitus et suspiria emittebat. Hoc audiens quidam sapiens

in curia imperatoris existens, qui semper mediator inter imperatorem et alios erat constitutus, motus pietate, per eum est patri reconciliata ac nobilissimo viro desponsata. Quo facto varia donaria a patre recepit. Primo tunicam talarem polimitam undique intextam hoc habentem: Dimisi tibi, ne adjicias ultra. A rege quandam coronam auream habuit sic insculptam: Ex me tua dignitas. A propugnatore habuit annulum unum cum hac scriptura: Dilexi te, disce diligere. A sapiente mediatore alium annulum recepit sic sculptum: Quid feci? quantum? quare? A filio regis etiam annulum sic scriptum: Nobilis es, nobilitatem tuam ne contemnas. A germano proprio alium annulum recepit, in quo erat scriptum: Accede ad me, ne timeas! frater tuus sum. A sponso sigillum aureum, quo sibi hereditas sponsi confirmabatur, collata est, cujus scriptura erat: Jam conjuncta es, noli amplius errare. Puella, postquam ista dona receperat, ea quamdiu vixerat custodivit, et est ab omnibus dilecta et dies suos in pace finivit.

Moralisatio. Carissimi, imperator iste est ipse pater cœlestis, qui vocavit nos per passionem filii sui de fauce diaboli. Ipse est rex regum et dominus dominantium. Deuteron. XXXII: Nunquid ipse est pater tuus, qui possedit, fecit et creavit te? Filia unica est anima rationalis, quæ traditur quinque militibus i. e. quinque sensibus ad custodiendum, qui sunt armati per virtutes, quas homo in baptismo recepit. Isti sensus sunt visus, auditus etc., qui habent contra diabolum, mundum et carnem eam custodire. Lampas ardens est voluntas deo in omnibus subjecta, quæ debet semper ardere in bonis operibus, ut peccato non consentiat. Caniculus parvus bene latrans est conscientia, quæ habet contra peccata recalcitrare, sed heu proh dolor anima volens mundi spectacula videre sæpe pergit foras, totiens quotiens contra divinum præceptum agit, statim a duce i. e. a raptore infernali voluntarie est seducta. Et sic lampas bonorum operum extinguitur et caniculus conscientiæ occiditur et sic anima in nocte peccati sequitur diabolum. Hæc cum audisset pugil noster s. deus, quia non est alius qui pugnat pro nobis nisi tu deus noster, statim contra ducem diabolum pugnavit et victoriam obtinuit et animam ad palatium regni cœlestis adduxit. Sapiens mediator erat Christus dicente apostolo I Tim. II: Unus deus mediator dei et hominum homo Jesus Christus. Filius regis est Christus, unde psalmista: Filius meus es tu etc. Frater noster Christus. Gen. XXXVII: Frater noster est. Sponsus noster est Christus, juxta illud Oseæ II: Sponsabo te mihi in fide. Et iterum: Sponsus sanguinum tu mihi eris. Per ipsum igitur reconciliati sumus cœlesti patri et ad pacem vocati.

Ipse enim est pax nostra quæ utraque fecit unum; ad Eph. Ab ipso prædicta donaria recepimus, primo tunicam talarem scil. cutem suam dignissimam et certe polimitam, quia flagellatione cruore et livore et aliis variis livoribus intextam. Cujus textura nil aliud est nisi quod: Dimisi tibi, quia redemi te; ne adjicias ultra malum agere. Vade, inquit, noli amplius peccare. Hæc est tunica Joseph tincta in sanguine hedi. Gen. XXXVII. Iste Christus rex noster dedit nobis coronam gloriosissimam scil. dum pro nobis voluit coronari, et vere ibi invenimus: Ex me tua dignitas. De ista corona Joh. XIX: Exivit Jesus portans coronam spineam. Christus etiam est propugnator noster, qui dedit nobis unum annulum scilicet foramen dextræ manus, et vere ibi possumus percipere, sic scriptum est: Dilexi te, disce diligere. Apocal. I: Dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Christus mediator noster dedit nobis alium annulum scil. foramen sinistræ manus, ubi videre possumus scriptum: Quid feci? quantum? et quare? Quid feci? Memet ipsum exinanivi formam servi accipiens. Quantum feci? Deum feci hominem. Quare? Ut hominem perditum redimerem. De his tribus Zachar. XIV: Quæ sunt istæ plagæ in medio manuum tuarum? Et respondet dicens: His plagatus sum in domo illorum, qui me dilexerunt. Christus frater noster est et filius regis æterni. Dedit nobis tertium annulum scil. foramen dextri pedis. Et quid ibi invenies, nisi: Nobilis es, nobilitatem tuam ne contemnas. Similiter Christus est germanus noster. Et dedit nobis quartum annulum scil. foramen sinistri pedis, in quo scriptum est: Accede, ne timeas! Frater tuus sum. Christus est noster sponsus; dedit nobis sigillum quo sponsi hereditas confirmabatur collata, id est vulnus lateris sui cum lancea perforatum propter nimium amorem, quo te dilexit. Et quid ibi nisi: Jam conjuncta es mihi per misericordiam, noli amplius peccare. Studeamus ergo, carissimi, dona sic munda custodire, quod possumus dicere illud Matthæi: Domine, quinque talenta tradidisti mihi. Et sic sine dubio poterimus regnare in cœlesti gremio, quod nobis præstare dignetur pater et filius etc.

Cap. 2.

De misericordia.

Titus regnavit, qui statuit pro lege sub pœna mortis, quod filii parentes suos alerent. Accidit casus, quod erant duo fratres ex uno patre. Unus filium habebat et vidit avunculum suum egentem,

statim secundum legem eum aluit contra voluntatem patris, et ideo pater ejus a societate sua eum expulit. Veruntamen hoc non obstante non dimisit, quin avunculum suum egentem aleret, et necessaria ei in omnibus dedit. Post hæc avunculus ejus dives factus est et pater ejus cœpit egere. Filius vero hoc videns patrem aluit prohibente avunculo, et ideo a societate avunculi est expulsus dicensque ei: Carissime, tibi constat, quod aliquando egenus eram et contra voluntatem patris tui mihi necessaria in omnibus ministrasti, et ideo jam te in filium meum et hæredem accepi. Ingratus filius hæreditatem non sequitur, sed filius adoptatus. Sicut tu ingratus fuisti, quia contra præceptum meum patrem tuum aluisti, ideo hæreditatem meam non obtinebis. Filius respondit avunculo: Nullus debet puniri pro eo, quod lex statuit et compellit; sed lex naturalis et scriptura compellit filium parentibus subvenire in necessitate, maximeque eos honorare, et ideo expelli ab hæreditate de jure non debeo.

Moralisatio. Carissimi, duo fratres sunt filius dei et mundus, qui ambo a patre cœlesti processerunt, filius dei per generationem, mundus per creationem. Inter istos fuit et est discordia ab initio, intantum quod qui est amicus unius, est inimicus alterius, juxta illud Jac. IV: Quicunque voluerit esse amicus hujus seculi, inimicus constituetur dei. Sed filius unus est quilibet christianus, qui est filius Christi, quia ei adhæret per fidem. Non ergo debemus alere mundum per superbiam, avaritiam et sic de cæteris, si volumus filii dei esse; et si contrarium fecerimus, certe a societate Christi expellimur, quantum ad hæreditatem cœlestem. Si Christum alere volumus per opera pietatis, mundus odio nos habebit. Veruntamen melius est nobis mundum odire, quam hæreditatem cœlestem amittere.

Cap. 3.

Justum judicium.

Quidam imperator regnavit, qui statuit pro lege, quod si mulier sub viro suo adulterata esset, sine misericordia de alto monte præcipitaretur. Accidit casus, quod quædam mulier sub viro suo erat adulterata, statim secundum legem de alto monte fuit præcipitata. Sed de monte tam suaviter descendit, quod in nullo læsa erat. Ducta est ad judicium. Judex videns, quod mortua non esset, sententiam dedit, iterum deberet præcipitari et mori. Ait mulier: Domine, si sic feceritis, contra legem agitis, quia lex vult, quod nullus debet

bis puniri pro uno delicto. Ego eram præcipitata quia semel adulterata, et deus me miraculose salvavit, ergo videtur quod iterato contra legem non debeo præcipitari. Ait judex: Satis prudenter respondisti. Vade in pace! Et sic salvata est mulier.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est deus noster, qui facit istam legem. Quod si quis in anima pollutus fuit sub Christo, qui est sponsus animæ, per peccatum mortale debet præcipitari de alto monte i. e. regno cœlesti, sicut erat primus pater Adam. Sed deus per filii sui passionem salvavit. Homo cum peccat, deus non statim propter infinitam suam misericordiam eum damnat, sed per gratiam suam salvat, ut non præcipitaretur in infernum.

Cap. 4.

De justitia judicantium.

Cæsar regnavit, qui statuit pro lege, quod quis mulierem raperet et vi eam opprimeret, in electione mulieris esset, utrum mori deberet vel eam sine dote in uxorem duceret. Accidit casus, quod quidam rapuit nocte simul duas mulieres. Una petiit mortem et alia nuptias. Raptor captus est et ductus coram judice, ut duabus mulieribus secundum legem responderet. Prima mulier instanter secundum legem mortem ejus petiit, secunda eum in virum habere clamavit. Et dixit primæ mulieri: Verum est, quod lex dictat, quod petitionem tuam obtineas, et eodem modo lex pro me clamat. Sed quod mea petitio est minor et magis caritativa, ideo mihi videtur, quod judex pro me sententiam dabit. Ambæ mulieres judici sunt conquestæ, et quælibet beneficium legis postulabat. Judex cum utramque partem audisset, secundæ mulieri concessit, ut eum in virum obtineret, et sic factum est.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est dominus noster Jesus Christus, raptor quilibet peccator, qui rapit i. e. violat duas mulieres s. justitiam et misericordiam, quæ sunt ambæ filiæ dei. Raptor convocatur coram judice, quando anima separatur a corpore. Prima scil. justitia contra peccatorem allegat, æternaliter mori per legem justitiæ; sed altera scilicet misericordia divina allegat, quod per contritionem et confessionem salvabitur. Ideo studeamus sic deo placere etc.

Cap. 5.

De sectanda fidelitate.

Rex quidam regnavit, in cujus imperio erat quidam juvenis a piratis captus, qui scripsit patri suo pro redemtione. Pater noluit eum redimere sic quod juvenis multo tempore in carcere erat maceratus. Ille, qui eum in vinculis habebat, quandam pulchram filiam ac oculis omnium gratiosam genuerat, quæ nutrita in domo erat quousque XX annos in ætate sua compleverat, quæ sæpius incarceratum visitatum ivit ac consolabatur. Sed ille tantum desolatus erat, quod nullam consolationem recipere poterat, sed suspiria et gemitus continue emittebat. Accidit quodam die, quod, cum puella eum visitaret, ait juvenis ei: O bona puella, utinam velles pro mea liberatione laborare! Quæ ait: Quomodo potero hoc attentare? Pater tuus, qui te genuit, non vult te redimere, ego vero, cum sim tibi extranea, quomodo deberem hoc cogitare? Et si te liberarem, offensionem patris mei incurrerem, quia tuam redemtionem perderet pater meus. Veruntamen mihi unum concede, et liberato te. Ait ille: O bona puella. pete a me quid tibi placuerit! Si mihi est possibile, ego concedam. At illa: Nihil aliud peto pro tua liberatione, nisi quod me in uxorem ducas tempore opportuno. Qui ait: Hoc tibi firmiter promitto. Statim puella patre ignorante ipsum a vinculis liberavit et cum eo ad patriam suam fugit. Cum vero ad patrem suum venisset, ait ei pater: O fili, de tuo adventu gaudeo. Sed dic mihi, qualis est ista puella, quam tecum duxisti? Ait ille: Filia regis est, quam in uxorem habeo. Ait pater: Sub pœna amissionis hæreditatis tuæ nolo, ut eam in uxorem ducas. Ait ille: O pater, quid dicis? Plus ei teneor, quam tibi. Quando captus eram in manus inimici et fortiter vinculatus, tibi pro mea redemtione scripsi. Noluisti me redimere. Ipsa vero non tantum a carcere, sed a periculo mortis me liberavit; ideo eam in uxorem ducere volo. Ait pater: Fili, dico tibi, quod non possis in eam confidere, et per consequens nullo modo in uxorem ducere. Patrem proprium decepit, quando ipso ignorante te a carcere liberavit. Pro qua liberatione pater ejus multa perdidit, quæ pro tua redemtione habuisset. Ergo videtur, quod tu non possis in eam confidere et per consequens nullo modo in uxorem ducere. Item alia ratio est. Ista licet te liberavit, hoc fuit causa libidinis, ut posset te in virum habere, et ideo quod ejus libido erat causa liberationis tuæ, non mihi videtur, quod uxor tua erit. Puella audiens istas rationes ait: Ad primam respondeo, quando dicis, quod

ego decepi patrem meum proprium, quod non est verum. Ille decipitur, qui in aliquo bono diminuitur. Sed pater meus tam locuples est, quod alicujus auxilio non indiget. Cum hoc perpendi, juvenem istum a carcere liberavi, et si pater meus pro eo redemtionem accepisset, non multum propter hoc ditior fuisset, et tamen per redemtionem depauperatus esses. Ergo in isto actu te salvavi, quod redemtionem non dedisti, et patri meo nullam injuriam feci. Ad aliam rationem, quando dicis, quod ego ex libidine hoc feci, respondeo: Hoc nullo modo potest fieri, quia libido aut est propter pulchritudinem aut propter divitias aut propter honores aut propter fortitudinem. Sed filius tuus nullum istorum habuit, quia pulchritudo ejus per carcerem erat annihilata; nec dives fuit, quia non habuit unde se ipsum redimeret; nec fortis, quia fortitudinem perdidit per carceris macerationem. Ergo sola pietas me movebat, quod ipsum liberavi. Pater hoc audiens non potuit filium arguere ulterius. Filius ergo cum magna solennitate eam in uxorem duxit et in pace vitam finivit.

Moralisatio. Carissimi, filius captus a piratis erat totum genus humanum captum per peccatum primi parentis in carcere dæmonis s. in ejus potestate. Pater, qui noluit eum redimere, est mundus iste, qui nullo modo volebat hominem juvare a carcere diaboli, sed potius eum tenere. Filia, quæ eum in carcere visitavit, est divinitas animæ conjuncta, quæ humano generi compatiebatur, quæ post passionem suam ad infernum descendit et hominem a vinculis diaboli liberavit. Pater vero cœlestis de nostris divitiis non indiget, quia super omnia est dives et summe bonus. Ideo Christus motus pietate ad nos de cœlis descendit, nos visitavit, quando carnem nostram assumsit, et tamen nihil aliud petiit pro nostra redemtione, nisi quod sit homini desponsatus, juxta illud Oseæ II: Desponsabo eam mihi in fide. Veruntamen pater noster mundus, cui multi obediunt, contra hoc semper murmurat et allegat: Si deo adhæreas, hereditatem meam i. e. mundanam non habebis, quia impossibile est, deo servire et mammonæ, Matth. VI. Sed melius est nobis spernere mundum, quam societatem dei amittere, juxta illud Matth.: Qui reliquerit patrem et matrem, uxorem aut agros propter me, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit. Quam nobis tribuere dignetur Jesus Christus, filius dei vivi, qui cum patre et spiritu sancto regnat in sempiterna sæcula. Amen.

Cap. 6.

De sequenda ratione.

Erat quidam imperator potens sed tyrannus, qui quandam puellam regis filiam pulchram valde desponsavit. Facta desponsatione ambo adinvicem juramentum fecerunt, quod, si quis eorum prius moreretur, alter præ nimio amore se ipsum occideret. Accidit semel quod imperator iste ad partes longinquas se transtulit et diu moram ibidem traxit. Volens probare uxorem, ad eam nuncium destinavit, ut ei de morte sua diceret. Audiens hoc uxor propter juramentum, quod ante fecerat viro suo, de alto monte se præcipitavit, ut moreretur. Verumtamen mortua non est, sed infra breve tempus sanitati est restituta. Deinde interato seipsam volebat præcipitare, ut moreretur, propter juramentum quod fecerat. Pater ejus hoc audiens ei præcepit, ut præcepto et juramento viri non obediret. Illa vero nolebat consentire. Ait pater: Ex quo non vis mihi consentire et obedire, celeriter extra societatem meam exeas. At illa: Nolo, et hoc per talem rationem probo. Cum autem quis juramento est obligatus, tenetur adimplere. Ego juravi viro meo, quod pro ejus amore meipsam occiderem. Ideo non deliqui, si juramentum implere volo. Ergo extra societatem tuam non debeo expelli. Item nullus debet puniri pro eo, quod est commendabile. Sed cum vir et uxor sint unum in carne secundum deum, commendabile est, quod uxor pro amore viri sui moriatur. Unde in India aliquando erat lex, quod uxor post mortem viri sui præ dolore et amore se ipsam comburere deberet, vel viva eum in sepulchrum poni. Et ideo, ut mihi videtur, non deliqui, quando meipsam interficio propter amorem viri mei. Ait pater: Quando prius dixisti, quod obligata juramento fuisti etc., tale obligamentum non valet, quia prætendit ad malum finem scilicet ad mortem. Juramentum semper debet esse rationabile et ideo juramentum tuum nullum est. Ad aliam rationem, quando dixisti, quod istud est commendabile, quod uxor moriatur pro viro, non valet, quia, licet sint unum in corpore per carnalem affectionem, tamen in anima duo sunt, quæ abinvicem realiter differunt. Et ideo non valet, quod allegasti. Puella hoc audiens non poterat ulterius arguere, sed dictis patris adhæsit; nec ulterius seipsam præcipitare volebat, nec amplius viro suo copulari.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est diabolus. Puella est anima tam gratiosa ad dei similitudinem creata, quam diabolus per peccatum ei desponsavit. Unde in peccato commisso facta conventio est,

quod si ipse mortuus erat per peccatum et in longinquis partibus id est in inferno per superbiam suam pollicitus est; sic vult, quod anima peccatrix de alto monte id est de cœlo se præcipitet in infernum. Et sic erat ante adventum Christi. Sed per Christi passionem est sanitati restituta. Verumtamen adhuc sæpius intendit se praecipitare, quotiens contra divinum praeceptum perpetrat. Sed deus pater noster non vult, ut præcipitemur per peccatum, sed vult per contritionem et confessionem ut totaliter ad ipsum convertamur, et firmiter nos in ipso teneamus et vitam æternam possideamus.

Cap. 7.

De invidia malorum adversum bonos.

Diocletianus regnavit, in cujus imperio erat quidam miles generosus, qui duos filios habebat, quos multum dilexit. Junior filius contra voluntatem patris meretricem in uxorem duxit. Cum pater hoc audisset, contristatus est valde, et illum a societate sua expulit. Iste sic expulsus in magna miseria est positus. Tamen de meretrice uxore sua filium formosum genuit et ad magnam egestatem pervenit. Misit nuncium ad patrem suum, ut misericordiam de eo haberet. Pater vero cum audisset de ejus miseria, commota sunt omnia viscera ejus, misertus est ei et cum eo reconciliatus est. Ipso reconsiliato patri suo filium, quem de uxore sua meretrice genuerat, recommendavit; pater vero ipsum quasi in filium proprium enutrivit. Hæc audiens frater senior indignatus dixit patri suo: Tu es demens. Et hoc probo tibi tali ratione. Ille est demens, qui filium in hæredem accipit et nutrit, qui ei injuriam magnam fecit. Sed frater meus, qui illum puerum genuit, fecit tibi magnam injuriam, quando meretricem contra tuum præceptum desponsavit. Ergo videtur, quod tu es demens, quod filium ejus nutris et ei pacem dedisti. Pater ad hoc respondit: Fili, frater tuus est mihi reconciliatus per magnam contritionem, quam habuit, et propter preces aliorum. Ideo oportet me filium suum diligere plus quam te. Hac ratione: tu sæpius contra me fecisti, et nunquam reconciliatus es mihi, quia culpam tuam humiliter recognoscere noluisti. Jam tu es ingratus fratri tuo, ex quo velles ipsum a societate mea expellere; immo potius deberes gaudere, quod mihi est reconciliatus. Et quia ingratus es, hæreditatem meam non obtinebis, et illam, quam de jure habere debuisses, frater tuus occupabit. Et sic factum est.

Moralisatio. Carissimi, per patrem istum patrem cœlestem intelligemus, per duos filios naturam angelicam et humanam. Humana conjuncta erat meretrici i. e. iniquitati, quando de pomo vetito contra divinum præceptum comedit; unde a patre cœlesti erat homo expulsus. Filius meretricis i. e. totum genus humanum, quod per peccatum perversum perierat. Ille filius æger factus est, quia post peccatum in hac lacrimarum valle positus est, juxta illud in libro Gen. cap. III: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Sed hic per Christi passionem est deo patri reconciliatus, et continue reconciliatur per opera meritoria et per preces sanctorum, qui quotidie pro genere humano preces fundunt in cœlo. Ps.: Desiderium eorum est oratio eorum. Sed alius frater scilicet diabolus, qui semper est ingratus, semper nos impugnat et de nostra reconciliatione murmurat et allegat, quod propter peccatum hæreditatem regni cœlestis non debeamus consequi. Sed sine dubio, si sancte juste et munde in hoc sæculo vixerimus, allegatio sua nihil nobis nocebit, imo partem suam id est locum, quem ipse in cœlis perdidit, obtinebimus.

Cap. 8.

De vana gloria.

Leo regnavit, qui miro modo pulchras mulieres delectabatur videre. Unde fecit fieri in quodam templo tres imagines stantes, et præcepit omnibus in imperio, ut eas adorarent. Prima imago habebat manum ad populum extensam, et in uno digito annulum aureum, et super digito erat superscriptio talis: Ego sum generosus in digito. Secunda imago barbam auream habebat, et in fronte sic scriptum: Ego sum barbatus; si quis calvus fuerit, ad me veniat et de pilis meis accipiat. Tertia imago chlamydem auream habebat et tunicam de purpura, et in pectore ejus erat scriptum characteribus aureis: Ego sum, qui neminem timeo. Istæ tres imagines erant interius lapideae. Cum autem fuissent completæ secundum imperatoris voluntatem, statuit pro lege, quod quicunque annulum vel barbam auream aut chlamydem auferret, morte turpissima condemnetur. Accidit quodam tempore, quod quidam tyrannus templum intravit, vidensque primam imaginem cum digito extenso, annulum de digito extraxit. Deinde ad imaginem secundam accessit et barbam auream ab ea abstulit. Post hoc ad imaginem tertiam pervenit, chlamydem ab ea tulit, et de templo recessit. Populus cum imagines spoliatas vidisset,

statim imperatori denunciabat. Cum imperator hoc audisset, contristatus est valde, transgressorem scilicet tyrannum coram se vocavit et super tali delicto arguebat, quod imagines contra præceptum suum spoliavit. At ille: Domine, licitum est mihi respondere? Qui ait: Mihi bene placet. Quando templum intravi, prima imago manum ad me extendit, habensque in digito annulum, ac si diceret: Istum annulum accipe! tamen ad extensionem manus nolui recipere quousque in digito superscriptionem legi scil. Ego sum generosus, ecce annulus. Statim intellexi superscriptionem, quod voluntas ejus esset, ut annulum acciperem, et ideo accepi. Deinde ad secundam imaginem accessi et cum eam barbam auream habentem vidissem, in corde meo cogitavi et dixi: Pater istius nunquam talem barbam habebat, quia sæpius eum vidi, et quod sit altior quam pater ratio non dictat. Bonum est et utile, barbam ejus auream auferre. Verumtamen hoc non obstante barbam nolui extrahere quousque suprascriptionem legi: Ego sum barbatus, quia, si quis calvus fuerit, ad me veniat et de pilis meis accipiat. Sicut videtis, calvus sum, et ideo barbam auream propter duo abstuli. Unum est, ut patri suo esset similis, et de barba aurea non nimis superbiret. Secundo, ut per pilos ejus capiti meo calvo subvenirem. Deinde ad tertiam imaginem accessi, quæ chlamydem auream habebat. Chlamydem abstuli eo quod in hyeme aurum est frigidum, et imago est lapidea, naturaliter lapis est frigidus, ideo si haberet chlamydem auream, esset addere frigiditatem frigido, quod esset grave imagini. Item si in æstate chlamydem haberet, esset nimis ponderosum. Adhuc ei propter ista non abstulissem, donec superscriptionem frontis legissem: Ego sum qui neminem timeo. Cum vero tantam superbiam in eo vidissem, ut humiliaretur abstuli chlamydem. Ait imperator: Carissime, quando lex erat data, ut nullus imagines spoliaret, nam erat in lege promulgatum, quod nullus propter aliquam causam imagines spoliaret. Et ideo quia te intromisisti de eis quæ ad te non pertinebant, do pro judicio, ut hodie in patibulo sis suspensus. Et sic factum est.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est dominus noster Jesus Christus. Tres imagines sunt tria genera hominum in isto mundo, in quibus deus delectatur, juxta illud: Deliciæ meæ sunt esse cum filiis hominum. Si sancte et juste vivamus, deus nobiscum permanebit. Per primam imaginem, quæ habet manum extensam, debemus intelligere pauperes ac mundi simplices, qui si deberent in curia principum ac dominorum aliquid expedire, oportet ut manum extensam habeant ad dandum judici munera. Unde munera oculos judicum excœcant. Si vero dicatur judici vel suis ministris: Quare

a paupere accepisti? statim respondet: Nonne ego potero cum bona conscientia recipere, quod mihi gratis offertur? Curialis erat in offerendo; si munus suum non accepissem, mihi pro rusticitate esset imputandum, et ideo, ne talia de me dicerentur, munus ejus accepi. Per secundam imaginem intelligere debemus mundi divites, qui per gratiam dei ad divitias sunt exaltati. Unde psalm.: De stercore erigens pauperem. Statim ab æmulis judicatur: Ecce iste miser habet barbam auream i. e. plures divitias, quam habuit pater ejus. Opprimamus eum! Sive per fas sive per nefas justum talem opprimunt et spoliant, dicentes: Nos sumus calvi id est divitiis privati; bonum est, ut rusticus iste dives nobis divitias suas participet. Immo sæpius illum jugulant, ut bona sua auferant, ad Tim.: Cupiditas est radix omnium malorum. Per tertiam imaginem cum chlamyde aurea debemus intelligere homines in dignitate constitutos, sicut sunt prælati ecclesiæ et judices terreni, qui habent legem custodire, virtutes inserere et vitia extirpare. Unde malefactores, qui noluerunt subjici disciplinæ contra prælatos suos et seniores, se erigunt ac conspirant dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Luc.: Judæi videntes Christum miracula facientem et eos arguere, quod contra legem committerent, statim de morte ejus conspirabant. Tales conspiratores et similes morte morientur. Studeamus ergo vitam nostram sic corrigere ut vitam æternam possidere mereamur, quod nobis præstare etc.

Cap. 9.

De naturali malitia per mansuetudinem superanda.

Alexander regnavit prudens valde, qui filiam regis Syriæ in uxorem accepit, quæ filium pulcherrimum ei peperit. Crevit puer, et cum ad ætatem legitimam pervenisset, patri suo semper insidias fecit et per omnia mortem ejus quæsivit. Imperator de hoc admirabatur, venit ad imperatricem et ait: Carissima, dicas secure sine timore secretum cordis tui mihi, utrum de aliquo præter me polluta fuisti? At illa: O domine, quare a me talia quæris? Qui respondit: Filius tuus semper mortem meam quærit. Miror, quod, si esset filius meus, talia non attentaret. At illa: Novit deus, quod nunquam ab alio præter te sum polluta, et hoc parata sum per omnem viam probare. Iste est verus filius tuus; sed quare te persequitur, penitus ignoro. Rex cum hoc audisset, cum omni mansuetudine filio suo locutus est dicens: O bone fili mi, ego sum pater tuus; per me mundum intrasti, et hæres meus eris. Quare mihi

mortem minaris? In deliciis nutrivi te et omnia mea tua sunt. Desine, inquit, ab ista iniquitate, et noli me occidere. Filius non acquiescens dictis ejus, de die in diem malitia ejus contra patrem crescebat, et nitebatur semper occidere eum, publice et private insidias ei imponere. Pater hoc videns in locum desertum perrexit et filium suum secum duxit, portansque gladium in manu sua dicens filio suo: Accipe gladium istum et interfice me hic, quia minus scandalum est tibi in occulto me occidere, quam in publico. Filius hæc audiens statim gladium a se projecit et coram patre genua flexit cum fletu magno misericordiam ab eo petens, ait: O bone pater, peccavi in te, quia male egi; iniquitatem feci. Jam non sum dignus vocari filius tuus. Peto, ut remittas mihi et me diligas. Ammodo ero filius tuus dilectus, et per omnia secundum tuam voluntatem ministrabo tibi. Pater hæc audiens cecidit super collum ejus, osculatus est eum et ait: O fili dilectissime, ammodo non pecces, esto mihi fidelis filius, et ero tibi gratiosus pater. Et hoc dicto induit eum vestimentis pretiosis, et eum secum ad domum duxit et magnum convivium satrapis imperii fecit. Post hæc per paucos dies vixit et vitam in pace finivit.

Moralisatio. Carissimi, imperator iste est Jesus Christus dominus noster. Filius, qui patrem persequitur, est malus Christianus, qui est filius dei legitimus per virtutem baptismi. Mater pueri est sancta ecclesia, a qua baptismum et nostram salutem accepimus, quibus peccator perversus et a deo per peccatum elongatus quærit mortem Christi. Quod ipse sit pater, patet Deuter. XXXII: Nonne ipse est pater tuus etc. Totiens ergo Christianus quærit mortem Christi, quotiens contra præceptum dei perpetrat. Unde duxit te in desertum hujus mundi, in quo deserto non tantum obtulit se mori, sed mortuus est propter peccata nostra. Unde propter ejus amorem et tuæ animæ salutem deberes resistere peccatis et ei fideliter servire. Pater dedit ei gladium, ut eum occideret. Sic deus dat tibi gladium hoc est liberum arbitrium portantem scilicet amorem ejus et gratiam, vel simpliciter eum a te expellere. Fac ergo tu, sicut fecit ille filius! Projice a te gladium iniquitatis et malitiæ, sicut fecit ille de quo legitur in evangelio: Filius peregre profectus est in regionem longinquam. Sic peccator, cum carnales voluptates diligit, a domino peregrinatur, et quanto peccando ipse sit dissimilior, tanto magis a domino elongatur, substantiam consumit, dum vitam et cogitationes turpibus actibus impendit, et sic in evangelio dicitur de filio, quod egere cœpit, et adhæsit uni civi regionis illius, qui misit illum in villam suam, ut pasceret porcos etc. Filius ille egere cœpit, quando

virtutes per peccatum amisit. Unde ps.: Divites eguerunt et esurierunt. Adhæsit uni civium scilicet diabolo, quia dæmones sunt cives et rectores tenebrarum hujus mundi, juxta apostolum: Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem etc. Porcus immundum est animal, quia in sordibus delectatur, et ideo porcis dæmones comparantur, quia sordibus peccatorum saturabuntur. Illos pascit peccator sordibus criminum suorum et ipse est opus illorum. Siliquæ sunt cibus peccatorum: sic fornicatio, ebrietas et gulositas cibus dæmonum. De siliquis cupit peccator implere suum ventrem, quia nemo dat ei saturitatem, quia voluptas semper habet famam suam et diabolus multotiens non dat homini sui desiderii facultatem, sciens autem, eum esse mortuum per peccatum. Sed tamen dominus sæpius per gratiam suam vibrat ab eo gladium iniquitatis et dicit: Miserere mei, dum peccata recognoscit et dicit: Delictum meum cognitum tibi feci. Sed deus misericordia motus est, et occurrens cecidit super collum ejus et osculatus est eum, dixitque ad servos: Cito afferte stolam primam et induite illum et dato annulum in manum ejus et calciamenta in pedibus ejus, et adducite vitulum saginatum et occidite et manducemus, quia hic filius meus mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est. Sic pater cœlestis vidit errantem, cum ad pœnitentiam se movet, et injecit se super collum ejus, quando onus pœnitentiae sibi imponit, eum osculatur, quando verbis oris sui delectatur in peccatore, juxta illud: Osculetur me osculo oris sui. Stola prima induitur, quando amor Christi per pœnitentiam habetur. Annulus in manu signat signaculum similitudinis Christi in bonis operibus. Ille ergo annulum in manu portat, qui in nullo opere a Christo deviat. Calciamenta in pedibus sunt exempla sanctorum, qui mortui sunt, quia, sicut calciamenta in pedibus animalium defendunt pedes, ita exempla sanctorum animas. Vitulus saginatus est Christus, pro nobis immolatus in ara crucis, quia saginatus i. e. spiritus sancti repletus gratia. Et tunc poteris per civitatem cordis tui ostendere vexillum boni militis Christi, scilicet ubi erit scriptum:

Omnia prætereunt præter amare deum

i. e. omnia peccata mea mala per pœnitentiam sunt deleta, et jam dei timorem et gratiam ejus mecum porto, per quam vitam æternam obtinebo, ad quam nos perducat Jesus Christus Mariæ filius qui in unitate cum deo patre etc.

Cap. 10.

De desponsatione fidelis animæ.

Vespasianus regnavit, qui diu remansit sine prole. Et tandem per consilium sapientum quandam puellam pulchram valde de longinquis partibus mundi in uxorem duxit et cum ea in patria extranea diu remansit et prolem ex ea genuit. Post hæc ad imperium suum accedere volebat, sed nullam licentiam ab ea poterat obtinere, sed ipsa semper dicebat: Si a me recedis, me ipsam occidere volo. Imperator cum hoc audisset, fecit fieri duos annulos optimos et sculpit in gemmis imagines hujus efficaciæ, ut una esset imagino memoriæ et altera imago oblivionis. Cumque paribus annulis eas inseruisset, unum annulum scilicet oblivionis præbuit uxori, alterum ipse tulit, ut sicut pari amore sic paribus annulis scil. insignirentur. Uxor cum annulum accepisset, statim cœpit oblivisci amoris viri. Imperator hoc videns ad imperium cum gaudio se transtulit, nec ulterius est ad uxorem reversus. Et sic in pace vitam suam finivit.

Moralisatio. Carissimi, per istum imperatorem debemus intelligere animam humanam, quam oportet assumi ad propriam patriam, hoc est ad regnum cœleste, ad hoc, ut salutem finalem consequatur. Ideo ait ps.: Salvum me fac, deus etc. Uxor est nostra caro, quæ retinet animam in multis delectationibus, per quas non poterit ad vitam æternam transire, ubi animæ conversatio est et imperium ejus et totum desiderium. Et quare non permittit eam? Quia caro concupiscit adversus spiritum et e converso. Fac ergo tu, sicut fecit imperator. Fac duos annulos scil. memoriæ et oblivionis. Isti duo annuli sunt oratio et jejunium. Utrumque enim in effectu suo caret termino. Signum infallibile in multis terris est, quod mulier, si portat annulum, desponsata est. Et revera, quando homo se dat orationi et jejunio, signum est, quod anima ejus est sponsa Christi. Oratio autem est annulus memoriæ, quia præcepit apostolus dicens: Sine intermissione orate. Utitur ergo homo oratione dominica, ut deus memoriam ejus habeat, immo angelus eam præsentabit, exemplo Tobiae. Jejunium potest dici annulus oblivionis, quia retrahit et refugit ipsam carnem, ne impediat usum rationis et opus meritorium, per quæ itur ad deum. Studeamus ergo istos annulos sic nobiscum retinere, ut vitam æternam consequi mereamur.

Cap. 11.

De veneno peccati, quo quotidie nutrimur.

Alexander regnavit potens valde, qui magistrum Aristotelem in suum doctorem habebat, qui eum in omni scientia instruebat. Hoc audiens regina aquilonis filiam suam a tempore suæ nativitatis veneno nutrivit, et cum pervenisset ad legitimam ætatem, erat tam pulchra et oculis hominum gratiosa, quod multi per adspectum ejus infatuati sunt. Regina eam ad Alexandrum misit, ut ejus concubina fieret. Visa puella statim captus est in amorem ejus, et dormire cum ea volebat. Hoc percipiens Aristoteles dixit ei: Nolite talia attemptare. Quæ si feceritis, in continenti moriemini, eo quod ipsa sit toto tempore vitæ suæ veneno nutrita. Quod autem verum sit probabo statim. Hic est quidam malefactor, qui per legem debet mori. Cum ea dormiat, et tunc si verum est videbitis. Et sic factum est. Malefactor osculatus est eam coram omnibus. Statim cecidit et mortuus est. Alexander hoc percipiens magistrum miro modo laudavit, qui eum a morte liberavit. Puellam matri remisit.

Moralisatio. Carissimi, iste Alexander potest dici quilibet christianus bonus fortis et potens per virtutes, quas in baptismo recepit, qui potens est et fortis, quamdiu manet in caritate et puritate vitæ contra diabolum mundum et carnem. Regina aquilonis est abundantia rerum, quæ hominem quærit occidere, spiritualiter aliquando, sæpius corporaliter. Puella intoxicata est luxuria et gula, quæ nutriuntur ex cibariis delicatis, quae sunt venena animæ. Aristoteles est tua conscientia sive ratio, quæ semper murmurat et contradicit illis, quæ sunt animæ nociva, et te impedit, ne cum talibus immiscearis. Malefactor est vir perversus, deo inobediens, qui magis sequitur delicias carnis, quam divina praecepta. Talis tota die in peccatis dormit osculando i. e. tangendo gulam et luxuriam, per quos tactus spiritualiter occiditur. Unde sapiens: Qui tangit picem, coinquinabitur ab ea. Studeamus ergo sobrie vivere, quod poterimus ad æternam pervenire vitam.

Cap. 12.

De malo exemplo.

Otto regnavit, in cujus imperio erat quidam sacerdos lubricus, qui propter hoc subditos suos multoties perturbavit et per hoc scandalisati multum erant. Erat unus parochialium suorum, qui nunquam interesse voluit missae ipsius, dum celebravit. Accidit quodam die festivo, quod tempore missae ejus solus in campo deambularet et miro modo sitiebat, intantum quod videbatur ei, nisi sitim extingueret, moreretur. Accidit, dum ambularet, venit ad quendam rivulum purissimi fontis, in quo viso incepit haurire et fortiter bibere. Sed cum gustasset, quanto plus bibit, tanto plus sitiebat. Intra se admirabatur dicens: Fontem hujus rivuli quærere volo, ut de fonte bibam. Dum autem ambulasset, obviavit ei quidam senex pulcher valde et ait ei: Carissime, quo tendis? Qui ait: Ultra quam credi potest sitio. Inveni unum rivulum aquæ, de quo bibi, et quanto plus bibi, tanto plus sitiebam. Ideo fontem hujus rivuli quæro, ut de fonte bibam, si sitim extinguere possim. Ait senex: Ecce hic est fons, de quo rivulus ille procedit, sed dic mihi, quare cum aliis christianis ad audiendam missam ecclesiam non intrasti? Qui respondit: Vere, domine, sacerdos noster execrabilem vitam duxit, quod ipsum non credo missas mundas celebrare et deo placidas. Ad quem senex: Sit ergo, ut tu dicis. Ecce fons, de quo tam dulcis aqua rivuli procedit, de cujus rivulo bibisti. Respexit ille vidensque canem fœtidissimum, habentem os apertum, per cujus os et dentes totius fontis scaturitio emanabat mirabiliter. Quod dum ille perspicacius agnovisset, mente confusus expavit toto corpore pertremescens propter fœtorem non audebat gustare et miro modo sitiebat. Quem senex intuens ait illit: Noli timere quia potasti de rivulo hujus fontis! nullam enim molestiam tibi generabit. Ille hoc audiens gustavit, sitim extinguit et ait: O domine, tam dulcem aquam homo nunquam bibit. Ait senex: Vide modo, quemadmodum hæc dulcis aqua per os canis fœtidi observato colore proprio et sapore nec polluitur nec mutatur. Carissime, sic est de missa per indignum sacerdotem celebrata, et ideo, quamvis tibi displiceat vita talium sacerdotum, tamen devote missas illorum debes audire. His dictis senex evanuit ab eo, et quod videbat aliis revelavit. Et post hoc devote missas audivit et hanc vitam transitoriam et instabilem ad quietem terminum deduxit, quia a corruptibili vita ad incorruptibilem translatus est, quod nobis concedat Jesus Christus, Mariæ filius.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est dominus noster Jesus Christus, in cujus imperio id est in mundo est sacerdos lubricus id est christianus perversus. Quia sicut sacerdos habet animas parochianorum custodire, sic et christiani virtutes, quas in baptismo receperunt, habent regere ac diligenter custodire, ne polluantur. Iste malus sacerdos multos perdit malo exemplo. Unde beatus Gregorius: Quot mala exempla coram subditis committunt, tot animas perdunt. Sic malus christianus verbo et opere multos ad infernum trahit. Si talis fueris, fac sicut fecit ille parochianus. Ambula per campos id est per regna et castra, donec venias ad unum, quem diligit anima tua, scilicet illum senem. Senex est Christus, quem invenies per opera misericordiæ. Sed prius oportet te bibere de rivulo, licet non extinguas sitim. Rivulus iste, de quo bibimus, est baptismus, qui tantum sitim originalis peccati extinxit, sed si iterato incideris in peccatum, amplius per eum extingui non poteris donec procedas ad istum fontem. Fons, iste est dominus noster Jesus Christus, sicut de se ipso ait: Ego sum fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam. Joh. IV. Rivuli vel venæ istius fontis sunt verba sacræ scripturæ, quia sæpius procedunt per os fœtidissimi canis, hoc est sacerdotis prædicatoris peccatoris. Quærendum est ergo, cur scaturitio puri fontis per os fœtidi canis et non alterius animalis manaverit. Responsio: sæpius in sacra scriptura sacerdotes canibus comparantur. Et sicut in cane quatuor bona sunt juxta istos versus:

In cane bis bina sunt, et linguæ medicina,
Naris odoratus, amor integer atque latratus;

sic et sacerdotes idonei circa salutem animarum in foro prædicationis pœnitentiæ et confessionis quatuor has proprietates fideliter debent observare: primo quod sint medici in lingua, mulcendo videlicet et lingendo vulnera peccatorum, ne nimis aspere detergentur. Vulnera enim et ulcera canes lambunt. Secundo, sicut canis per odorem narium vulpem sive leporem investigat, sic sacerdos in odore confessionis vulpinas calliditates id est hæreticas perversitates sive falsitates quoad peccati detentionem et leporinas timiditates quoad peccati detestationem aut veniæ desperationem et lupinam et leoninam ferocitatem quoad veniæ contemptum et alia hujuscemodi solerter et subtiliter investigat. Tertio, sicut canis fidelissimum animal esse scitur, quia pro domino suo ac pro familia domini sui et ejus animalibus ac contra malos homines periculo se exponit, sic sacerdotes pro fide catholica et pro salute animarum, non solum parochialium suorum, sed etiam omnium fidelium christianorum corpus et animam debent exponere confidenter juxta verbum domini Jo. X: Bonus pastor

animam suam ponit pro ovibus suis. Item Jo. I: Christus animam suam posuit pro nobis. Ita et nos debemus animas pro fratribus ponere. Quarto, sicut canis suo latratu fures prodit et thesaurum domini sui ipsos tollere non permittit, sic sacerdos fidelis est canis summi regis, latratu prædicationis, vigilantia jugis orationis, furtum i. e. insidias et diabolicas machinationes de thesauro domini sui i. e. de anima proximi sui, quam summo thesauro i. e. pretioso sanguine suo redemit dominus Jesus Christus propellere non desistit.

Cap. 13.

De amore inordinato.

Quidam imperator erat, qui pulchram uxorem habebat, quam miro modo dilexit. Ipsa primo anno concepit et peperit filium, quem mater multum delexit, intantum quod singulis noctibus in uno lecto jacebat cum eo. Cum autem in ætate tres annos complevisset, mortuus est rex. De cujus morte factus est dolor magnus. Regina multis diebus mortem ejus planxit. Cum autem sculpturæ traditus fuisset, regina per se in castro quodam vixit, habensque filium suum secum, dilexit tantum puerum, quod ejus præsentia carere non posset. Ambo simul continue jacebant, donec puer XVIII annos in ætate complevisset. Vidensque diabolus amorem tantum inter matrem et puerum ejus eos ad opus nefarium sollicitavit intantum quod filius matrem cognovit. Regina vero statim concepit. Cum autem impregnata esset, filius totum regnum præ dolore dimisit et ad partes longinquas accessit. Mater vero cum tempus pariendi esset, filium pulcherrimum peperit, vidensque parvulum natum, statim illum jugulavit, scindens guttur ejus per medium, et sanguis gutturis ipsius parvuli in palmam sinistræ manus reginæ cecidit, et facti sunt quatuor circuli rotundi in hac forma 0000. Regina nulla arte potuit circulos evellere de manu, et propter hoc intantum verecundabatur, quod semper habuit in illa manu cirothecam, ne circuli viderentur. Regina ista beatæ virgini erat satis devota, et tamen tantum verecundabatur, quod ex proprio filio conceperat et filium proprium occiderat, quod nullo modo de hoc confiteri volebat, et tamen omni quindena de ceteris peccatis erat confessa. Regina ista largas elemosynas pro amore beatæ virginis Mariæ distribuit. Ab omnibus erat dilecta, quia omnibus gratiosa. Accidit una nocte, quod cum ejus confessor coram lecto suo flexis genubus quinquies Ave Maria dicebat, apparuit ei beata virgo et ait: Ego sum virgo Maria. Habeo tibi aliqua

secreta dicere. Confessor gavisus est valde et ait: O domina carissima, dic servo tuo, quæ tibi placent. Quæ ait: Regina regni istius tibi confitetur; tamen unum peccatum commisit, quod tibi non audet pandere præ nimia verecundia. Die vero crastina veniet ad te causa confessionis. Dic ei ex parte mei, quod elemosynæ suæ et orationes sunt in conspectu filii mei præsentatæ et acceptæ. Præcipio ei, quod de illo peccato confiteatur, quod private in camera sua commisit, quia filium unicum occidit. Rogavi pro ea et remissum est ei peccatum, si confiteri voluerit. Si vero dictis tuis noluerit acquiescere, roga eam, ut cirothecam de manu sinistra deponat et in palma ejus peccatum commissum non confessum videbis. Si hoc noluerit, cirothecam vi extrahe. His dictis beata virgo Maria evanuit. Mane vero regina satis humiliter confitebatur de omnibus peccatis excepto de illo peccato. Cum autem omnia ei dixisset, quæ ei placuerunt, ait confessor: Domina et filia carissima, multi multa loquuntur, quare semper in manu sinistra uteris cirotheca. Audacter mihi manum ostende, si potero videre, si lateat aliquid, quod deo non placeat. At illa: Domine, manus mea non est sana et ideo eam vobis ostendere nolo. Ille hoc audiens per brachium eam accepit et ea invita cirothecam extraxit et ait: Domina, noli timere! Beata virgo Maria, quæ te intime diligit, mihi hoc agere præcipit. Cum vero manum apertam vidisset, vidit quatuor circulos sanguineos ac rotundos. In primo circulo erant quatuor C C C C, in secundo quatuor D D D D, in tertio quatuor M M M M, in quarto quatuor R R R R. In circuitu circulorum ad modum sigilli erat talis superscriptio rubea, continens quæ hic sequuntur. Item de litera C, scilicet: Casu Cecidisti Carne Cœcata. De D: Dæmoni Dedisti Dona Donata. De M: Monstrat Manifeste Manus Maculata. De R: Recedit Rubigo Regina Rogata. Domina regina, cum hoc vidisset, ad pedes confessoris cecidit et cum lacrimis humiliter confitebatur de illo peccato commisso. Accepta absolutione et pœnitentia completa post paucos dies obdormivit in domino. De cujus morte factus est planctus magnus in civitate.

Applicatio. Carissimi, imperator iste est Jesus Christus, qui desponsavit filiam pulchram scilicet naturam humanam, quando carnem nostram assumsit. Sed prius eam in amasiam accepit quando pater filio et spiritui sancto loquebatur dicens: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Sed heu proh dolor! Postquam dominus noster Jesus Christus genuit in nobis pulcerrimum filium id est animam ab omni contagione mundatam per suam passionem et virtutem baptismi, anima in nobis per peccatum est occisa quantum ad vitam

æternam. Sed dic mihi quomodo! Ecce viam vobis ostendo. Homo habet proprium filium secum, et cum eo jacet in deliciis id est in carnali concupiscentia, intantum quod te sciente et consentiente proprium filium tuum id est animam sive rationem jugulas, per quam deberes sensus tuos dirigere. Sed sanguis i. e. peccatum semper in manu remanet, juxta illud: Anima mea in manibus meis semper. Hoc est dictum: Si bene vel male fecerimus, ita manifeste sicut in manu coram judice supremo ostendetur.

Alia applicatio. Ista regina est natura humana, quæ in primo parente scilicet Adam erat plantata, quæ concepit ex filio hoc est ex delectatione carnali, quando de pomo comedit. Tunc genuit filium i. e. totum genus humanum, quod ipsa per peccatum occidit. Unde sanguis noster i. e. peccatum nostrum tam notorium erat, quod nullo modo celari poterat nisi per cirothecam i. e. nostram fragilitatem et diaboli deceptionem, et sic nunquam poterat per nos deleri nisi per Christi passionem. Et quomodo? Ecce via ista. Confessor i. e. spiritus sanctus beatam virginem visitavit, de quo ipsa concepit filium i. e. Christum dominum nostrum, per quem salvati sumus. Tamen in manu erant quatuor circuli. Primus est cogitatio, quæ peccatum præcedit, secundus est delectatio, tertius est consensus, quartus est actus peccati. Istis circulis erat Adam signatus, quando peccavit, et nos omnes, quando peccatum committimus. In primo circulo erant quatuor C, quæ dicebant: Casu Cecidisti Carne Cœcata. Casus erat diabolus, quia totum genus humanum erat perditum. Cecidisti. Ubi? Ecce in infernum. Carne i. e. cum frigore, infirmitate et miseriis multis. In paradiso fuisti creatus sine omni defectu, et propter primi parentis peccatum in istis miseriis es involutus. Cœcata i. e. cæcus factus es. Ubi? Dum homo in paradiso ante peccatum vixit, jam propter peccatum illa visione caret. In secundo circulo erant quatuor D, quæ dicebant: Dæmoni Dedisti Dona Donata. Quid ei dedisti? Certe animam tuam, quando mortaliter peccasti. Hæc primus parens dedit, quando de pomo vetito comedit. Dona donata i. e. virtutes, cum quibus te deus ornavit in baptismo. Illas diabolo dedisti per quatuor M, quæ dicebant: Monstrat Manifeste i. e. jam satis aperte patet, in qua miseria sumus positi, quia primo creati eramus ut nunquam moreremur, sed propter peccatum mortales facti sumus. Manus Maculata i. e. omnia opera nostra quantumcunque bona, quoniam per Christi passionem non poterunt nos defendere, quin totum genus humanum ad infernum descendat. In quarto circulo erant quatuor R, quae dicebant: Recedit Rubigo Regina Rogata i. e. recessit onus peccati per Christi passionem. Rubigo i. e. peccatum

originale per baptismum. Regina id est virgo Maria per sanctam conceptionem, quam concepit de spiritu sancto. Rogata, quia ipsa est mediatrix inter deum et hominem. Deinde per conceptionem filii sui, per ejus nativitatem, circumcisionem et passionem, nec non per sanctam resurrectionem et ascensionem ad vitam æternam nos perduxit.

Cap. 14.

De honorandis parentibus.

Dorotheus regnavit et statuit pro lege, quod filii parentes suos alerent et sustentarent. Erat in imperio tunc temporis quidam miles, qui uxorem pulchram et honestam acceperat. Ex ea filium genuit. Profectus est miles ad peregrinandum. In via est captus et fortiter ligatus. Statim scripsit uxori suæ et filio pro redemtione sua. Uxor hæc audiens contristata est valde. Flevit amare intantum, quod cœca facta est. Ait filius matri: Volo ire ad patrem meum, ut eum redimam a vinculis. Respondit mater: Non ibis, quia tu es unicus filius meus et gaudium et dimidium animæ meæ, et posset tibi contingere sicut et sibi. Malles tu patrem abeuntem redimere quam matrem præsentem alere? Quotiens ita est, quod aliquid est æquale duobus, ei, qui est præsens, magis est adhærendum. Tu es filius meus et patris tui. Ego vero sum praesens et pater tuus absens. Concludo ergo, quod nullo modo debes recedere a me et visitare patrem tuum. Filius respondit et multum bene: Licet sum filius tuus, tamen pater meus est causa principalis generationis meæ; ille agens, tu patiens; pater profectus est peregre, tu vero domi sedes; ille vero captus et fortiter vinculatus est, tu libera; ille in manibus inimicorum, tu inter amicos; ille inclusus, tu soluta; tu vero es cœca, tamen ille lucem non videt, nisi catenas, vulnera et miserias, et ideo ad eum pergere volo et ipsum redimere. Et sic factum est, unde omnes filium laudabant, quia sic pro redemtione patris laboravit.

Moralisatio. Carissimi, imperator iste est pater cœlestis, qui statuit pro lege, quod filii parentes sustentent in omnibus et eis obediant. Sed quis est pater noster et mater? Certe pater noster Christus est. Deuter. XXXII: Nunquid non iste est pater tuus? Ipse habet ad nos affectum paternum, non maternum. Scitis, quod, quando puer transgreditur, pater dure eum corrigit, verberat et flagellat, sed mater eum leniter dulciter et suaviter tractat. Christus autem permittit nos flagellari et angustiari propter defectus nostros. Ipse

est pater noster spiritualis, sed mater nostra est mundus iste, qui dulcia nobis promittit et dat delectabilia. Sed pater noster Christus peregre profectus est, unde Psalm.: Extraneus factus sum fratribus meis. Adhuc Christus ligatur et flagellatur, non in se, sed in membris suis secundum apostolum ad Hebr.: Quicunque est in peccato mortali, ipse jacet in carcere diaboli, sed pater noster vult, ut laboremus pro redemtione. Unde Lucae XII: Sinite, inquit dominus, mortuos sepelire mortuos suos! Tu autem vade et annuncia regnum dei et hoc est Christum redimere. Quicunque enim fructuose verbum dei prædicat, lucratur fratrem suum et redimit in fratre Christum. Matth. XXI: Quod uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti. Sed mater i. e. mundus non permittit hominem sequi Christum in paupertate, sed promittit diversa et allegat. Non possum vivere in abstinentia, si eligas viam pœnitentiæ, ut sequaris Christum. Et sic de multis, quæ homini promittit. Sed non consentias ei! Vere mater ista cœca est. Ipsa dicit tibi: Fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter. Sed carissime, si tu es bonus et gratus filius, responde sic matri i. e. mundo: Pater meus est causa principalis generationis meæ i. e. animæ et omnia quæ habeo ad ejus voluntatem sunt; sed mater est causa secundaria i. e. patiens hoc est divitiæ et superbia hujus mundi. Consulo, ut non exspectes senectutem in pœnam et cœcitatem, quia in senectute mundus relinquet te, tu non mundum. Si diutius possis servire sibi, ipse te retinet. Studeamus ergo cum omni diligentia vitam nostram emendare, quod poterimus ad vitam æternam pervenire. Ad quam nos perducat deus, qui vivit et regnat etc.

Cap. 15.

De vita sancti Alexii filii Euphemiani imperatoris.

Quidam imperator erat, in cujus imperio scilicet in civitate romana fuit quidam juvenis nomine Alexius, filius Euphemiani nobilissimi Romani et in aula imperatoris primus. Cui tria millia puerorum assistebant et zonis aureis cingebantur et vestimentis sericis induebantur. Erat autem prædictus Euphemianus valde misericors et singulis diebus in domo sua tres mensæ pauperibus orphanis peregrinis et viduis parabantur, quibus strenue servicbat, et hora nona ipse cum viris religiosis cibum in timore domini capiebat. Cui uxor nomine Abael ejusdem religionis et propositi erat. Cum autem filium non haberent, ad preces tamen suas dominus contulit

eis filium. Post quem ipsi deinceps in castitate vivere firmaverunt. Traditur igitur puer liberalibus disciplinis imbuendus, cum omnibus philosophiæ artibus ipse floreret, et jam ad puberem ætatem veniens, puella de domo imperiali eligitur et ei in conjugem copulatur. Venit nox, in qua cum sponsa suscepit secreta silentia. Tunc sanctus juvenis sponsam suam cœpit in dei timore instruere et ipsam ad virginitatis provocare pudorem. Deinde annulum suum aureum et caput baltei, quo cingebatur, sibi servandum tradidit dicens: Suscipe hæc et serva donec deo placuerit, et dominus sit inter nos! Post hæc de substantia sua accipiens ad mare discessit, ascendensque occulte navim Laodiciam usque advenit. Inde pergens in Edissam civitatem Syriæ profectus est, ubi imago domini nostri Jesu Christi sine humano opere facta in syndone habebatur. Quo perveniens omnia, quæ secum detulerat, pauperibus distribuit, et vestimenta vilia induens cum cæteris pauperibus in atrio dei genetricis Mariæ sedere cœpit, et de elemosynis quantum sibi sufficere poterat sibi retinebat, cætera vero aliis pauperibus erogabat.' At pater decessum filii ingemiscens per universas mundi partes pueros suos misit, qui eum inquirerent diligenter. Quorum dum aliqui ad civitatem Edissam pervenissent, ab eo cogniti minime eum cognoscentes eidem cum cæteris pauperibus elemosynas tribuerunt, quas ille accipiens deo gratias egit dicens: Gratias tibi ago, domine, quia a servis meis elemosynam recipere me fecisti. Reversi pueri nunciant, quod nusquam reperiri valeat. Mater igitur sua a die recessus sui saccum in pavimento cubilis statuit, ubi ejulans lamentabiles voces dabat dicens: Hic semper in luctu manebo, donec filium meam recuperavero. Sponsa vero ad socrum suam dixit: Donec audiam de sponso meo dulcissimo, ad instar turturis manebo tecum. Cum ergo Alexius in prædicto atrio XVII annis in servitio dei permansisset, imago tandem beatæ virginis, quæ ibidem erat, custodi ecclesiæ dixit: Fac introire hominem dei, quia dignus est regno cœlorum, et spiritus dei requiescit super eum; nam oratio ejus sicut incensum in conspectu dei ascendit. Cum autem custos de quo diceret ignoraret, iterum dixit ei: Ille qui sedet foris in atrio ipse est. Tunc custos festinus exiit et ipsum in ecclesiam duxit. Quod factum cum cunctis innotesceret, et ab omnibus venerari cœpisset, humanam gloriam fugiens inde recessit, ibique navim ascendens, cum in Tharsim Ciciliæ vellet pergere, dispensante deo navis a ventorum pulsatione in romanum portum devenit. Quod cernens Alexius ait inter se: In domo patris mei ignotus manebo, nec alteri onerosus ero. Patrem vero a palatio redeuntem multitudine obsequentium circumdatum obvium habuit ac post eum clamare cœpit:

Serve dei, me peregrinum in domo tua suscipi jubeas et de micis mensæ tuæ nutriri facias, ut tui quoque peregrini dominus dignetur misereri. Quod audiens pater ob amorem filii sui eum suscipi jussit et locum proprium in domo sua tribuit et cibum de mensa sua constituit et ministrum proprium delegavit. Ipse autem in orationibus perseverabat et corpus suum jejuniis macerabat. Famuli autem domus ipsum deridentes aquam utensilium domus super caput ejus frequenter fundebant, sed ipse ad omnia valde patiens erat. Alexius XVII annis in domo patris ejus ignotus manebat. Videns ergo per spiritum, quod terminus vitæ appropinquaret, cartam cum atramento petiit et totum ordinem vitæ suæ scripsit. Dominica igitur die post missarum solemnia in sanctuario de cœlo vox intonuit dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis etc. Quod audientes omnes in facies suas ceciderunt. Et ecce vox secundo dicens: Quærite hominem dei, ut oret pro Roma! Quærentibus illis et minime invenientibus iterum dictum est: In domo Euphemiani quærite! Requisitus ille nihil se scire dicebat. Tunc imperatores Arcadius et Honorius una cum summo pontifice Innocentio ad domum prædicti viri venerunt et ecce vox ministri Alexii ad dominum suum venit dicens: Vide, domine, ne ille peregrinus noster sit, qui magnæ vitæ et patientiæ homo est. Currens igitur Euphemianus eum defunctum invenit et vultum ejus tanquam vultum angeli rutilantem vidit, voluitque cartam, quam in manu habebat, accipere, sed nequivit. Exeunte ergo eo cum hoc imperatoribus et pontifici retulisset, et illi ad eum intrassent, dixerunt: Quamvis peccatores sumus, gerimus tamen regni gubernacula et habemus curam universalem regiminis pastoralis. Da ergo nobis cartam, ut sciamus quæ in ea scripta sunt. Et accedens pontifex cartam in manu sumsit et statim dimisit, fecitque eam legi coram omni populo et multitudine et patre ejus. Euphemianus hoc audiens nimio timore conturbatus resolutisque viribus in terram cecidit. Cum vero ad se aliquantulum redisset, vestimenta sua scidit, cœpitque canos capitis sui evellere, barbam trahere atque semetipsum discerpere, ac super filium suum corruens exclamavit: Heu me, fili mi, quare sic me contristasti et per tot annos dolores et gemitus ac suspiria incuristi? Heu me miserrimum, quia video te custodem senectutis meæ in grabato jacentem et non mihi loquentem! Heu me, qualem de cætero consolationem habere potero? Mater vero hoc audiens, quasi leæna rumpens rete, ita scissis vestimentis, coma dissoluta ad cœum oculos levabat et cum præ nimia multitudine ad sanctum corpus adire non posset, clamavit dicens: Date mihi aditum, ut videam

consolationem animæ meæ, qui suxit ubera mea. Et cum pervenisset ad corpus, incumbens super illud clamabat: Heu me, fili mi carissime, lumen oculorum meorum, quare sic nobis fecisti? Quare tam crudeliter nobiscum egisti? Videbas patrem tuum et me miseram lacrimantes et non ostendebas teipsum nobis. Servi tui injuriabantur tibi et sustinebas. Et iterum atque iterum prosternabat se super corpus et nunc brachia super illud extendebat, nunc autem manibus vultum angelicum contrectabat, osculans clamabat: Plorate mecum omnes, qui adestis, quia per XVII annos eum in domo mea habui et non cognovi, quia unicus meus esset. Servi enim ejus conviciabantur ei, alapis eum percutiebant. Heu me, quis dabit oculis meis fontem lacrimarum, ut plangam die ac nocte dolores animæ meæ? Sponsa vero ejus induta veste adriatica cucurrit plorans et dicens: Heu me, quia hodie desolata sum et appareo vidua! Jam non habeo, in quem perspiciam, nec in quem oculos meos levem. Nunc raptum est speculum meum, periit spes mea. Ammodo incepit dolor, qui finem non habet. Populus autem audiens hæc lacrimabiliter flebat. Tunc pontifex cum imperatoribus posuerunt corpus in honorato feretro et duxerunt in civitatem mediam, et nunciatum est populo, inventum esse hominem dei, quem civitas tota quærebat et omnes obviam currebant sancto. Si quis infirmus illud corpus sacratissimum tangebat, protinus curabatur, cæci visum recipiebant, dæmoniaci liberabantur et omnes infirmi a quacunque infirmitate detenti tacto corpore curabantur. Imperatores tanta miracula videntes cœperunt per se cum pontifice lectum portare ut et ipsi sanctificarentur ab eodem corpore sancto. Tunc imperatores jusserunt copiam auri et argenti in plateis spargi, ut turbæ occuparentur amore pecuniarum et sinerent corpus sanctum perduci ad ecclesiam, sed plebs amore pecuniarum deposito magis ac magis ad tactum sanctissimi corporis irruebat, et sic cum magno labore ad templum sancti Bonifacii martyris tandem ipsum perduxerunt, et illic per septem dies in laudibus dei persistentes operati sunt monumentum ex auro et gemmis pretiosisque lapidibus, in quo sanctissimum corpus cum magna veneratione collocaverunt. De ipso quoque monumento ita suavissimus odor flagravit, ut omnibus videretur aromatibus plenum. Obiit circa annum domini CCCXXVIII.

Moralisatio. Carissimi, Euphemianus iste potest dici quilibet homo mundanus, qui habet filium, quem miro modo diligit et quem studet die ac nocte promovere. Dat ei uxorem sive mundi vanitatem, in qua delectetur sicut sponsus cum sponsa, imo sæpius magis delectatur cum mundi vanitate, quam vir cum uxore, quia

sæpe propter mundana homo vitam suam amittit. Mater est mundus iste, qui miro modo diligit filios mundanos. Sed filius bonus sicut beatus Alexius magis studet deo placere per omnia, quam parentibus et mundi vanitatibus, ut poterit illud mereri, quod dicitur: Qui dimiserit agrum aut domum, patrem aut matrem aut uxorem propter me, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit. Alexius navim accepit etc. Navis ista est sancta ecclesia, per quam nos oportet ascendere, si volumus vitam æternam obtinere, et vestimenta pretiosa scilicet seculi pompas deponere, et inter pauperes id est humiles residere verbo et opere. Custos, qui eum in ecclesiam introduxit, est discretus confessor, qui habet peccatorem instruere et ad notitiam sacræ scripturæ introducere, ut melius poterit a nocivis animæ præcavere. Sed sæpe ventus surgit et ducit hominem ad patriam propriam, sicut fecit sancto Alexio. Ventus iste est tentatio diabolica, quæ nititur die ac nocte hominem a bono opere impedire. Si ergo sentias te per aliquam tentationem involutum, fac sicut fecit sanctus Alexius! Induas te forma peregrini, hoc est virtutes veri peregrini debes habere, ut non possis a patre carnali nec a mundo aliter cognosci, nisi quod homo dei sis. Sed sæpe cum talis vitam pœnitentiæ eligit, dolent parentes et multum tristantur, cum viderint filios eorum mundum spernere et paupertatem pro amore dei diligere. Sed tutius est, eos offendere, quam viam perfectionis derelinquere. Quære ergo cartam i. e. testimonium conscientiæ, quod deo fideliter ministrasti. Tunc venit summus pontifex cum imperatoribus i. e. Christus cum multitudine angelorum et ducent animam tuam ad ecclesiam sancti Bonifacii i. e. ad vitam æternam, ubi abundat omnis bonitas scilicet gaudium.

Cap. 16.

De vita exemplari.

Legitur de quodam imperatore romano construente sibi basilicam optimam et fodiens in fundamento palatii, invenit sarcophagum aureum tribus circulis circumdatum et super sarcophagum talis erat superscriptio: Expendi, donavi, servavi, habui, habeo, perdidi, punior; primo quod expendi habui, quod donavi habeo. Imperator cum hoc audisset, satrapas imperii vocavit et ait: Ite et inter vos consulite, quid ista superscriptio significet. At illi: Domine, nihil aliud erat superscriptio nisi istud: Erat unus imperator ante te, qui aliis exemplum dare volebat, ut ejus vitam sequerentur. Expendi vitam

meam recte judicando, alios regulando, me ipsum secundum rationem domando. Donavi militibus necessaria, pauperibus victualia et unicuique et mihi ipsi secundum merita. Servavi in omnibus operibus justitiam, indigentibus misericordiam, operantibus mercedem condignam. Habui cor largum et stabile et unicuique mihi servienti divitias dare in necessitate et gratiam omnibus omni tempore. Habeo manum ad donandum, manum ad protegendum et manum ad puniendum. Perdidi stultitiam, perdidi inimicorum amicitiam et perdidi carnis lasciviam. Punior jam in inferno, quia non credidi uni deo æterno. Punior heu, quia non est redemtio. Imperator cum hæc audisset et quamdiu vixit magis prudenter se ipsum et alios regulabat et sic in pace vitam finivit.

Moralisatio. Carissimi, imperator iste potest dici quilibet christianus, qui debet et tenetur construere basilicam i. e. cor suum deo paratum, ut ejus voluntatem per omnia faciat, et effodere cor suum per viam contritionis, et sic poterit sarcophagum aureum invenire i. e. animam deauratam virtutibus plenam mediante divina gratia cum tribus circulis aureis sive fide spe et caritate circumdatam. Quid ergo erit inscriptum? Certe primo: Expendi. Sed dic mihi, carissime, quid expendisti? Respondeat bonus christianus: Corpus et animam in dei servitio. Si quilibet vestrum sic vitam impendit, de magno præmio in vita æterna securus erit. Secundum est, quod scribitur: Servavi. Dic mihi, carissime, quid servasti? Respondeat bonus christianus: Cor contritum et humiliatum et domino in omnibus operibus præparatum pro voluntate sua ad faciendum quidquid ei placet. Tertium est, quod scribitur: Donavi. Dic mihi, carissime, quid donasti? Respondeat bonus christianus: Dilectionem deo ex toto corde et ex tota anima et ex tota mente et amorem proximo secundum divinum præceptum. In his duobus pendet lex et prophetæ. Quartum, quod scribitur est: Habui. Dic mihi, carissime, quid habuisti? Respondeat bonus christianus et dicat: Certe miseram vitam, quia in peccato conceptus et in peccato originali natus et de vili materia plasmatus. Quintum, quod scribitur, est: Habeo. Dic mihi, carissime, quid est, quod habes? Respondeat bonus christianus: Certe baptismum, et factus sum Christi miles, ubi eram servus diaboli per virtutes, quas mihi deus dedit in baptismo. Sextum, quod scribitur, est: Perdidi. Dic mihi, carissime, quid est, quod perdidisti, certe per dei gratiam? Respondeat bonus christianus: Omnia delicta, quæ contra dominum commisi, per pœnitentiam emendavi, quia pœnitentia mundat nos a peccatis. Septimum, quod scribitur, est: Punior. Dic mihi, carissime, quare

dicis: Punior? Respondeat bonus christianus: Quia pro delictis et peccatis meis semper affligitur spiritus meus et caro pœnitentiam patitur. Octavum, quod scribitur, est: Quod expendi, habui. Dic mihi, carissime, quid est illud? Respondeat bonus christianus: Expendi tempus meum in operibus misericordiæ per gratiam, quam accepi a domino meo Jesu Christo. Nonum, quod scribitur, est: Quod donavi, habeo. Dic mihi, carissime, quid donasti, quod jam habes? Respondeat bonus christianus: Certe donavi toto tempore vitæ meæ consilium et assensum et totam voluntatem meam in voluntatem prælati mei. Ideo in cœlo habeo vitam æternam.

Cap. 17.

De perfectione vitæ.

Quidam imperator statuit pro lege, quod, quicunque volebat ei ministrare, ministerium ab eo obtineret, ita quod tres ictus in porta palatii daret, per quos cognosceretur, quod ministerium desideraret. Accidit casus, quod erat quidam pauper in civitate romana nomine Guido. Qui cum de lege audisset, intra se cogitabat: Pauper sum et de vili sanguine productus. Melius est mihi, ministrare et divitias acquirere, quam sic semper vivere in egestate. Accessit ad palatium, tres ictus secundum legem in porta dedit, janitor statim ostium aperuit et eum introduxit. Ille vero flexis genubus imperatorem salutavit. Ait ei imperator: Dic mihi, carissime, quid petis? Domine, servitium. Qui ait: De quo ministerio scires mihi ministrare? At ille: Domine, de sex ministeriis sum expertus. Primum ministerium: scio corpus magni principis die ac nocte custodire, lectum ejus parare, cibaria ei præparare, pedes ejus lavare. Secundum ministerium est: scio vigilare, quando alii dormiunt, et dormire, quando alii vigilant. Tertium ministerium est: scio bonum potum gustare et secundum gustum quemlibet potum judicare. Quartum est: scio invitare homines ad convivium ad honorem invitantis. Quintum ministerium est: scio ignem facere sine fumo, circumstantes et sedentes calefacere. Sextum ministerium est: scio homines docere bonam viam versus terram sanctam, sic quod cum sanitate redibunt. Ait imperator: Ista sunt pulchra ministeria et multis utilia. Mecum remanebis et primo experiri volo de corpore meo. Corpus meum custodies isto anno. Ait ille: Domine, presto sum, voluntati vestræ satisfacere. Guido omni nocte lectum satis honeste paravit, linteamina lavit et sæpius mutavit singulis noctibus. Ante ostium cameræ

armatus jacuit, habensque secum parvum caniculum bene latrantem, ut si casu aliquo dormiret, et aliquis subito veniret, per latratum canis excitatus esset. Semel omni hebdomade pedes ejus lavit, in omnibus tam prudenter et utiliter ei ministravit, quod in nullo defectus inveniri posset, unde imperator per omnia eum laudavit. Finito anno eum senescalcum fecit, ut impleret secundum servitium suum scilicet: Scio vigilare. Guido iste sic institutus per totam æstatem laborabat et vigilabat et omnia necessaria pro hieme providit. Dum vero adesset hiems et alii inciperent vigilare et laborare, ipse vero quiescens dormiebat sic quod implevit secundum ministerium suum scilicet: Scio vigilare, quando alii dormiunt. Imperator cum vidisset quod tam prudenter duo ministeria complevisset, gavisus est valde. Vocavit pincernam et ait ei: Carissime, ponite in calice meo acetum, vinum optimum et mustum, et detis Guidoni ad bibendum, quia istud est tertium ministerium suum; scit enim gustare bonum potum. Et sic factum est. Dum autem gustasset, ait Guido: Fuit bonum, est bonum, erit bonum; hoc est dictum: mustum erit bonum, vinum est bonum, acetum fuit bonum. Imperator cum vidisset, quod tam prudenter judicasset potum, dixit ei: Carissime, vade per regna et castra et invita omnes amicos meos ad cõnvivium, quia jam instat festum natalis domini, quia hoc est quartum ministerium tuum. Ait ille: Domine, presto sum. Perrexit igitur per castra et regna et nullum amicum imperatoris invitabat, sed omnes inimicos ejus. Itaque in vigilia natalis domini aula imperatoris de inimicis impleta esset. Imperator cum omnes inimicos suos vidisset, commota sunt omnia viscera ejus, vocavit Guidonem et ait ei: Carissime, nonne mihi dixisti, quod scires homines invitare ad convivium? At ille: Etiam, domine. Cui imperator: Et ego dixi tibi invitare omnes amicos meos et tu invitasti inimicos. At ille: Domine, licitum est mihi respondere? Quocunque tempore vel quacunque hora in anno amici tui ad te venerint, cum gaudio recipiuntur. Non sic est de istis, quia sunt inimici tui. Unde eos huc duxi ut per bonum vultum et per bonum convivium de inimicis fiant amici. Et sic factum est; antequam erat convivium factum, facti sunt omnes amici ejus. Imperator gavisus est valde et ait: Carissime, benedictus dominus! Inimici mei facti sunt amici. Impleas quintum ministerium tuum! Fac mihi et amicis meis ignem sine fumo! At ille: Domine, presto sum. Quid fecit ille Guido? In æstate ligna ponebat in ardore solis, et tantum erant desiccata, quod quam cito ardere inceperunt, statim dabant ardorem flammæ sine fumo, ita quod calefactus est imperator cum omnibus amicis suis. Deinde ait imperator Guidoni:

Jam restat ultimum ministerium. Si hoc prudenter adimpleveris, te ad divitias et honorem promovebo. At ille: Domine, quotquot voluerint ad terram sanctam pergere, ad litus maris me sequantur. Viri, mulieres ac parvuli hæc audientes quasi infiniti secuti sunt. Cum autem illic venisset, ait populo: Carissimi, videtis in mari ea, quæ ego video? At illi: Ignoramus. At ille: Ecce in mari rupes est magna. Levate oculos et videte! At illi dixerunt: Domine, nos satis aperte vidimus, sed, cur hoc dicitis, ignoramus. At ille: In illa rupe est quædam avis continuo in nido suo residens, quae semper habet in nido septem ova, in quibus multum delectatur. Natura avis est talis: quamdiu in nido residet, totum mare est tranquillum; sed si contingat, avem extra nidum volare, totum mare perturbatur intantum, quod, si tunc aliquis mare pertransierit, sine dubio submergetur; sed quamdiu residet in nido, si quis tunc transiret, sine periculo ibit et rediret. Et illi: Quomodo poterimus scire, quando avis residet in nido suo et quando non? At ille: Nunquam nidum dimittit, nisi propter unam causam. Est enim alia avis, quæ est inimica ejus, quæ die ac nocte laborat, ut ejus nidum fœdet ac ova ejus violet. Avis vero, quæ est in nido, cum viderit ova fœdata aut nidum deturpatum, statim extra nidum præ dolore volat et tunc mare perturbatur et ventus valde impetuosus excitatur. Et nullo modo tunc temporis ad mare intrandum festinare debetis. At illi dixerunt: Domine, et quod remedium poterit ad hoc fieri, quod avis, quæ est inimica, non appropinquat nido suo et sic per consequens poterimus secure transire? At ille: Non est res sub cœlo, quam illa avis, quæ est inimica, tantum odit, sicut sanguinem agni. Nidum exterius et interius cum dicto sanguine aspergite, et quamdiu ibi gutta una illius sanguinis remaneat, avis, quæ est inimica, nunquam audet nido ejus appropinquare, et sic avis in nido suo remanebit et tunc mare erit in tranquilla pace et poteritis ad terram sanctam transire et secure redire. Ista audientes sanguinem agni acceperunt et nidum interius et exterius cum dicto sanguine aspergebant et ad terram sanctam perrexerunt et sani et incolumes redierunt omnes. Imperator videns, quod omnia negotia tam prudenter adimplevisset, eum ad militiam et divitias magnas promovit.

Applicatio. Carissimi, imperator iste est pater cœlestis, qui legem edidit, ut quicunque tres ictus in porta dederit scilicet orationem jejunium et elemosynam, in introitu ecclesiæ militantis miles poterit esse et per consequens vitam æternam obtinere. Guido pauper potest dici quilibet homo pauper et nudus de utero matris suæ,

egressus, quid dat tres ictus in ecclesiæ porta, quando baptismum petit. Unde quilibet christianus deo promittit de sex ministerijs ministrare. Primum est custodire corpus principis i. e. Christi. Et quomodo? Sicut fecit Guido. Primo debet esse ornatus bonis virtutibus, ne aliqua tentatio intret cameram cordis sui et offendat dominum nostrum Jesum, et parvum caniculum bene latrantem habeat i. e. conscientiam sanam, quæ continue contra vitia murmurat. Et ideo dicit apostolus: Omne, quod fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam. Secundum est, lectum cordis bene præparare et per opera misericordiæ linteamina mutare i. e. vitia in virtutes omnino variare et sordes peccatorum lavare per cordis contritionem et cameram cordis sui semper mundam custodire, ut nil sit, quod offendat oculos principis s. corporis domini nostri Jesu Christi, cui corpori nos obligamur munde servire, deinde bis in hebdomada pedes lavare sc. per confessionem et satisfactionem et per bonas affectiones ei placere. Istud est primum ministerium, quod promittit quilibet christianus in baptismo deum secum munde custodire. Sed est advertendum de corpore istius principis sc. domini ab illis, qui sub specie panis digne debent sumere et custodire ex proprietatibus panis visibilis attendant. Est igitur hostia inscripta, ut sic notetur, quod omnes debent esse inscripti, qui per eucharistiam sunt reficiendi. Illi autem sunt inscripti, in quorum cordibus per veram fidem inscriptum est nomen Christi, ut a Christo dicantur christiani. Unde dicit dominus per Jeremiam: Scribam legem meam in cordibus eorum. Prima autem lex, qua cum deo obligamur, est fides, secunda spes et tertia caritas. Item hostia post literas circulum continet, in quo notatur æternitas, quæ nec principium nec finem habet. Item hostia latitudinem habet, quæ caritatem figurat, quæ circumquaque dilatatur. Item hostia est tenuis et sicca, per quam notatur duplex abstinentia, per tenuitatem ciborum parcitas, per siccitatem contra humidorum superfluitatem sobrietas; potatores autem hujus sint sobrii. Qui igitur pane prædicto volunt refici, sint inscripti per fidem, circulum habentes per æternorum contemplationem, dilatati per caritatem. Item hostia est alba: sic et nos contra luxuriam. Item est levis: sic et nos contra accidiam. Item modica i. e. humilis contra superbiam. Si autem tales sumus, tunc panem nostrum quotidianum nobis ad utilitatem nostram dari petimus; alioquin non pro nobis, sed contra nos est, quoniam dicit apostolus prima ad Corinth. XI: Qui manducat indigne, judicium sibi manducat. Item hostia est azima sine fermento contra amaritudinem invidiæ, quæ spiritualiter nequitia dicitur. Unde apostolus I ad Cor. XI: Epulemur non in fermento

malitiæ et nequitiæ, sed in azimis sinceritatis et veritatis. Item frumenticea est et hoc contra iram. Granum enim frumenti leve est et planum sine asperitate, sed hominem vehementer exasperat, ita quod propter suam asperitatem vix aliquis eum tangere audeat. Item hostia est impermixta et uniformis et hoc contra cupididatem et avaritiam. Item rotunda est contra accidiam. Sicut enim panis naturalis præ ceteris cibis corpus reficit et sustentat et vinum præ ceteris potibus hominem lætificat et inebriat, sic caro Christi præ ceteris interiorem hominem reficit et saginat et sanguis præ ceteris lætificat et sic inebriat, ut sobrium reddat. Unde ps.: Calix meus inebrians, quia præclarus est. Item panis est cibus generalis et vinum potus usualis omnibus et omni tempore. Sic Christus se in cibum omnibus fidelibus et omni tempore exhibet pauperibus et divitibus sine acceptatione, propter quod et panis quotidianus dicitur. Item panis, sicut dicunt philosophi, præcipue habet virtutem nutriendi, cujus signum est, quia ejus comestio non parit fastidium comedendi. Sic est panis Christi, de quo Eccles. XXIV: Qui edunt me, adhuc esurient. Item sicut panis triticeus est cibus adultorum, non parvulorum, sicut dicit apostolus, ita corpus Christi est cibus spiritualis eorum, qui creverunt in fide et virtutibus. Deinde quæritur: Qui debent comedere istum panem? Certe illi, de quibus dicitur in evangelio: Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Deinde quæritur: Quomodo panis Christi potest converti in corpus Christi? Ecce ratio est nutrix, quæ nutrit puerum. Si nutrix famem pateretur et lacte careret, puer inediam sustineret vel cito deficeret. Si vero in tanta penuria dentur ei feces ad bibendum, illæ feces per os potatæ mutantur in sanguinem ad robur mulieris et in lac ad nutriendum puerum. Et si hoc facit natura in muliere, quanto magis virtus supra naturam in sacramento altaris. Per os sacerdotis loti i. e. Christi, per verba de ore exeuntia mutatur panis in carnem et vinum in sanguinem. Sed de indigne sumentibus potest dici illud Genes.: Fera pessima devoravit filium meum. Ps.: Os peccatoris et dolosi super me apertum est. Vinum est sanabile homini sano vel infirmativum homini ægroto, imo poterit esse causa mortis. Eodem modo corpus Christi animæ sanæ est vita, animæ peccatrici est mors. Item percussi sunt de Bethsamitis LXX viri famosi et duo millia plebis, eo quod vidissent archam nudam. Et potest dici, quod non peccarunt videndo, quibus non erat prohibitum videre. Videamus ergo, ut munde et honeste custodiamus corpus principis i. e. Christi. Secundum ministerium, quod promisimus, est vigilare in bonis operibus, quando alii

dormiunt in peccatis, sicut scriptum est: Vigilate, quia nescitis, qua hora filius hominis veniet. Et Paulus dicit ad Ephes.: Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis! Illuminabit te Christus. Unde, carissimi, debitis scire, quod viatores aliqui surgunt ad primum galli cantum, aliqui ad secundum et aliqui ad tertium et aliqui in aurora, quando pulli clamant et dicunt: Non est amplius dormiendum! Ecce pulli clamant: Surgamus! Primi galli fuerunt prophetæ, qui surrexerunt, ut Christum in carne viderent, et non viderunt. Secundi galli sunt apostoli et evangelistæ, qui Christum viderunt. Tertii galli sunt prædicatores et alii qui verbum dei prædicant. Isti sunt pulli, qui clamant et dicunt: Surgite! vigilate! sicut domino promisistis in bonis operibus. Dormite, quando alii vigilant, hoc est a peccatis cessate, quando alii in malis operibus vigilant, sicut latrones fures et luxuriosi. Vigilate in æstate i. e. cum vita vestra fuerit in corpore, et provideatis omnia necessaria pro animabus vestris, ut cum hiems mortis advenerit, poteritis cum domino feliciter requiescere. Tertium ministerium est gustare bonum potum. Potus iste est pœnitentia sive martirium pro dei amore. Unde salvator Matth.: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? At illi: Possumus, scil. calicem pœnitentiæ aut martyrii. Fuit bonum tempore suo acetum i. e. bonum erat sanctis in cœlo, qui in hoc mundo vixerunt, qui pœnitentiam fecerunt, carnem suam domabant. Et ideo in cœlo jam regnant. Est bonum vinum; scil. hoc est dictum: bonum est nobis, ut pœnitentiam agamus, per quam poterimus ad æternam gloriam pervenire. Erit bonum scilicet quando caro cum spiritu in die judicii resurget et vitam æternam intrabit. Dominus habet unam tabernam de optimo vino scilicet cœleste gaudium, et signum pulcrum ante tabernam scilicet crucem. Sed quando ita est, quod multitudo ementium confluit, tunc tabernarius care vendit vinum, et quando cessant emendi venientes, tunc oportet quod vendant pro levi pretio, vel quod retineat omnino sibi. Dominus vero post resurrectionem suam communicavit vinum suum mittendo spiritum sanctum, et tunc confluxerunt euntes catervatim, scilicet per prædicationem apostolorum et aliorum sanctorum conversi sunt ad fidem, et tunc tabernarius id est dominus noster Jesus Christus care vendidit vinum suum id est gloriam paradisi. Nonne Petrus, qui crucifixus fuerat, valde care emit illud vinum, et Paulus et Laurentius cæterique martyres, qui morti tradiderunt corpora sua pro fide Christi sustinenda et multiplicanda? Sed modo cessat multitudo ementium, et ideo oportet quod Christus pro levi pretio vendat gloriam suam vel omnino retinebit sibi. Et ideo gustemus in præsenti

vita potum pœnitentiæ, ut perveniamus ad bravium vitæ æternæ Quartum ministerium est invitare homines ad convivium. Ille invitabat inimicos etc. Sic quilibet nostrum tenetur invitare inimicos Christi ad vitam æternam; juxta illud: Non veni vocare justos, sed peccatores. Sic tu debes per bona exempla et opera peccatorem instruere et deo reconciliari. Sed aliqui peccatores sunt lapides molares, qui non poterunt de levi moveri, imo sunt quasi catenati; sicut Herodes misit Petrum in carcerem et in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus duabus catenis et custodes ante ostium custodiebant carcerem. Act. XII. Dormitio Petri potest figurare dormitionem peccatorum in peccati consuetudine. Duo milites possunt dici mors et diabolus, quia mors insidiatur vitæ et diabolus animæ. Duæ catenæ sunt voluptas carnalis et vanitas temporalis. Custodes possunt dici spes levioris veniæ et præsumtio longioris vitæ; et quando diabolus sic tenet peccatorem, tunc habet eum in pace. Ideo cum summa custodia laborandum est verbo et opere, tales ad convivium æternum invitare. Quintum ministerium est ignem facere sine fumo. Ignis iste est caritas, quam quilibet tenetur habere, si desiderat æternam vitam obtinere, et hoc sine fumo iracundiæ, ut aliud non ostendas in ore, quam sit in corde sicut multi dicunt se aliquos diligere et odium habent in corde. Ista non est vera caritas, sed est ignis plenus fumo; unde oportet odium ex corde expellere. In figura hujus dicitur secundum Plinium: Est quidam piscis qui transglutit hami partes interiores scilicet omnia interiora sua foras per os evomit donec hamus exeat, et deinde reducit ad loca sua. Sed sic videtur peccator iram vel odium sive aliquod peccatum cum incidit tanquam hamum deglutire. Ecclesiastes IX: Sicut pisces capiuntur hamo et sicut avis comprehenditur laqueo, sic capiuntur homines tempore malo. Debet ergo tunc per os omnia interiora dejicere, donec exeat hamus, odium scilicet vel peccatum aliud, quia omnia interiora revelanda sunt, scilicet per confessionem, donec perfecte liberetur a peccato, et tunc poterit ignem sine fumo præparare, per quem deus erit calefactus, scilicet contentus. Sextum ministerium est, docere homines viam versus terram sanctam, scilicet cœlum, sed ad cœlum oportet per mare transire. Mare dicitur mundus iste propter multas rationes. Primo, quia sicut in mari est conflictus ventorum, ita et in mundo conflictus multiplex est bellorum. Item sicut in mari est tempestas fluctuum, ita et in mundo inundatio adversitatum. Item sicut in mari est amaritudo aquarum, ita et in mundo amaritudo vitiorum. Et sicut in mari profunditas aquarum, ita et in mundo profunditas miseriarum. Et sicut in mari

belluarum est immanitas, ita et in mundo principum severitas. Item oportet propter ista pericula et multa alia pertransire per navem. Tamen solent homines propter quatuor navem ascendere. Primo propter diluvium, Gen. IX. Sic nos debemus propter diluvium vitiorum, unde Hos. IV: Mendacium, maledictum, homicidium et furtum et adulterium inundaverunt et sanguis sanguinem tetigit, propter quod lucebit tibi infernus et omnia, quæ habitant in eo, et ideo necesse est nobis navem ascendere bonæ vitæ. Secundo ascenditur navis ad transfretandum, Matth. IX: Ascendit Jesus et transfretavit. Sic et nos volumus in civitatem venire, non habemus hic manentem civitatem. Ideo necesse est navem ascendere. Stultus est qui debet mare transire per navem et non vult navem ascendere. Stultus est, qui habet tempus congruum et differt, quia a mane usque ad vesperam immutabitur. Stulti autem sunt, nautis clamantibus: Intrate! qui tunc differunt. Tertio ascenditur navis ad mercandum. Prov. ultimo: Facta est quasi navis institoris. Et anima sancta est quasi navis bona, quæ abundat in terris scilicet quæ sunt gemitus, suspirium, paupertas, humilitas, caritas, quæ bona venit dominus noster Jesus Christus quærere in terra nostra. Et quando anima nostra sic onerata venit ad portum, optime recipitur a domino terrae, et bonis acceptis onerat illam navem bonis patriæ scilicet honore et divitiis. Quarto ascenditur navis ad piscandum, sicut Petrus. Sic debemus ascendere navem ad piscandum peccatores de aqua peccatorum attrahendo eos bonis operibus et exemplis. Cavendum tamen nobis est, ne si nimis lucro aliorum intendamus et negligentes nosmet ipsos submergamus, sicut contingit aliquando piscatoribus. Sed sunt multi non piscatores sed prædones, qui submersos quærunt, non ut eos eripiant, sed ut vestes quærant et, quod pejus est, homines navigantes propter spolia submergunt. Isti et aliquando sunt, qui navem dei regendam recipiunt. Unde est notandum, quod ad salvationem navis in magna tempestate alius navem exonerat, alius aquam exhaurit, alius ancoram jacit, alius velum deponit, alius gubernaculum tenet, alius navigando undas suas separat, et ita nullus est otiosus, sed quilibet de sua salute sollicitus, et sic navis salvatur et non perit. Ista spiritualiter ad tentationis evasionem debent hic fieri et sic salvabitur a periculo mortis æternæ. Sed qui in aliquo istorum negligens fuerit, peribit. Unde Paulus ad Timoth. I: Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum et tentationem, in interitum et perditionem. Si ergo vis salvari, exonera cor tuum divitiis, quæ sunt valde grave onus. Secundo humilitas animæ navem exhaurit, aquam peccati linguæ evacuatoriæ ejiciendo juxta illud Jeremiæ:

Effunde sicut aquam cor tuum! Tertio rupturas obstruit, qui enim timet, nihil negligit. Hic obstruit foramina sensuum, per quæ absconditur mors. Iste autem timor oritur ex consideratione divinæ potentiæ, et justitia judicis ex defectu advocati vel testimonii et ex multitudine accusantium. Unde Joh. IX: Si fortitudo quæritur, robustus est, si æquitas judicii, nemo audet pro me testimonium reddere. Si justificare me voluero, os meum condemnat me in conscientia quæ semper loquitur. Quarto spes ancoram jacit. Quinto sapientia velum deponit. Sexto prudentia regit gubernaculum ut verte funem dirigit. Septimo justitia undas separat. Navis est anima sancta, cujus merces sunt opera caritatis, funes divina præcepta, malus patientia, velum perseverantia, ancora fides, gubernaculum caritas, gubernator spiritus sanctus, nautæ ducentes navem exempla sanctorum. De tali nave scribitur Proverb. XXXI: Facta est quasi navis institoris, in qua sunt omnia ista. Navis ista portat poma id est opera sancta redolentia coram deo et hominibus, de quibus debes facere exuvium ipsi deo. Et sicut poma dantur post prandium in delectationem et in solatium, ita fructus et fruitio bonorum operum dabitur nobis in cœlo post hanc vitam. In mari scilicet in mundo est rupes magna scilicet corpus humanum ex quatuor elementis compositum, et in isto corpore est nidus scilicet cor humanum, in quo corde avis scilicet spiritus sanctus per virtutem baptismi residet, qui continue habet septem ova scilicet septem dona spiritus sancti. Quamdiu avis ista scilicet spiritus sanctus in corde tuo residet, secure transire poteris ad terram sanctum id est ad vitam æternam. Sed si contingit avem per peccatum extra nidum volare, mare id est mundus, diabolus, caro propria erunt contra te et surgent tempestates graves, quas evadere non potes, et ideo oportet te cor tuum bene et munde præparare ad modum domus materialis. De domo tollitur fuligo, per quam significatur amaritudo peccati, quæ tolli debet. Item tollendus est pulvis id est amor terrenorum, in quo maxime nutriuntur pulices id est superbi saltantes. Item mulier mundans domum purgat et congregat pulveres et post ejicit per ostium et post aream mundatam apponit aquam et tandem sacramentum. Sic volens mundare domum id est cor congregat pulverem cogitando omnia mala quæ fecit et omnia bona quæ amisit, post emittat per plenam confessionem, apponat aquam per lacrimarum effusionem, ornet domum sacramento per dignam satisfactionem et sic in domo bene præparata libenter hospitabitur dominus, unde videmus, quod ex adventu boni hospitis tota domus emundatur, sed eo recedente non remanet de bonis ejus in domo nisi fimus

jumentorum. Sic ex adventu dei per gratiam sustentatur corpus et anima sed recedente gratia ejus, non remánet nisi fimus id est temporalia, quia quanto plus amplectitur quis fimum in brachiis, tanto minus habet de eo nec fortior efficitur. Ergo quanto quis plus amat divitias etc. Unde Eccles.: Qui amat divitias, fructum non accipiet de eis. Nihil pejus, quam amare pecuniam. Avis, quæ est inimica, est diabolus, qui circuit quærens, quem devoret, qui die ac nocte nititur spiritum sanctum a cordibus nostris expellere per peccatum. Si velis spiritum sanctum tecum habere, fac sicut fecit Guido. Aspergaš nidum cum sanguine agni id est semper debes habere recentem memoriam in corde tuo de Christi passione, quam propter te sustinuit, et sic avis inimica id est diabolus sine dubio non audebit ad te appropinquare, et per consequens spiritus sanctus remanebit in te et poteris secure ad terram sanctam id est vitam æternam pervenire, ad quam nos perducat, qui sine fine vivit etc.

Cap. 18.

Quod omne peccatum, quamvis prædestinatorie gravissimum, nisi desperationis baratro subjaceat, sit remissibile.

Quidam miles erat nomine Julianus, qui utrumque parentem nesciens occidit. Cum enim Julianus iste nobilis ac juvenis quadam die venationi insisteret, et quendam cervum repertum insequeretur, subito cervus versus eum se vertit atque dixit: Tu me insequeris, qui patris et matris tuæ occisor eris. Quod ille audiens vehementer extimuit, ne forte sibi contigerit quod a cervo audierat. Relictis omnibus clam decessit et ad regionem valde remotam pervenit, ibique cuidam principi gratulanter adhæsit. Ille vero tam strenue ubique tam in bello quam in palatio se habuit, quod princeps militem eum fecit et quandam castellanam viduam in conjugem ei tradidit et castellum pro dote accepit. Tunc parentes Juliani pro amissione filii nimium dolentes vagabundi ubique pergebant et filium suum sollicite quærebant. Tandem ad castrum, ubi Julianus præerat, venerunt. Quos cum uxor Juliani videbat et Julianus non affuerat, quinam essent inquisisset, et illi omnia, quæ filio suo acciderant, enarrassent, intellexit, quod parentes viri sui essent, utpote quæ hæc a viro suo frequenter forte audierat. Ipsos igitur benigne suscepit et pro amore viri sui lectum suum eis dimisit et ipsa sibi lectum alibi præparabat. Facto autem mane castellana ad ecclesiam perrexit et ecce Julianus mane veniens in thalamum quasi excitaturus

uxorem suam intravit, duos pariter dormientes invenit, uxorem cum adultero suspicatur, silenter extracto gladio ambos pariter interemit. Exiens autem domum vidit uxorem ab ecclesia redeuntem et admiratus interrogavit, quinam essent illi, qui in lecto suo dormirent. At illa ait: Parentes vestri sunt, qui vos diutissime quæsiverunt et eos in nostro thalamo collocavi. Quod ille audiens, pæne exanimis effectus amarissime cœpit flere et dicere: Heu miser quid faciam, quia dulcissimos parentes meos occidi. Et ecce impletum est verbum cervi, quod, dum vitare volui, miserrimus adimplevi. Jam nunc vale, dulcissima soror, quia de cetero non quiescam, donec sciam, quod deus pœnitentiam meam acceperit. Cui illa: Absit, dulcissime frater, ut me deseras et sine me abeas, sed quæ fui tecum particeps gaudii, ero particeps et doloris. Tunc insimul recedentes juxta quoddam magnum flumen, ubi multi periclitabantur quoddam magnum hospitale statuerunt, ut ibi pœnitentiam facerent, et omnes, qui vellent flumen transire, incessanter transveherent et hospitio universos pauperes reciperent. Post multum tempus media nocte, dum Julianus fessus quiesceret et gelu grave esset, audivit vocem lamentabiliter clamantem ad Julianum, ut se traduceret voce lugubri invocantem. Quod ille audiens, concitus surrexit et jam præ gelu ipsum deficientem invenit et in domum suam portavit, et ignem accendit et ipsum calefacere studuit, sed cum calefieri non potuisset, et, ne ibi deficeret, timens, ipsum in lectum suum portavit et diligenter cooperuit. Post paululum ille, qui sic infirmus et quasi leprosus apparuit, splendidus ad cœlum scandit, et hæc hospiti sui dixit: Juliane, dominus misit me ad te, mandans tibi, quod tuam pœnitentiam acceptavit et ambo post modicum in domino requiescetis, sicque ille disparuit, et Julianus cum uxore sua post modicum plenus operibus bonis et elemosynis in domino requievit.

Moralisatio. Carissimi, iste miles Julianus potest dici quilibet christianus bonus et prælatus, qui debet debellare viriliter contra diabolum, mundum et carnem, et debet venationi insistere, scl. deo animas acquirere, sequi cervum i. e. Christum. Unde Ps.: Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum etc. Si vero fideliter prælatus sequitur Christum, audire potes et videre in sacra scriptura quod debes parentes tuos occidere i. e. propter dei amorem illos simpliciter relinquere, juxta illud: Qui dimiserit patrem et matrem propter me, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit. Miles iste perrexit in regionem longinquam etc. Sic praelatus in regionem longinquam, hoc est longe transire debet a mundo et ab illis, qui in mundo sunt, sancte et pure vivendo, et servire principi sc.

Christo, et cum eo diversa bella committere contra diabolum, mundum et carnem. Christus cum perceperit sic militem suum triumphare, dabit tibi uxorem castellanam sc. gratiam suam, quæ custodiat castrum cordis tui, ut poteris deo per omnia placere. Sed sæpius contingere videmus, quod parentes carnales et mundi vanitates talem sequuntur ipsum ad malum instigando, et ponuntur in cordis tui lecto te probare, sicut fecerat Job; sed resistito fortiter, et cum gladio pœnitentiæ eas deleas, ut dicitur in figura hujus, quod Absolon persequens patrem per capillos suspensus est in quercu, et Joab infixit tres lanceas in corde suo. Quercus ista est concupiscentia, capilli carnalia desideria, vulnus transiens est caro moriens, Joab diabolus, tres lanceas dum vivit, sc. cogitationes, operationes et consuetudines infigit, et in morte tres angustias, sc. iram dei, quem offendit, carentiam cœli, quod amisit, pœnam infernalem, quam meruit. Istos parentes debes occidere gladio pœnitentiæ, et post hæc ad flumina sacræ scriptura pergere et ibi domum salutis erigere sc. orationem, jejunium et elemosynam perpetrare, et sic per consequens Deum in lecto cordis tui poteris requirere et ad vitam aeternam pervenire ad quam etc.

Cap. 19.

De peccato superbiæ.

Legitur in gestis romanorum, quod erat quidam princeps Romanorum nomine Pompejus. Hic duxerat filiam cujusdam nobilis, qui Cæsar vocabatur. Hi duo convenerunt inter se, quod totius orbis dominum suo imperio subjugarent. Accidit, ut Pompejus mitteret Cæsarem ad expugnandum plagas diversas, quia juvenis erat et ipsum decuit laborare, ipse autem tanquam principalis civitatem romanam a plagis illis custodiret, præfixit tamen sibi terminum redeundi sub spatio quinque annorum; quod si non faceret, jure suo perpetuo privaretur. Cæsar autem exercitum collegit et ad illas partes perrexit. Inveniens homines bellicosos, quos non poterat in præfixo termino superare, mallens Pompejum offendere quam bellum dimittere, ex capite proprio alienavit se aliis quinque annis; quod graviter portabat Pompejus, interdixit sibi civitatem romanam ita, quod non auderet ad eum ulterius appropinquare. Cæsar vero finito bello iter arripuit versus Romam, venit per quandam aquam cum exercitu suo, quæ quidem aqua vocabatur Rubicen, et ibi apparuit ei quædam imago magna stans in medio aquæ et loquebatur ei dicens:

Cæsar, si venias pro pace romana, liceat tibi usque huc venire, sin autem, non præsumas intrare. Cui Cæsar respondit: Semper militavi et paratus sum, omnes labores sustinere pro honore et commodo civitatis romanæ ampliando, et semper volo, diis meis testibus, quos adoro. His dictis imago disparuit. Post hæc statim Cæsar percusso dextrario flumen transivit, sed cum pertransito flumine stetisset ex alia parte, mox ait: Hic pace temerata, quia jura relinquo. Et ab illo die non cessavit, Pompejum persequi, et, in quantum potuit, destruere nitebatur.

Moralisatio. Carissimi, per hunc senem Pompejum intelligitur deus creator omnium, qui semper fuit ab initio et erit sine fine. Per Cæsarem intelligo Adam, qui fuit princeps omnium hominum, cujus filiam i. e. animam deo desponsavit in fidem. Oseæ II: Desponsabo te mihi in fide. Deus igitur volens probare Adam, posuit eum in paradisum, ut operaretur et custodiret illud. Qui statim de statu suo superbiens, volens suæ uxori placere et diabolo acquiescere, unicum præceptum, quod deus ei dederat, violabat; propter quod deus eum expulit non solum de paradiso sed etiam de cœlesti imperio. Adam tamen sperans se posse recuperare, quod perdiderat, ad hoc postea, in quantum potuit, laborabat, sed vere attingere non valebat usque ad adventum domini nostri Jesu Christi, imaginis nostri, qui apparuit baptisatus in aquis Jordanis. Dominus vero et salvator noster dixit omnibus nobis ad cœlum tendere volentibus, Joh. III: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto etc. Multi autem cum veniunt ad hanc aquam, promittunt coram testibus, deo servire et peccata vitare, viriliter contra diabolum pugnare. Sed heu, proh dolor, et timeo et timendum est de multis, quod cum fecerunt vota sua, obliviscuntur et præcepta contemnunt. Sicut Absolon III regum, postquam fuerat reconciliatus patri suo David, occiderat fratrem suum. Videns, quod populus pronus erat ad constituendum eum regem, dixit patri suo: Vadam et reddam vota mea domino, quæ vovi domino meo in Ebron. Et dixit ei pater suus: Vade in pace. Perrexitque in Ebron, et populus constituit eum regem. Ab illo die usque in diem mortis non cessavit persequi patrem suum. Sed Cæsar et Absolon interfecti sunt a servis suis. Eodem modo mali christiani non desistunt, deum patrem persequi per mala opera eorum; ideo tradentur ministris gehennarum, quos timebant et colebant. Sed attendite, postquam Absolon occiderat fratrem suum, fuit exaltatus, et Cæsar, postquam fregerat præceptum Pompeji. Sed Joab faciens pacem inter ipsum et patrem, reduxit eum, sed videns honorem suum, impugnavit patrem, et colligens

sibi gentem, constituit se regem. Sed in bello suspendit se ipsum per crines. Et Joab, qui fecerat pacem inter ipsum et patrem, infixit tres lanceas in cor ejus. Iste Absolon signat peccantem mortaliter, qui occidit fratrem suum i. e. animam suam. Christus autem fecit pacem, sed multi reconciliati accipiunt bellum contra deum. Et tunc venit Christus, qui pacem fecerat et figit tres lanceas in cor peccatoris. Prima est separatio a deo, secunda est maledictio, tertia est ignis æternus.

Cap. 20.

De miseria et tribulatione.

Conradus regnavit, in cujus imperio erat quidam comes nomine Leopoldus, qui, iram regis metuens, cum uxore sua in silvam fugiens, in quodam tugurio latitabat. In qua silva memorata dum Cæsar Conradus venaretur nocte superveniente, in eodem tugurio ipsum oportuit hospitari. Cui hospita prægnans vicina existens partui decenter, ut potuit, stravit et necessaria ministravit. Eadem nocte mulier filiam peperit et Cæsar vocem audivit dicentem: Accipe, accipe, accipe. Expergefactus ipse a somno totusque timidus et tremefactus ait intra se: Quid signat ista vox: Accipe, accipe, accipe? Quid debes accipere? cogitabat et statim obdormivit. Et ecce secunda vice audivit vocem dicentem ad ipsum: Redde, redde, redde. Cæsar expergefactus a somno contristatus est valde et ait inter se: Quid est hoc? primo audivi: Accipe, accipe, accipe, et nihil accepi; modo dicit: Redde, redde, redde! Quid debeo reddere, exquo nihil accepi? Cæsar iterum incepit dormire. Et ecce tertia vice audivit vocem dicentem sibi: Fuge, fuge, fuge, quoniam hic puer primogenitus gener tuus erit. Cæsar vero cum talia audisset, commota sunt omnia viscera ejus. Mane vero surgens, duos armigeras suos secum secretarios ad se vocavit, dicens: Ite, parvulum illum de manibus matris violenter auferte et ipsum per medium scindentes cor ejus mihi apportate. Contriti euntes de gremio matris puerum rapuerunt, quem videntes elegantissimæ formæ misericordia moti ipsum super quandam arboris superficiem, ne a feris devoraretur, reposuerunt, et leporem scindentes, cor ejus Cæsari detulerunt. Eodem die dum quidam dux inde transiret et puerum vagientem audiret, ipsum in gremio suo privatim nullo sciente accepit, et, dum filium non haberet, uxori attulit et nutriri eum fecit, a se et uxore sua genitum fingens, Henricum vocavit. Cum puer jam crevisset, erat corpore

pulcer nimis, ore facundus et omnibus gratiosus. Quem cum tam decorum et prudentem vidit Cæsar, a patre petiit, et in curia sua manere fecit. Sed cum videret puerum omnibus gratiosum et ab omnibus commendari, dubitare cœpit, ne post se regnaret, et ne iste sit, quem occidi mandaverat. Volens igitur esse securus, literas manibus suis scriptas uxori dirigit in hunc modum: In quantum est tibi cara vita tua, mox, ut istas literas receperis, puerum hunc necabis. Dum vero pergens in quadam ecclesia hospitatus fuisset et super bancum quiesceret, et bursa, in qua erat litera, dependeret, sacerdos curiositate ductus, bursam aperuit et legens scelus abhorruit, et radens subtiliter, ubi dicebatur: Puerum hunc necabis, scripsit: Filiam nostram in uxorem ipsi dabis. Cumque regina istas literas legisset et regis sigillo munitas videret, de manu imperatoris scriptas esseque cognosceret, convocatis principibus nuptias celebravit, et suam filiam eidem in uxorem dedit; quæ nuptiæ Aquisgrani celebratæ sunt. Dum autem Cæsari Conrado narraretur, quod solemniter nuptiæ filiæ suæ essent celebratæ, ille obstupuit, et cum a duobus armigeris et duce et sacerdote veritatem comperisset, ordinationi dei resistendum non esse vidit, et ideo pro puero mittens eum esse suum generum, approbavit et post in imperio regnare instituit.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est deus pater, qui propter peccatum primi parentis iratus erat et eum a paradiso expulit, qui fugiebat in silvam istius mundi. Sed deus volens venari circa animas, misit filium suum in silvam istius mundi, quando carnem assumpsit de virgine gloriosa et in nocte natus. Rex, qui audivit vocem dicentem sibi: Accipe, accipe, accipe, potest dici quilibet homo, qui deberet esse rex sui ipsius, se ipsum ad regendum, quantum ad salutem corporis et animæ suæ. Unde cuilibet nostrum dictum est: Accipe, accipe etc. Per primum debemus intelligere, primo, quod accepisti animam ad dei similitudinem creatam. Per secundum Accipe corpus cum quinque sensibus et omnia quatuor elementa parata tibi ad ministrandum. Per tertium Accipe, quod si fideliter deo ministraveris, vitam æternam accipies. Carissimi, attendite diligenter ad hæc tria Accipe. Unde cœlum dicet tibi, quæ est prima vox: Ministro tibi lucem per diem, ut vigiles, tenebras per noctem ut penses; alterno tibi tempora, ut varietates tollat. Terra dicet: Te porto, te nutrio, te pane conforto et te vino lætifico, diversis animalibus mensam tuam repleo. Aqua tibi dicet: Potum tibi præbeo, sordes tuas lavo et diversa genera piscium ad usum tuum ministro. Aer dicet: Vitalem flatum tibi præbeo et omne genus

avium tibi mitto ad tuum obsequium. Vox admonentis est mundus, cum dicit: Vide, homo, quomodo amavit te, qui propter te fecit me. Servio tibi et factus sum propter te, ut tu servias illi, qui fecit te et me propter te. Accipe benignitatem, redde caritatem! Vox comminantis est, cum dicit ignis: A me combureris, aqua: A me submergeris, terra: A me absorberis, infernus: A me deglutieris. Secunda vox, quam imperator iste audivit, tribus vicibus fuit: Redde, redde etc. Quid reddere debes? Primo certe deo animam mundam, quam deus ad suam similitudinem creavit et per ejus passionem redemit. Per secundum Redde quid debes reddere? Certe divina præcepta servando decimas oblationes et totum corpus in ejus servitio voluntarie te offerendo ut poteris dicere cum Ps.: Reddam tibi vota, quæ distinxerunt labia mea. Per tertium Redde intelligas, quod deo debes reddere totum corpus tuum, ut eum diligas toto corde, tota anima, tota mente, ut sis paratus pro ejus amore omnia patienter tolerare. Secundum est: Diligas proximum tuum sicut te ipsum. Tertia vox: Fuge etc. Per primum Fuge debes intelligere, quod fugere debes diabolum per opera misericordiæ et humilitatis, mundum per paupertatem, carnem per jejunium et castitatem. Per secundum Fuge intelligas, ut, in quantum poteris, vitabis peccata et propriam voluntatem et mundi vanitatem et consortium malorum. Per tertium Fuge intelligas, quod fugere debes infernum et ejus pœnam per contritionem, confessionem et satisfactionem, quia puer natus est nobis, cujus imperium super humeris ejus. Puerum istum Jesum Christum multi persequuntur et ipsum, quantum in eis est, cum vitiis et concupiscentiis occidunt. Sed duo armigeri sc. potentia divina et sua gratia a cordibus talium puerum Jesum rapiunt, quia puer Jesus non libenter quiescit nisi in loco mundo. Puer Jesus ponitur in arbore sc. in ecclesia, ubi dux bonus prælatus eum inveniet per opera meritoria et nutrit munde, sed homo miser non timens deum accipit eum in altari, et tunc poterit de eo dici, quod dicitur genes. de Joseph: Fera pessima devoravit filium meum i. e. Christum. Si vis ergo tute procedere, occide leporem sc. carnem tuam i. e. carnales affectiones per orationem, jejunium et elemosynam, et sic extrahe cor tuum, ut puer Jesus poterit salvari et tecum manere, et filiam tuam i. e. animam desponsare. Sed sæpius contingit, quod homo recidivat et literas scribit manu propria etc. Literæ istæ sunt cogitationes malæ et perversæ ad perpetrandum mala, per quæ puer ille omnino a te extinguatur; et quoniam scribit uxori i. e. carni appatendo gulam et luxuriam, sed sacerdos discretus scilicet confessor atque prædicator debet aperire sacram scripturam per stilum iratum i. e.

mala opera mutare per pœnitentiam, et tunc puer Jesus sine dubio tuam animam desponsabit. Ad quam desponsationem principes erunt vocati sc. virtates cardinales, et sic poteris cum Christo regnare.

Cap. 21.

De dolo et conspiratione et cautela ipsis contraria.

Refert Justinus, quod cives Lacedæmoniæ simul conspiraverunt contra regem suum et prævalentes contra eum de civitate sua eum indigne expulerunt et a toto regno. Accidit tunc temporis, quia rex Persarum eandem moliebatur destruere civitatem, cum magno exercitu civitatem obsedit. Rex autem expulsus civitatem suam quamvis ingratam non potuit non amare, sed misertus est ejus. Cum autem explorasset et didicisset machinationem regis Persarum contra civitatem suam Lacedæmoniam, cogitavit, quomodo posset latenter et prudenter totam imaginationem intimare civitati prædictæ. Acceptis tabulis scripsit in eis totam imaginationem et una cum hoc informationem specialem, quomodo possent resistere et civitatem contra eum defendere et cum totum scripsisset, quod voluisset, superlinivit scripturam suam cera, et accepto nuntio fide digno direxit eas ad magnates civitatis. Sed tabulis receptis et diligenter inspectis nulla littera apparebat sed tantummodo cera plana. Quæstio inter omnes satrapas facta est de tabulis in communi, ut unusquisque diceret imaginationem suam, quid esset de tabulis faciendum, sed non est inventus, qui eorum potuit aperire intellectum. Accidit autem, quod soror prædicti regis audita perplexitate istarum litterarum petiit a magistratu, ut posset eas videre; quibus diligenter inspectis cœpit calliditate feminea parum de cera de tabulis elevare; apparuitque statim littera occulta. Cumque plus de cera elevasset, plus de littera apparebat. Sicque tota cera de littera legi poterat, quicquid ibi erat scriptum. Satrapæ hoc videntes gavisi sunt valde, consilium litterarum fecerunt et civitatem fortiter defendebant et ab omni obsidione liberabant.

Moralisatio. Carissimi! per istum regem deum omnipotentem intelligo, qui expulsus fuit de civitate sua i. e. societate humana, quando primi parentes nostri conspiraverunt in paradiso et ejus praecepta transgressi sunt, tanquam qui dicerent: Nolumus hunc regnare super nos. Hoc autem non obstante, rex dominus noster Jesus Christus civitatem prædictam scil. totum genus humanum nullo modo potuit non amare. Nam dilexit nos, cum inimici sui essemus, quia

sicut dicit apostolus ad Roman.: Cum inimici essemus, reconciliati sumus deo per mortem filii ejus. Rex iste dominus noster Jesus Christus perpendens, quod diabolus, qui est rex super omnes filios superbiæ, omnes quasi infinitis machinationibus moliretur destruere, accepit tabulas, de quibus ad litteram dicitur Exod. III, tabulas videlicet Moysi, scripsitque in eis informationem sufficientem contra dæmonem et machinationem ejus. Sicque per nuncium fidelem scil. Moysen civitati humani generis destinavit. Sed scriptura ista fuit sic sublinita quadam cera i. e. cerimoniis quibusdam ita, quod moralia legis non potuerunt plane et aperte legi ab unoquoque tempore legis scriptæ, nec bene intellectæ fuerunt quæstiones multæ inter veteres super intellectum istarum tabularum. Sed certe nunquam aliquis inventus fuit, qui istarum tabularum intellectum aperire potuit, donec una puella, soror regis, veniret, valde prudens ac de nobili genere producta. Domicella ista erat beata virgo Maria, mater dei et hominis scilicet benedicta et sanctificata, soror etiam regis Christi, nam cum ipsa esset filia regis David secundum carnem, ipsa etiam est filia dei spiritualiter loquendo, juxta illud Lucæ: Huic erat soror nomine Maria. Hæc itaque scilicet virgo Maria tabularum legis antiquæ aperuit intellectum. Sed quomodo? Certe delendo ceram. Scitis enim, quod veniente lumine recedit umbra, et igne calefaciente defluit cera. Modo istæ ceremoniæ fuerunt quasi umbra. Christus autem deus fuit ignis et Maria mater ejus illuminatrix in die purificationis suæ. Sponte et humiliter subjecit se cerimoniis legis, licet non indigeret, ut filium suum ignem divinum in templum præsentaret. Necesse ergo est et fuit umbram recedere et ceram ipsam defluere et auferri. Unde psalm.: Sicut fluit cera, auferentur. Supercecidit ignis et non viderunt solem, et quia in die purificationis suæ cerimonias abstulit et sic legem implevit et nos a servitute diaboli per nativitatem filii sui liberavit et ad vitam æternam deduxit, ad quam nos perducat Jesus Christus Mariæ filius etc.

Cap. 22.

Timor mundanus.

Narrat Augustinus, quod, quando Aegyptii olim volebant deificare Isidem et Serapem, isto modo processerunt: primo legem statuerunt, quod quicunque eos diceret esse homines, vel aliquis de eorum genealogia narraret, capite plecteretur. Statuerunt duas imagines. Secundo, ut lex prædicta nullum lateret, in omni templo,

ubi eorum imagines colebantur, et juxta eos ponebatur unum parvum idolum habens digitum suum labiis applicatum, ut per hoc faceret signum silentii ingredientibus ista templa, et sic veritas ab omnibus tacetur.

Applicatio. Carissimi, revera ista faciunt homines mundani tenebrosi, oppressores veritatis et subversores ecclesiastici status, quando volunt deificare et glorificare semetipsos vel alios consimiles. Ponunt statim quoddam idolum coram oculis prælatorum, facientes signum silentii, ita videlicet, ut nullus audeat eos arguere, nec de eorum factis exprimere veritatem, sed magis eorum errores dissimulare vel potius magnificare, ut sic propter defectum contradictionis videantur apud populum esse justi. Et certe istud idolum est timor mundanus, propter quem nullus audet dicere veritatem, nec mori propter veritatem, nec nimiam persecutionem sustinere, imo propter istud idolum illi, quorum principaliter inter est, pro suo grege mori, fiunt ita timidi, sicut lepores; imo, quod pejus est, ipsi fiunt aliis idolum silentii, quia, si ipsi non essent, alii defenderent veritatem, et deum, qui est veritas, præ oculis haberent in omnibus operibus.

Cap. 23.

De spirituali medicina.

Beatus Augustinus refert, quod mos antiquitus erat, quod corpora imperatorum post mortem eorum comburerentur et cineres in eminentiori loco collocarentur. Contigit autem, quod quidam moriebatur, cujus cor non potuerat comburi; multis autem super hoc mirantibus, omnes rhetores et sapientes illius provinciæ citaverunt, et ab eis causam inquirentibus tandem dixerunt, quod imperator fuit intoxicatus, et propter latens venenum accendi non poterat cor ejus. Tunc illi extrahentes cor de igne, apposuerunt tiriacam, sicque venenum fugaverunt; et cum iterum cor in ignem poneretur, mox in cineres est redactum.

Moralisatio. Carissimi, sic spiritualiter de hominibus veneno peccati mortalis intoxicatis impossibile est, ut eorum corda igne spiritus sancti accendantur, nisi per tiriacam i. e. per confessionem et contritionem prius peccati macula deleatur.

Cap. 24.

De suggestione diaboli per temporalia.

De quodam mago narratur, qui habuit quendam ortum pulcherrimum, in quo erant tot flores redolentes, tot fructus suaves, tot divitiæ et deliciæ, quod valde delectabile fuit ibi esse. Hunc locum nullis volebat ostendere, nisi fatuis et inimicis suis. Et cum essent introducti, viderunt tot et tanta gaudia, quod mirabantur. Instanter quærebant, ut in illo poterant manere. Ille vero nulli consentiebat, nisi qui hereditatem ejus ei concederet. Fatui vero credebant, quod esset paradisus, in quo semper deberent permanere, ei hereditatem illorum concesserunt, magus vero de nocte surgebat, et eos dormientes inveniebat et occidit, et sic per ortum istum quasi infinita mala perpetravit.

Carissimi, magus iste cum orto suo est mundus iste cum divitiis suis et gloria sua. Magus dicitur, quia per incantationes suas multos seducit, sicut isti joculatores faciunt. Talis ponit scutellam et nihil ponit intus, interim fabulatur et trufat et ludificat circumstantes. Postea quærit: Quid est ibi? et apparent denarii. Distribuit et dat circumstantibus, accipiunt gratanter, et cum clauserint manus, credentes se habere denarium, postea aperientes manus nihil inveniunt. Sic mundus iste multos decipit incautos et illudit, et sic est de multis, quamdiu nihil est de re sub scutella vel disco. Hoc est quamdiu nihil habet, nisi ea tantum quæ victui sunt necessaria, modicum curat de mundo. Quod videns mundus volens eos decipere, elevat patellam et ostendit quod latet, i. e. modicum elevat personam et exaltat supra vitæ necessaria, ut ad ecclesiam vel præbendam, et tunc incipit ostendere divitias et delicias. Statim miser homo appetit et concupiscit ea, quæ sunt contra salutem animæ suæ; et dantur ei multa, et credit ille ditari et in optimo statu esse, sed si aperiat manus ejus, nihil in fine inveniet, teste psalm: Nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Studeamus ergo mundum istum spernere, si desideramus ad vitam æternam pervenire, ad quam nos perducat Jesus Christus Mariæ filius etc.

Cap. 25.

De beneficiorum oblivione et ingratitudine.

Quædam domina nobilis patiebatur multas injurias a quodam tyranno, qui vastabat ejus terram. Illa hoc audiens quotidie lacrimas

emisit et in amaritudinem est anima ejus posita. Accidit a casu, quod venit quidam peregrinus juxta eam ubi manebat, videnque ejus angustiam pietate motus bellum pro ea dedit eo pacto, quod si in bello moreretur, baculum ejus et peram privatim in camera ejus custodiret, ut memoriam de eo haberet et sibi grata esset. Illa vero fideliter ei concessit, peregrinus bellum attemptans tyrannum devicit et ipse in bello usque ad mortem vulneratus est. Puella cum de morte ejus audisset, fecit quod promisit, baculum et peram in cameram suam ante lectum suum pependit. Accidit, quod per regna et castra fama volabat, quod ista nobilis domina omnia regna amissa recuperasset. Hæc audientes tres reges ad eam venerunt cum magno apparatu, ut eam visitarent et in uxorem peterent. Illa statim ornavit se et in occursum illorum ambulabat eosque satis honorifice recepit, intra se cogitabat: Forte isti tres reges cameram intrare proponunt, erit mihi obprobium, si ante lectum meum invenirent peregrini peram et baculum, et jussit ea amoveri; nec ultra ibi comparere. Sic pacti sui oblita et ingrata reperta est.

Applicatio. Carissimi, domina ista est anima humana, tyrannus est diabolus, qui eam privat hereditate regi cœlestis per multa tempora, unde ipsa multum dolebat. Nec mirum, quia in inferno diu posita erat, donec peregrinus venerat, scilicet Christus, qui de cœlo descendit in peregrinationem istius mundi. Pera ejus caro mundissima, in qua latuit divinitas, in qua recepit vulnera. Baculus est lignum crucis, in quo pependit pro nobis peccatoribus. Unde pro anima fecit victoriam feria sexta, ut nos liberaret a pœna, et ut ibi restituerentur omnia amissa. Petit ergo instanter a te, ut pro ejus amore peram et baculum custodias, hoc est ut recentem memoriam continue de ejus passione habeas infra cameram cordis tui. Tres reges sunt diabolus, mundus et caro, qui veniunt ad hominem suggerendo, delectando, consentiendo. Miser homo non præmeditatus de futuris ornat se cum vitiis et concupiscentiis et occurrit eis, quam cito consentit; et sic amovet a memoria Christi et per consequens oblita dei est. Studeamus ergo ejus beneficia recolere, si volumus ad æternum bravium pervenire.

Cap. 26.

De humilitate.

Regina quædam nobilis de servo rustico concepit filium. Filius post hoc viciose et male se habuit in conspectu principis patris sui putativi. Princeps vero a regina diligenter quæsivit, an filius suus esset. Qui tandem per confessionem reginæ inveniens, non esse filium suum, nolens tamen propter hoc eum privari a regno, regnum suum dedit sibi, sed sic ordinavit, quod pannos suos diversi generis et coloris faceret, medietatem de vili panno et aliam de pretioso, ut quando vilem respiceret, a superbia et omni vitio quocunque retraheretur, quando vero nobilem pannum, ne omnino dejiceretur, sed per ista discretum se exhiberet.

Applicatio. Carissimi, sic spiritualiter caro nostra ad modum uxoris carnalia diligens vult nos retinere, ne pergamus ad terram promissionis, quotiens peccatum mortale committimus. Quid ergo est nobis faciendum? Certe debemus dare carni annulum oblivionis, ut abstrahatur a delectationibus, quæ sunt secundum sensum, ut sic obliviscatur delectationes carnales, sed annulum memoriæ debet anima sibi retinere, ut videlicet in memoria jugiter habeat pœnas infernales et novissimum vitæ suæ, ut sic caro obliviscatur peccare. Unde scriptum est: Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. Eccles. VII. Tunicam de vili panno debemus habere, quia sumus filii rustici, hoc est terræ. Job. XVII: Putredini dixi: Pater meus es etc. Unde si nobis quæratur: Quid est homo? certe dicemus, quod homo est pauper ac debilis, stultus ac rusticus, id est ignobilis et turpis. Pauper es, si indiges potentia, rusticus, si indiges nobilitate, et stultus, si sapientia. Quod pauper sis, probo. Nihil habes de te, nisi peccatum. Si enim reddas ovi lanam, bovi calciamenta, terræ segetes, nihil tecum manet nisi peccatum. Secundo tu es debilis, quia nil boni operis potes de te. Unde homo comparatur flori, qui mane est pulcher et splendens, de sero marcescit. Item fumo. Ps.: Sicut deficit fumus, sic deficiant peccatores a facie dei. Item vanitati. Psalmista: Homo vanitati similis factus est. Tertio tu non es sapiens, quia non cognoscis te ipsum. Quomodo erge alia cognoscere potes? Quarto tu non es de magna parentela, sed de qua dicitur Job. XVII: Putredini dixi: Pater meus es tu, mater mea et soror mea vermibus. Quinto tu non es pulcher, quia cito transis et vana est pulchritudo tua. Ideo una pars panni est caro vilissima, alia pars nobilissima, scilicet

anima, quæ ad imaginem summi regis condita et vili corpori infusa est, per quam homo redditur supercœlestium socius et creaturarum dignissima. Ergo si ista duo secundum eorum naturam voluerimus observare, ad regnum æternum poterimus pervenire, quod nobis concedat etc.

Cap. 27.

De justa remuneratione.

Quidam imperator erat dives valde et potens, qui unicam filiam habebat pulchram valde et oculis hominum gratiosam, quam miro modo dilexit, intantum quod quinque milites ei pro sua custodia assignavit. Milites vero isti quasi continue armati incedebant et certam præbendam singulis diebus de thesauro regis pro custodia filiæ accipiebant. Rex vero quendam senescallum et canem habebat, quos multum dilexit. Canis vero tribus cathenis erat ligatus, quia valde crudelis erat, et quos poterat apprehendere occidit. Accidit semel, quod cum rex in stratu suo jacuisset, terram sanctam visitare proposuit. Mane surrexit et senescallum ad se vocari fecit et ait ei: Terram sanctam visitare volo. Sub tua custodia filiam meam unicam cum militibus dimitto et canem quem diligo. Præcipio tibi sub poena capitis, quod nullum defectum filia mea habeat. Omnia necessaria militibus secundum quod decet ministres, canem vero continue in catena habeas et ei non laute administres, sed potius famem sustineat, ut sic ejus crudelitas atque ferocitas annihiletur. Senescallus vero omnia adimplere fideliter promisit, rex vero terram sanctam adiit, et senescallus omnia quæ promisit et totum præceptum in contrarium egit. Nam canem de melioribus cibariis semper pavit, nec eum sicut debuit custodivit, puellæ necessaria subtraxit et milites præbenda privavit, intantum quod dispersi et vagabundi per mundum ibant, puella sine custodia sic relicta plorans et ejulans ambulabat in aula sola. Canis cum eam solam vidisset, tres catenas fregit, cum quibus ligatus fuit et puellam occidit, de cujus morte factus est planctus magnus in civitate. Rex vero cum audisset de morte filiæ suæ, commota sunt omnia viscera ejus, senescallum ad se vocari fecit, et cur filiam suam sine custodia dimisit et milites sine præbenda et canem contra præceptum ejus pavit. Ille vero obmutuit, nec aliquid pro ejus excusatione allegavit. Rex vero tortoribus præcepit, ut ligatis pedibus et manibus eum in fornacem ardentem projicerent. Omnes laudabant, quod tale dedit judicium.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est dominus noster Jesus Christus, filia tam pulcra est anima ad dei similitudinem creata, pro cujus custodia quinque milites, id est quinque sensus ordinavit, ut continue bonis operibus essent armati et præbendam gratiæ dei reciperent. Canis vero est caro misera, quæ die ac nocte nititur perturbare spiritum et animam occidere. Unde de necessitate requiritur, quod tribus catenis sit caro continue ligata, scilicet per timorem dei, per ejus amorem et pudorem peccandi. Propter timorem, quia deus est justus et juste peccatorem judicat ad pœnam perpetuam. Hæc est catena prima, cum qua caro misera ligetur, ne deum offendat et salutem propriam perdat. Secunda catena est amor dei, quia homo tenetur, ipsum super omnia diligere, etiam plus quam se ipsum. Propter ejus amorem te ipsum debes refrenare a vitiis et concupiscentiis cavere. Et quare debes ipsum intantum diligere? Certe quia te creavit, te plasmavit, te ad similitudinem suam fecit, te redemit et vitam æternam dabit. Tertia catena est pudor hominis peccare in conspectu dei, quia omnia videt, etiam minimam cogitationem, quam in corde habes. Propter ista tria homo debet se ipsum cohibere nullo modo deum per peccatum offendere. Senescallus est homo, cui tradidit animam cum quinque sensibus et carnem sicut dedit ad regendum, ut pro eis respondeat, quando dominus noster Jesus Christus ad judicium venerit. Sed miser homo, qui non diligit deum, catenas frangit, quia postponit dei timorem, non curat cogitare, quod justo judicio hominem æternaliter damnat. Postponit dei amorem, non curat pensare, quanta judicia amoris ei ostendit, quod eum de nihilo plasmavit, ad ejus similitudinem fecit, eum sua imagine divina decoravit, pro eo se humiliavit, naturam nostram assumpsit, proprio sanguine eum redemit, nec pudorem peccandi coram domino deo suo habuit. Omnia in contrarium perpetrat et animam suam occidit. Ideo cum venerit dies judicii, tunc apparebit peccator et non poterit ad objecta respondere. Tunc deus tradet eum tortoribus infernalibus, sicut ipse testatur Matth. XXV: Item maledicti in ignem æternum. Studeamus ergo ante omnia animam a peccato custodire, si desideramus ad æternam vitam pervenire.

Cap. 28.

De inexecrabili dolo vetularum.

Imperatrix quædam erat, in cujus imperio erat quidam miles, qui nobilem uxorem et castam atque decoram habebat. Contingit,

quod miles ad peregrinandum perrexit, sed prius uxori dixerat: Nullum custodem ultra te dimitto, quia satis credo, quod non indiges. Parato comitatu abiit, uxor vero caste vivendo domi remansit. Accidit semel, quod precibus compulsa cujusdam suæ vicinae epulandi causa domum suam ingrederetur, quo peracto ad propria remeavit. Quam quidam juvenis aspectam ardenti amore cœpit amare et plurimos nuntios ad eam direxit cupiens ab illa, quantum ardebat amari. Quibus contemtis eam penitus sprevit. Ille vero se omnino contemtum videns adeo dolens efficitur, quod infirmabatur. Sæpe tamen illuc ibat, sed nihil ei valuit eo quod domina per omnia eum sprevit. Accidit quodam die, quod versus ecclesiam perrexit dolens ac tristis, obviam ei habuit quandam vetulam in proposito sanctam reputatam. Quæ cum juvenem tristem vidisset, causam tantæ tristitiæ ab eo quæsivit. At ille: Quid prodest mihi tibi narrare? At illa: Oportet quod vulnus tuum detegas, si operam medicantis exspectas. Ideo ostende mihi causam tanti doloris! Cum dei adjutorio te curabo. Juvenis cum hoc audisset, ostendit ei, quod dominam dilexit. Ait vetula: Perge cito ad domum tuam, quia infra breve tempus te curabo. His dictis juvenis ad domum perrexit et vetula ad propria remeavit. Vetula ista quandam caniculam habebat, quam duobus diebus jejunare cœgit et die tertia panem sinapi confectum caniculæ jejunanti dedit. Quem cum gustasset, præ amaritudine oculi ejus lacrimabantur tota die. Tunc vetula ad domum dominæ perrexit cum canicula, quam juvenis dilexit tantum. Statim a domina est honorifice suscepta eo quod reputabatur sancta. Dum autem adinvicem sederent, domina parvam caniculam lacrimantem respexit, admirabatur multum et quæsivit causam. Ait vetula: O carissima amica, noli quærere, quare lacrimatur, quia tantum dolorem habet, quod vix poterit tibi intimari. Domina vero magis ac magis instigabat, ut diceret. Cui vetula: Hæc canicula erat filia mea casta nimis et decora, quam juvenis quidam vehementer adamavit, sed adeo casta erat, ut omnino sperneret illum amorem, unde juvenis tantum dolens præ dolore mortuus est, pro qua culpa deus convertit filiam meam in caniculam, sicut tu vides. His dictis incepit vetula flere dicens: Quotiens filia mea recolit, quod tam pulcra puella erat et modo canicula flet et consolari nequit, imo omnes ad fletum excitat præ nimio dolore. Audiens hoc domina intra se cogitabat: Heu me! simili modo me quidam juvenis diligit et pro amore meo infirmatur. Et totum processum vetulæ narravit. Vetula hæc audiens ait: O carissima domina, noli amorem juvenis spernere, ne forte et tu mutaberis in caniculam sicut filia mea, quod esset

damnum intolerabile. Ait domina vetulæ: O bona matrona, mihi sanum consilium, ut non sim canicula. Quæ ait: Cito illo juvene mitte et voluntatem suam sine ulteriori dilatione fa At illa: Rogo sanctitatem tuam, ut pergas ad eum et tecum du Scandalum posset esse, si alius ad eum accederet. Cui vetula: compatior; libenter tibi eum adducam. Perrexit et juvenem se duxit, et cum domina dormivit. Et sic per vetulam domina a terium commisit.

Moralisatio. Carissimi, iste miles est Christus, uxor cast decora anima per baptismum lota, cui dedit deus liberum arbitr et suæ voluntati tradidit, quomodo de hoc mundo ad patrem as dit. Mulier ista scilicet anima invitatur ad convivium, quotiens clinatur ad carnalem concupiscentiam. Quia convivium hom carnalis est semper in deliciis vivere. Statim juvenis id est m vanitas eam in quantum potest allicit, ut ei adhæreat. Si non consenserit, adest vetula scilicet diabolus, qui circuit quæ quam devoret animam scilicet principaliter quantum potest solli ut peccato consentiat. Et quomodo? Certe ostendit sibi canicu flentem. Canicula est spes longæ vitæ et nimis de dei misericor præsumere, quam multi habent intantum quod cito ad peccat declinatur. Quia sicut canicula ista ex sinapi lacrimabatur, sic s sæpius animam affligit, ne ad veritatem attingat intantum quod h peccato consentit. Si ergo volumus castitatem animæ servare mundi deceptionem præcavere, fugiamus mundum summopere, omne quod est in mundo aut est superbia vitæ aut concupisce oculorum aut concupiscentia carnis, et ideo summum remedium illum derelinquere, si volumus præmium æternum obtinere.

Cap. 29.

Nota de judicibus malis.

Erat quidam imperator, qui statuit pro lege, quod sub p gravi quilibet judex recte judicaret, et si contrarium faceret, n modo misericordiam inveniret. Accidit casus, quod quidam ju muneribus corruptus falsum judicium dedit. Imperator cum audisset, servis suis præcepit, ut eum excoriarent. Et sic fac est. Pellem ejus in loco, ubi judex sedere deberet, posuit ad si ficandum, quod ille judex cogitaret, quod amplius falsum judici non daret. Rex vero filium judicis defuncti judicem constituit dic ei: Sedebis super pellem patris tui, ut judices populum meum.

vero aliquis affert tibi donum vel declines a via recta, ad pellem patris tui respice, ne tibi hoc idem contingat.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est dominus noster Jesus Christus, qui istam legem edidit, unde Deuteronomii: Judices et magistratus constitues etc. Ipse vero recte et omni tempore nos judicat, quia pater noster cœlestis totum judicium filio dedit. Judex, qui male judicavit, est quilibet homo, qui habet se ipsum quantum ad vitæ rectitudinem judicare, quid et quantum contra deum deliquit. Si vero aliquis vestrum sit muneribus id est malis humoribus corruptus debet excoriari, id est in omnibus vitiis suis per penitentiam denudari, ut poterit dicere verbum illud Job: Pellem pro pelle, et quicquid homo habet, dabit pro anima sua. Pellis, quæ ponitur pro memoria in sede, est Christi passio, quam homo debet habere retentam in sede cordis sui, ne contra deum et salutem animæ suæ delinquat, sicut scriptum est: Memorare novissima tua et in æternum non peccabis. Christus non tantum pellem in sede crucis pro nobis dedit, sed etiam vitam. Et ideo si veri filii sumus, eum per peccatum offendere non debemus. Et si contingit nos labi, respiciamus ad crucem, quantum pro nobis sustinuit, ut emendemus cum operibus misericordiæ et per consequens vitam æternam obtinebimus.

Cap. 30.

De peccato et judicio.

Rex quidam erat, qui statuit pro lege, quod victori de bello redeunti fieret triplex honor et tres molestiæ. Primus honor, quod victori obviabat populus cum lætitia. Secundus, quod omnes captivi currum ejus ligatis manibus et pedibus retro sequebantur. Tertius honor, quod indutus tunica Jovis sedebat in curru, quem trahebant quatuor equi albi et ducebatur usque ad Capitolium. Ne cum his honoribus oblivisceretur sui, triplicem molestiam oportebat illum sustinere. Prima est, quod cum eo ponebatur in curru quidam servilis conditionis, ut daretur spes cuilibet quantunque vilis conditionis pervenire ad talem honorem si probitas mereretur. Secunda molestia erat, quod iste servus eum colaphisabat, ne nimis superbiret, et dicebat: Gnoto seauton, id est nosce te ipsum et noli superbire de tanto honore! Respice post te! Hominem te esse memento! Tertia molestia erat, quod illa die licebat cuilibet dicere in personam triumphantis quicquid vellet scilicet omnia obprobria.

[illegible] Carissimi, iste imperator est pater cœlestis, victor de [illegible] Jesus Christus, qui contra diabolum victoriam [illegible] in die palmarum triplex honor ei fiebat. Primo, [illegible] populus, quando omnes contra Jherusalem per- [illegible] cum ramis palmarum et vestimentis et pueri clamabant: [illegible] David! Secundus honor, quod omnes captivi etc. Isti [illegible] erant Judæi et peccatores in peccatis ligati, qui currum humanitatis ejus sequebantur, videntes signa et prodigia, quæ faciebat. Tertius honor, quod victor indutus erat tunica Jovis. Tunica ista [illegible] erat divinitas humanitati interius conjuncta, quem trahebant quatuor [illegible] albi, id est quatuor evangelistæ, qui de ejus divinitate et humanitate loquebantur. Contra istos honores triplex ei molestia fiebat, scilicet quod unus servilis conditionis ponebatur cum eo scilicet latro pessimus. Secunda molestia erat quod servi eum colaphisabant. Sic Judæi Christo fecerunt dicentes: Prophetisa nobis, quis est, qui te percussit? Tertia molestia, quod omnia opprobria ei dicebant, sic Judæi in faciem ejus exspuerunt et opprobria dixerunt.

Cap. 31.

De rigore mortis.

Legitur de morte Alexandri, cum sepultura ejus fieret aurea, plurimi philosophi ad eum convenerunt, de quibus unus dixit: Alexander heri ex auro fecit thesaurum, et nunc e converso aurum ex eo fecit thesaurus. Alius dixit: Heri non sufficiebat Alexandro totus mundus, hodie sufficiunt ei tres vel quatuor ulnæ panni. Alius dixit: Heri Alexander populo imperabat, hodie populus imperat illi. Alius dixit: Heri Alexander potuit a morte multos liberare, hodie ipse jacula mortis non potuit vitare. Alius dixit: Heri terram premebat, hodie ab ea premitur. Alius dixit: Heri Alexandrum omnes timebant, hodie eum vilem omnes reputant. Alius dixit: Heri Alexander multos amicos habuit, hodie nullum. Alius dixit: Heri Alexander duxit exercitum, hodie ab illis ducitur sepulturæ.

Moralisatio. Carissimi, iste Alexander potest dici quilibet dives istius mundi, qui laboravit totaliter in mundanis. Aliqui magis laborant, quando moriuntur, circa funeralia sua cum magna pompa, quam circa animam, quæ jacet in pœnis. Philosophi adducti sunt doctores ac sacræ scripturæ expositores, qui dicuntur divites hujus mundi ex auro mundano. Modo dives hujus mundi facit thesaurum, hoc est dictum homo tenetur de bonis mundanis impleri id est bonis

virtutibus, sicut est dare elemosynam, vestire nudum etc. et sic facit de eo quantum ad animam in cœlo thesaurum. Item dicunt: Non sufficit avaro mundus, quia quanto plus habet, tanto plus cupit habere, et hoc est fatuitas, quia mundus deficiet sibi et in morte. Sed si de omni labore suo duas vel tres ulnas vilis panni obtinuerit, multum est. Item dicunt: Divites, cum vivunt, imperant, sed post mortem quilibet pauper ei imperat, et quamdiu vivit dives, multos potest a morte liberare, et tamen nullus dives quantumcunque potens in necessitate jacula mortis evadere potest. Item homo terræ dominatur, sed in morte ei dominatur, quia totum corpus hominis per terram consumitur, et quamdiu homo vivit, timetur, sicut scriptum est: Facies hominis facies leonis, sed in morte vilis ab omnibus reputatur. Item quamdiu vivit amicos habet, sed in morte omnes recedunt et ipsum solum relinquunt. Quamdiu homo vixit, potuit multos secum acquirere et ducere, sed in morte ab aliis ducetur, unde Christus dixit Petro: Alius cinget te et ducet quo tu non vis.

Cap. 32.

De inspiratione bona.

Refert Seneca, quod in corporibus venenosis propter malitiam veneni et nimiam frigiditatem nullus vermis nascitur, sed si percussa fuerint fulmine, post paucos dies vermes producunt.

Expositio. Carissimi, per corpora venenosa intelligo homines in peccato mortali venenatos; tales præ frigiditate peccati vermem præducere non possunt, et ideo percutit eos deus fulmine, dum talibus infundit gratiam, quam si peccator recipere voluerit, cito converti potest. Et ideo sanum consilium est, ut cito per contritionem convertamur ad Christum. Quod nobis dignetur præstare dominus noster Jesus Christus etc.

Cap. 33.

De jactantia.

Refert Valerius, quod homo quidam nomine Peratinus flens dixit filio suo et omnibus vicinis suis: Heu, heu mihi! habeo in horto meo arborem infelicem, qua uxor mea prima se suspendit, postmodum secunda, modo tertia, et ideo dolor est mihi miserabilis. Ait unus, cui nomen Arrius: Miror, te de tantis successibus

lacrimas emisisse. Da mihi, rogo te, tres surculos illius arboris, quia intendo inter vicinos dividere, ut quilibet arborem habeat ad uxorem suam suspendendam. Et sic factum est.

Moralisatio. Carissimi, hæc arbor est sancta crux, in qua pependit Christus. Hæc arbor debet poni in horto hominis, dum anima habet jugem memoriam de passione Christi. In ista arbore tres uxores hominis suspenduntur, scilicet superbia vitæ, concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum. Homo enim datus mundo tres uxores ducit: una est filia carnis, quæ vocatur voluptas, alia filia mundi quæ vocatur cupiditas, tertia filia diaboli, quæ vocatur superbia. Sed cum peccator gratia dei adhæret pœnitentiæ, istæ uxores voluntates suas non habentes se suspendunt. Cupiditas se suspendit fune elemosynæ, superbia fune humilitatis, voluptas se suspendit fune jejunii et castitatis. Iste, qui quæsivit surculos, est bonus Christianus, qui toto conamine hoc debet appetere et quærere, non tantum pro se, sed et pro aliis vicinis. Ille, qui flevit, est miser homo, qui magis diligit carnem et ea quæ carnis sunt, quam ea quæ sunt spiritus sancti. Tamen sæpius talis ad informationem boni viri ad rectam viam poterit duci, et sic vitam æternam obtinebit.

Cap. 34.

De ponderatione vitæ.

Legitur de rege Alexandro, qui habebat Aristotelem magistrum, de cujus doctrina multum profecit et multas virtutes ab eo didicit. Inter cætera a magistro suo quæsivit, aliqua sibi et aliis proficua dici. Ait magister: Fili, ausculta diligenter, et si meam doctrinam tenueris, ad magnum honorem pervenies. Septem sunt, quæ te docebo. Primum est, stateram ne transilias. Secundum, ignem cum gladio ne foveas. Tertium, coronam ne carpas. Quartum, cor aviculæ ne comedas. Quintum, cum profectus fueris, non redeas. Sextum, per viam publicam ne ambules. Septimum, hirundinem garrulantem in domo non permittas. Rex in istis septem miro modo studebat et sic profecit quamdiu vixit.

Expositio. Carissimi, statera ista est vita humana. Duo in pensis sunt, ingressus in mundum et egressus ab eo. Ponatur ergo homo in una pensa, scilicet in paupertate, cum qua ingressus est, et in alia paupertate, cum qua egredietur et inveniet quod æque ponderabit. Sicut pauper ingreditur, sic pauper egreditur. Eccl. II.

Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertitur et nihil aufert secum de labore suo. Item pone in una parte stateræ tempus, in quo peccasti, et tunc quæro, sicut Christus quæsivit a patre filii infirmantis, quando ei accidit. Respondit ei pater: Ab infantia etc. Et ego quæro a te: Quando incepisti peccare? Heu, respondebis, non heri nec postridie sed ab infantia. Pone ergo tempus peccati in una parte et minus ponderabit. Non ergo transilies stateram, sed bene pensa quomodo? pone ad aliam tempus pœnitentiæ, sed nescis, quamdiu possis pœnitere. Ideo multiplica opera pœnitentiæ, ut æque ponderent tuis malefactis, sicut dicit Zachæus: Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Non ergo transilias ultra istam stateram, hoc est: non nimis cupias ultra quæ sunt necessaria victui. Sicut legitur de vulture: Vultur cum ceperit prædam, probat an totam prædam possit secum portare et cum ea volare vel non, sed non dividit, et tantum secum portat quod possit secum volare, et sic habet de præda quod sibi sufficit. Eodem modo homo, deberet facere. Multi sunt, qui divitias pro præda ponunt; ut divites fiant, nocte dieque laborant, aliena rapiunt, et cum habuerint, in abscondito ponunt et per illam detinentur, quod ad deum volare non possunt; et hæc est magna fatuitas, quod illis utuntur, quæ secum portare non possunt. Dividatur ergo præda scilicet divitiæ, quod sibi necessarium teneat; residuum det pauperibus, et sic poterit ad deum volare. Secundum est: Ignem cum gladio ne foveas, id est iracundum cum verbis asperis ne provoces. Ira enim comparatur igni, quia, cum aliquid iracundo deficit, statim inflammatur. Iste ignis non est fovendus gladio. Gladius vero est lingua hominis, quæ ad modum gladii materialis lata est et acuta ex utraque parte. Psalm.: Lingua eorum gladius acutus. Est enim de iracundo sicut de calce. In calce est calor sopitus; sed si superponatur aqua, statim inflammatur et fumum exire facit. Sic est de iracundo, in quo est ira sopita; cum audierit verba aspera, statim inflammatur et fumum iræ et rixæ exire permittit, ed ideo ignem non debemus fovere cum gladio. Tertium est: Coronam ne carpas, id est leges civium ne reprehendas. Civitas, in qua sumus, est ecclesia. Leges hujus civitatis sunt doctrinæ ecclesiæ, quas nullus sapiens debet reprehendere, sed humiliter audire et imitari; sed ista doctrina multos habet reprehensores, quod patet ex eo, quod habet paucos auditores, et ideo nobis est necesse, verba dei audire et ejus præcepta et nobiscum firmiter retinere, si intendimus ad æternam patriam venire. Quartum est: Cor aviculæ ne comedes, id est nulli adversitati temporali tristitiam, odium, invidiam in corde tuo habeas, quia Proverb. XV: Sicut

vermes ligno et tineæ vestimento, sic tristitia viri nocet cordi. Homo ergo se jungat deo per bonam vitam et semper habeat in corde recentem memoriam et nullum dolorem sentiet, imo plus de adversitate gaudebit. Ibant apostoli gaudentes etc. Quintum est: Cum profectus fueris, non redeas, id est cum a statu culpæ recesseris non redeas ad vomitum peccati. De ista sapientia habetur Eccles. XXI. Fili, peccasti, non adjicias ultra. Sed timeo, quod multi sunt ad modum canis, de quibus loquitur Petrus: Sicut canis reversus ad vomitum suum, sic peccator, qui iterat vias suas malas. Item est de multis sicut de vipera. Vipera enim volens copulari cum lampreda, fugit venenum. Tunc vipera in quodam loco venenoso evomit et sic copulatur ei et post redit ad venenum. Sic multi volentes Christo copulari in altari evomunt venenum, cum peccata confitentur; sed postea redeunt ad illud. Sextum est: Per viam publicam ne ambules. Via publica est via peccatoris, per quam major pars mundi transit, quia lata est. Matthæi VII: Spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt, qui ambulant per eam. Quod notandum est, quod aliquæ sunt bestiæ, quæ nunquam per viam rectam ambulant, ut canes fugiant. Sic debet homo, dum est in mundo et in periculo, propter canes infernales fugere, qui eum sequuntur, sicut dicit Psalm.: Circumdederunt me canes multi. Fugiendum est de tali via, quia ibi sunt venatores diaboli, qui triplici genere venationis utuntur. Tria enim sunt genera venationis et omnia sunt dolo plena. Primum genus est, qui venantur bestias fugitivas; et isti faciunt foveas, ut eas capiant. Foveæ istæ sunt usuræ et bona temporalia ut mendacia, falsa juramenta ac deceptiones, in quibus cupidi decipiuntur. Secundum genus venationis est, qui venantur aves. Isti ponunt laqueos, qui sunt falsi advocati et placitatores ac judices per munera corrumpuntur, qui faciunt leges, ut capiant pauperes. Tertium genus est piscatorum, qui ponunt retia sua ad accipiendum omne genus humanum. Isti sunt luxuriosi. Mulieres sunt retia diaboli, per quæ fere de omni statu capiuntur aliqui. Septimum est: Hirundinem garrulantem in domo non permittas, id est peccatum in corde, contra quod semper murmurat conscientia; sicut habetur de Jona; quamdiu erat in navis profunditate, non poterat esse tranquillitas maris. Eodem modo, quamdiu peccatum hospitatur in corde hominis, ratione cujus consurgit tempestas magna, dum contra deum murmurat conscientia, nec tranquillitas esse potest, donec Jonas in navi et peccatum in corde expellatur et cessabit tempestas id est remorsus conscientiæ, donec peccatum in profundo inferni demergatur. Ideo non sustineamus

hirundinem id est peccatum in corde, sed desideremus vitam æternam obtinere, ad quam nos perducat, qui sine fine vivit et regnat etc.

Cap. 35.

De pace, reformatione et vindicta eam dissipantium.

Legitur in gestis Romanorum, quod talis erat consuetudo, quod cum formari deberet aliqua pax inter magnos, inter quos discordia erat, ascendebant montem magnum et altum et ducebatur agnus et occidebatur et in consortium eorum sanguis ejus effundebatur in pacis reformationem, in signum quod quicunque illorum pacem dissiparet, de eo magna vindicta reciperetur et sanguis ejus effunderetur.

Moralisatio. Carissimi, magni domini fuerunt deus pater et homo. De deo dicit Psalm.: Magnitudinis ejus non est finis. De homine, qui ad imaginem dei factus est, Psalm.: Omnia subjecisti sub pedibus ejus etc. Inter istos magnos erat discordia, intantum quod quotcunque moriebantur, ad infernum descenderunt. Postea facta est pax magna inter deum et hominem, in cujus pacis reformatione ducebatur agnus id est Christus super montem calvariæ, ubi occidebatur et effundebatur sanguis ejus in signum, quod quicunque eorum pacem dissiparet, de eo maxima vindicta reciperetur et sanguis ejus effunderetur. Ideo si pactum cum deo fregeris, gravis vindicta sequeretur. Quantam vindictam credis te habere, si ea, quæ in baptismo promisisti, fregisti.

Cap. 36.

De cursu vitæ hominis.

Legitur de quodam rege, qui ante omnia naturam hominis desiderabat scire. In cujus imperio erat quidam philosophus sagax valde, de cujus consilio operati sunt multi. Rex cum de eo audisset, nuptium ad eum direxit, ut sine ulteriore dilatione ad eum veniret. Philosophus, cum voluntatem regis intellexisset, venit ad regem. Ait ei rex: Magister, a te sapientiam et doctrinam volo audire. Dic mihi in principio, quid est homo. Ait ille: Homo est miser toto tempore vitæ suæ. Vide principium tuum, medium et finem et invenies, quod plenus es miseriis. Unde Job: Homo natus de muliere etc. Si respicis principium, invenies te pauperem et

impotentem. Si medium, invenies mundum angustiantem et forte animam tuam condemnantem. Si finem, terram te suscipientem. Et ideo, domine mi rex, non habeas memoriam superbiendi. Ait rex: Magister, quæro a te quatuor quæstiones, quas, si bene solveris, te ad dignitates et divitias promovebo. Prima quæstio est: Quid est homo? Secunda: Cui est similis? Tertia: Ubi est? Quarta: Cum quibus sociis est? Ait philosophus: Domine, ad primam quæstionem respondebo. Quando quæris: Quid est homo? dico, quod est mancipium mortis, hospes loci, viator transiens. Mancipium dicitur, quia manum mortis evadere non potest, quia mors omnes labores et dies rapit, et secundum quod meruit habebit præmium vel supplicium. Item homo est hospes loci, quia oblivioni traditur. Item est viator transiens; sive dormiendo, sive vigilando, sive comedendo, sive bibendo, sive aliud faciendo semper ad mortem currit. Ideo debemus per viam nobis providere de victualibus, id est de bonis virtutibus. Secunda quæstio est: Cui est homo similis? Dico, quod similis est glaciei, quia propter calorem cito dissolvitur. Sic homo de terra et de elementis compaginatur, per calorem infirmitatis cito dissolvitur et corrumpitur. Item similis est pomo novo, quoniam sicut pomum novum pendens in arbore, cum debet ad crementum debitum venire, modico tamen verme interius exorto corroditur et subito corruens inutile efficitur. Sic homo in pueritia sua crescens subito oritur in eo infirmitas interius et anima expellitur et corpus corrumpitur. Unde ergo superbit homo? Tertia quæstio est: Ubi est homo? Dico, quod in bello multiplici, scilicet contra mundum, diabolum et carnem. Quarta: Cum quibus sociis est homo? Respondeo, quod cum septem sociis, qui eum continue molestant, qui sunt fames, sitis, calor, frigus, lassitudo, infirmitas et mors. Præpara ergo animam contra diabolum, mundum et carnem, quorum bella, id est tentationes sunt diversa. Et ideo diversimode præparanda est anima, ut eis resistet. Caro enim temptat nos per luxuriam et voluptatem, mundus per divitiarum vanitatem, diabolus per superbiæ vilitatem; si ergo caro te temptat, istam adhibe medicinam: habeas in memoria, quod caro, quæ te provocat ad peccatum, vertetur in cineres die et tempore ignoto, et anima pro ejus delicto pœnam æternam sustinebit. Sap. II. Extinctus cinis erit corpus nostrum. Et sequitur: Postea erit oblivio, et nemo habebit memoriam operum nostrorum. Et si iste cinis sit in memoria, tentationem impediet, ne procedat ad actum. Si mundus te tentat per vanitatem, adhibe istam medicinam: considera diligenter ipsius ingratitudinem, et nunquam sibi serviendi habebis voluntatem; nam ita

ingratus est mundus, quod licet per totam vitam tuam illi fideliter servias, nihil apportare tecum te permittit nisi peccatum. Est enim de mundo, sicut de perdice. Perdix habens pullos suos, sciens venatorem appropinquare nido, ut venatorem retrahat a pullis venit prope venatorem et fingit se posse non volare; quod venator credens esse verum, insequitur paulatim. Illa volat et ipse post illam vadit sperans illam capere, et sic semper facit, donec elongatus est a pullis; et sic decipitur venator, quod nec perdicem nec pullos habet. Sic est de mundo. Venator, qui nido pullorum appropinquat, est bonus Christianus, qui victum et vestitum et alia cum labore acquirere nititur. Sed mundus hominem non libenter sustinet; tali applaudit et simulat, ac si sequi vellet, et semper cum honore manere; quod videns homo sæpe ab operibus bonis recedit et mundi vanitatem sequitur; et tunc mundus illum ab amore dei et bonis operibus elongat. Deinde mors illum subtrahit a sæculo, et manet ille miser deceptus, quia non habet mundum, quem sequebatur, nec fructum bonorum operum, a quibus elongatur. Ecce quod mundus suis servitoribus reddit mercedem. Et hoc est, quod dicit Jacobus: Mundus in maligno dispositus est. Omne, quod est in mundo, aut est superbia vitæ et reliqua. Tertio, si te tentaverit diabolus, adhibe istam medicinam: habeas in memoria passionem Christi, per quam superbus ceditur et non habet potestatem resistendi. Unde apostolus: Induite vos armaturam dei ut possitis stare etc. Unde refert Solinus de mirabilibus mundi, quod Alexander equum quendam habuit, qui vocabatur Bucefalus, cujus erat consuetudo, quod quando erat armatus et paratus ad bellum, nullum sessorem retinebat nisi solum Alexandrum; sed si alius cum ascenderet, statim projecit a se; quando vero non erat armatus, famuli super eum sedere permittebantur. Sic homo armatus Christi passione nullum recipit in in corde, nisi imperatorem deum omnipotentem, sed si aliqua tentatio diaboli cor suum ascendere velit, statim virtute passionis Christi habet potestatem dejiciendi eam. Si vero ista careat armatura dei, statim pronus erit ad omnes tentationes recipiendas. Studeamus ergo bonis virtutibus armari, ut tandem perveniamus ad gloriam dei.

Cap. 37.

De mentis in cœlum erectione.

Refert Plinius, quod aquila in altum volat et nidificat. Cujus pullis insidiatur serpens quidam, qui vocatur parnas. Qui videns se

non posse appropinquare propter altitudinem trahit ad se ventum et venenum emittit, ut per infectus per venenum ad pullos deductus illos occidat; sed aquila ex instinctu naturali mirabilem adhibet cautelam. Portat enim lapidem, qui vocatur achates, et ponit in nido in illa parte, quæ est contra ventum, et iste lapis virtute sua venenum expellit, ne ad pullos accedat, et sic pulli salvantur, ne interficiantur.

Moralisatio. Carissimi, per aquilam, quæ est ardui volatus et acuti visus homo intelligitur, cujus vita et desiderium a terrenis debet elevari, ut dicere possit cum apostolo Phil. II: Nostra conversatio in cœlis est. In hac altitudine conversationis debemus pullos, id est opera nostra bona ponere; tunc serpens antiquus, id est diabolus quærit illum occidere per appositionem alicujus peccati mortalis, sed forte propter vitæ eminentiam propositum suum non potest adimplere. Tunc vadit diabolus et tentat illos vento interficere, dum laudem humanam sibi commendat, quæ sibi sæpius veniet, ut propter appetitum talis laudis faciat bona opera, morientur pulli quod ad meritum. Accipiamus ergo petram, id est Christum, et ponamus inter opera nostra et ventum vanæ gloriæ, ut sic opera nostra dirigamus ad deum, et erit nobis retributio magna; quia, sicut vobis constare debet, tres sagittas dominus jaciet in hominibus valde acutas, prima vocationis, secunda deceptionis, tertia diffinitionis. Sagitta vocationis, quando dicet: Surgite, mortui, venite ad judicium! De ista vocatione habetur Joh.: Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii dei. Et etiam Hieron: Sive comedam, sive bibam, semper videtur in auribus meis sonare: Surgite, mortui etc. Sagitta deceptionis, quando in judicio dicetur peccatoribus: Esurivi, et non dedisti mihi manducare. Sagitta diffinitionis erit, quando judex dicet: Ite, maledicti, in ignem æternum.

Cap. 38.

De cautela delendi peccata.

Legitur tempore Heinrici imperatoris secundi, quod cum quædam civitas obsessa fuisset ab iniminis suis antequam inimici venerant ad civitatem, quædam columba in civitate descendit, circa cujus collum inventæ sunt litteræ, quas deferebat, talis sententiæ: Generatio canina venit et erit gens contentiosa, contra quos per te et per alios legem tuam defendas.

Moralisatio. Carissimi, per illam columbam quid intelligere possumus, nisi spiritum sanctum, qui in specie columbæ descendit super Christum, qui nobis confert literas, cum nostra peccata manifestat, et nuntiat nobis, quod gens contentiosa venit ád obsidionem i. e. ad obsidendum nos, scilicet homines ad perdendum. Et ideo dum lucem habemus et spiritus sancti legamus literas i. e. peccata nostra per confessionem detegamus, ut legem dei servare possimus et mortem evadere, ne causæ per mortem inveniantur in confessione non mundata in districto judicio. Tu ergo dives filii signum, qui sua sapientia novit divitias distribuere et auferre habet; tu potens et fortis signum patris, qui sua potentia potest te robustum facere et infirmitatem dejicere. Habes tu peccata, obstat signum spiritus sancti, qui sua clementia vult peccata nostra ad memoriam revocare; nisi ante deus hæc signa ostenderet, homo judicium non recte crederet, sicut ipse ait Joan. IV: Nisi signa et prodigia videritis, non credetis.

Cap. 39.

De reconciliatione dei et hominis.

Legitur in gestis Romanorum, quod inter duos fratres tanta erat discordia, quod unus frater omnes terras alterius destruxit. Audiens hæc Julius imperator gravem concepit contra fratrem persecutionem. Ille vero imperatoris offensam percipiens venit ad fratrem suum, cui tot mála intulit, petens misericordiam ab eo, rogans insuper eum, quatenus inter imperatorem et ipsum pacem reformaret. Circumstantes autem dixerunt, eum pacem non meruisse sed gravem pœnam. Quibus ille sic respondit: Non est diligendus princeps, qui in bello est mitis ut agnus, in pace severus ut leo. Licet ergo non promeretur frater meus erga me, tamen reconciliabo eum, si potero, quia injuria, quam mihi intulit, satis vindicata est in illo, cum misericordiam implorat. Et sic inter imperatorem offensum et fratrem suum pacem reformavit.

Moralisatio. Carissimi, isti duo fratres sunt filius dei et homo, inter quos magna est discordia, quando homo peccato mortali consentit. Et tamen tunc persequitur filium dei fratrem suum, quod quantum in eo est iterum vult eum crucifigere. Unde ad Hebr.: Iterum crucifigentes filium dei etc. Propter quæ offenditur summus imperator pater cœlestis. Accedamus ergo fratrem nostrum i. e. Christum et petamus ab eo misericordiam cum contritione cordis, et illud pro vindicta sufficient, reputabit, ut nobis culpam nostram remittat, et pacem inter imperatorem

cœlestem et nos reformabit. Si ergo tu times ejus justitiam, fuge ad ejus misericordiam quia major est ejus misericordia quam nostra miseria. Unde Psal.: Misericordia ejus super omnia opera ejus.

Cap. 40.

De modo tentationis et peritia.

Legitur, ut dicit Macrobius, quod erat quidam miles qui habuit uxorem suam suspectam, quod plus alium dilexit, quam ipsum propter aliqua audita et visa sæpius. Ab uxore quæsivit, si verum esset. Illa simpliciter negavit, quod nullum alium præter ipsum intantum dilexit. Miles dictis ejus non acquievit, sed quendam clericum peritum adiit et cum eo convenit, ut de hoc veritatem ei ostenderet. Qui ait: Hoc non potero tentare, nisi dominam viderem et cum ea confabularem. Et ille: Rogo te cum affectu, ut hodie mecum cibum gustes, et ego te cum uxore mea collocabo. Clericus autem accessit ad domum militis, hora prandii venit, juxta dominam est collocatus. Finito prandio clericus incepit cum domina de diversis negotiis habere colloquia. Hoc facto clericus manum dominæ accepit et pulsum suum tetigit, deinde sermonem de eo fecit, cum quo erat scandalizata et vehementer suspecta: statim præ gaudio pulsus incepit velociter moveri et calefieri, quamdiu sermonem de eo traxit. Clericus hoc percipiens sermonem incepit de viro suo habere, et pulsus statim ab omni motu et calore cessabat. Ex hoc percepit clericus ipse, quod alium dilexit, scilicet de quo erat scandalizata, plus quam virum proprium, et sic miles per clericum ad rei veritatem pervenit.

Moralisatio. Carissimi, miles est Christus filius dei, qui pro nobis pugnavit contra diabolum et victoriam obtinuit. Uxor est anima sibi per baptismum conjuncta. Oseae II: Sponsabo te mihi in fide. Sed uxor ista sæpissime plus alium diligit, quam virum suum i. e. deum, et hoc satis bene poterit experiri et probari in istis diebus. Si quis loquatur sicut faciunt viri ecclesiastici verbum dei prædicando, salutem animæ pronuntiando, statim a multis odiosus erit, et quidquid dixerit pro tædio et desolatione habebunt. Et quare? Quia pulsus cordis præponit amorem i. e. delectationem carnis et mundi ante dei amorem contra sacram scripturam, quæ dicit: Ante omnia deum deligere debes. Sed si aliqua de mundi vanitatibus inceperint dicere, statim jucundi et læti sunt et tempus breve videtur.

Cap. 41.

De victoria Christi et caritate ejus nimia.

Cosdras imperator Atheniensium contra Dorenses pugnaturus congregavit exercitum, et super eventu belli consuluit Apollinem. Cui responsum est, quod aliter non vinceret ille, nisi ipse gladio interiret hostili. Dorenses hoc audito dixerunt, ne quis læderet corpus regis Cosdræ. Quod postquam Cosdras cognovit, mutato regis habitu arma accepit et exercitum penetravit. Quod videns unus militum lancea eum usque ad cor penetravit et sic per mortem suam populum suum de manibus inimicorum suorum liberavit. Tandem de morte ejus factus est planctus magnus ex utraque populi parte.

Moralisatio. Carissimi, sic dilectus dominus noster Jesus Christus consulto deo patre, quod genus humanum non posset redimi, nisi si ipse moreretur. Venit igitur pugnaturus in bello isto contra diabolum, sciens quod agnosceretur, mutavit habitum suum quando naturam humanam assumpsit I Cor. I: Si cognovissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Imminente vero die belli unus militum stans juxta crucem cum lancea eum usque ad cor perforavit, et sic per mortem suam totum genus humanum morti justæ adjudicatum liberavit. De cujus morte dolor est ex utraque parte h. e. dæmones multum dolebant, quod per ejus mortem genus humanum erat salvatum, ex alia parte tristes erant apostoli de nece sui domini.

Cap. 42.

De defectu caritatis.

Refert enim Valerius, quod in Roma vidit in una columna quatuor literas, quarum quælibet ter scribebatur, tres P P P, tres S S S, tres R R R, tres F F F. Visis literis dixit: Heu! heu! confusionem video civitatis istius. Satrapæ hoc audientes dixerunt: Magister, dic conceptum tuum. At ille: Talis est expositio literarum: pater patriæ perditur, sapientia secum sustollitur, ruunt regna Romæ ferro, flamma, fame. Quod postea sic rei probavit eventus.

Moralisatio. Carissimi, spiritualiter loquendo, pater patriæ est caritas, quæ est dilectio dei et proximi, per quam quilibet homo deberet se ipsum regere, quia sicut scitis patrem decet filiorum necessaria providere. Hinc est, quod vera caritas nobis providebit de divitiis infinitis in vita æterna, quia sine caritate impossibile est

nobis vitam æternam obtinere. Sed heu jam pater patriæ perditur i. e. caritas in terra; vix enim aliquis alium diligit, et sine dubio sapientia secum sustollitur, quia pauci sunt, qui sciunt, qualiter se habere debeant ergo deum et proximum, et si sciunt, pauci sunt, qui operantur propter defectum sapientiæ. Quid ergo sequitur postea? Ecce ruunt regna Romæ, ruunt regna in diversis partibus mundi, ferro, flamma, fame, quia non est caritas in terra nec sapientia, et si dicatur sapientia humana, tamen stultitia est apud deum. Quot nobiles et proceres infra pauca tempora in bello per gladium perierunt, quot pauperes fame interierunt! et hoc totum, quia non est amor nec sapientia in terra, sed frequens maledictio et homicidium.

Cap. 43.

Quod Christus clausit infernum sua passione et voluntaria morte.

In medio Romæ in quodam loco aperta est semel terra et hiantia infra patuerunt foramina. Super hoc dii fuerunt interrogati, responderunt: Non claudetur hæc vorago, nisi aliquis voluntarie se immergat. Sed quum hoc nemini persuadere possent, dixit Marcus Aurelius: Si per annum in Roma pro libitu meo me vivere sinitis, anno elapso gaudenter et voluntarie me immergam. Romani hoc audientes gavisi sunt, concorditer consenserunt, nihil sibi clauserunt. Qui rebus et uxoribus libere utens anno elapso cum nobili equo saltu præcipiti se immergit, et statim terra se clausit.

Applicatio. Carissimi, Roma mundum istum signat, in cujus medio est infernus in centro, qui erat apertus ante Christi nativitatem, et infiniti homines in eo ceciderunt, unde a diis i. e. prophetis recepimus responsum, quod nunquam clauderetur, donec virgo pareret filium, qui pro genere humano contra diabolum pugnaret, et anima ejus cum divinitate ad infernum descenderet, unde scire debetis, quod nunquam de cetero apertus erit, nisi aliquis voluerit per peccatum mortale aperire.

Cap. 44.

De invidia.

Tiberius regnavit, qui ante assumptum imperium erat prudens ingenio, clarus eloquio, fortunatus in bello, sed post resolutus militiæ

artibus nulla bella gerens populum romanum graviter afflixit, filios proprios pluresque patricios et consules interfecit, temperantiam abjecit quia antea Tiberius temperatus erat, nunc vero ea abjecta liber vocabatur. Huic quidam artifex vitrum ductile se posse fabricare obtulit, quod Tiberiusad parietem projiciens non fractum sustulit, sed curvatum, et artifex malleum proferens et velut cuprum vitrum fabricans mox correxit. Interrogante autem Tiberio ab eo, quomodo hoc posset fieri, ille dixit, neminem hanc artem scire super terram. Quem Tiberius mox decollari jussit dicens: Si hæc ars venerit in consuetudinem, pro nihilo aurum et argentum reputabitur.

Moralisatio. Carissimi, iste Tiberius signat aliquos claustrales sive ceteros, qui antequam ad dignitatem sunt promoti vel divitias, satis humiles et patientes sunt, sed dum promoventur, totum oppositum operantur, et ideo dicetur communiter: Honores mutant mores etc. Ps.: Homo cum in honore esset non intellexit etc. Artifex qui vas obtulit potest dici pauper, qui diviti munera offert, sed si ei non placent, projicit, nec vult recipere, sed magis contra eum accenditur et spoliat, imo ad mortem usque sæpius punit.

Cap. 45.

Quod solum boni intrabunt regnum cœlorum.

Erat quidem rex nobilissimus sapiens atque dives, qui uxorem habuit prædilectam, quæ debitæ dilectionis immemor tres filios juxta regem genuit, qui semper erant regi rebelles et in nullo ei similes. Deinde de regis semine quartum filium concepit et peperit ac nutrivit. Accidit autem, ut finito dierum suorum circulo rex moreretur corpusque suum regale in sarcophago clauderetur. Post cujus mortem quatuor filii supradicti pro dominio regni inceperunt contendere. Tandem inter se concordabant, ut ad quendam militem veterem regis mortui quondam secretarium specialem accederent et in judicio suo simpliciter se ponerent, et sic factum est. Miles autem, cum eos patienter audisset, dixit: Audite consilium meum et eo facto bene erit. Expedit vobis ut corpus defuncti regis de sarcophago extrahatis et quilibet arcum cum sagitta paratum habeat, et quicunque profundius corpus ejus penetraverit, regnum ejus obtinebit. Placuit eis consilium, scilicet patrem de loco suo effodere et ad arborem ligare. Primus sagittam jaciens manum dextram regis vulnerabat, qua de re tanquam hæres unicus et regni dominus proclamabatur. Secundus vero sagittam propius in os lætanter quodammodo sagittabat,

unde sibi certius attribuebat. Tertius autem cor ipsius sagitta perforavit, qui se præ ceteris fratribus regnum putabat sine lite certissime possessurum. Quartus vero, cum accederet ad corpus, ingemuit et voce lamentabili dixit: Heu me, pater mi, quod sic corpus tuum a filiis tuis video vulneratum! Absit a me, ut ego corpus patris mei vivum aut mortuum unquam percutiam! His dictis regni principes simulque omnis populus eundem juvenem elevantes tanquam verum hæredem et regni dominum in patris solium locaverunt, et alii tres omni dignitate atque divitiis sunt privati et a toto regno expulsi.

Moralisatio. Carissimi, rex iste sapiens, nobilis ac dives regem regum et dominum dominantium non incongrue videtur designare, qui sibi creaturam generis humani tanquam sponsam prædilectam speciali privilegio sociavit, quæ tandem fornicata post deos alienos debitæ dilectionis immemor tanquam adultera tres filios genuit, scilicet paganos, Judæos et hæreticos, quorum primus manum regis vulneravit, cum doctrinam Christi, qui sedet ad dextram patris, respuit suis famulis a deo missis, per vulnera varia mortis supplicium inferendo. Secundus filius putativus regem regum veraciter sagittavit, cum dicerent Judæi: Venite, percutiamus eum lingua, dumque sitim suam felle potarent pariter et aceto. Tertius filius perfidissimus cor regis summi non desinit intoxicato jaculo perforare, dum hæretici nituntur fideles, quibus est cor unum et anima una in domino suis perversæ doctrinae jaculis lacerare, unde Psalm.: Exacuerunt linguas suas sicut serpentes etc. Item: Paraverunt sagittas suas in pharetra. Quartus filius, qui debet nec vult sagittare, est bonus Christianus, qui multum timet deum et dolet de peccatis aliorum, nec ulla ratione vult deum offendere per peccatum, et si offendat, paratus est satisfacere, talis in die judicii exaltabitur in regnum æternum.

Cap. 46.

De septem peccatis mortalibus.

Tullius narrat, quod in mense Majo exivit quidam in nemus, in quo steterunt septem arbores plenæ foliis, decoræ adspectu, et tot frondes collegit, quod portare nequivit. Venerunt tres viri potentes et eum contra nemus duxerunt. In exitu in foveam profundam cecidit et submersus est præ magnitudine ponderis. Item narrat philosophus in libro de animalibus, quod si volueris facere, ut corvus, postquam nidificaverit in arbore, nunquam ex ovis pullos producere possit,

pones cineres vitri inter arborem et corticem, et quamdiu cineres ibi fuerint, nunquam pullos producet.

Moralisatio. Carissimi, istud nemus est mundus iste diversis arboribus delectabilibus, i. e. peccatis mortalibus plantatus. In isto nemore scilicet mundo sunt septem arbores, quæ signant septem peccata mortalia, ex quibus tantum homo colligit et facit pondus, quod portare non potest nec levare, i. e. de peccato suo non pergere potest nec ad gratiam dei pervenire, quamdiu in peccato permanet; sed ecce tres viri veniunt, custodes scilicet nemoris, qui ipsum juvant, scilicet mundus, caro, dæmonia, et ista visibilia, quæ juvant hominem diversis peccatis et ducunt usque ad exitum nemoris, i. e. usque ad exitum a corpore; sed tunc demergitur in profundum inferni præ magnitudine suorum peccatorum. Item corvus est diabolus, nidus est habitatio in corde per inchoationem iniquitatis. Per vitrum, quod diversorum colorum est, intelligitur caro humana, per cinerem vitri mortis memoria, quia vitrum ex cinere est et in cinerem revertitur. Ponatur ergo mortis memoria inter arborem et corticem i. e. inter animam et corpus. Corpus est cortex, quod bene regat anima, et sic diabolus nunquam prolem procreabit perversæ operationis. Quod nobis concedat Jesus Christus, Mariæ filius etc.

Cap. 47.

De tribus regibus.

Rex Danorum ad tres reges, qui stella duce ab oriente Hierosolymam venerunt et Christo nato munera obtulerunt, devotionem habebat eosque in suum hospitium invocabat. Profectus ergo prædictus rex Coloniam cum apparatu magno, ubi sacrosancta corpora eorum cum honore debito conservantur, tres coronas aureas mirabiliter ac regaliter fabrefactas eis obtulit, insuper plus quam sex marcarum millia cum ingenti devotione ecclesiis et pauperibus distribuit, suæ fidei exemplum ibidem fideli populo relinquens. Quadam autem die cum ad propria remearet et membra sopori dedisset, ecce vidit in somnis tres reges cum coronis, quas portaverant in capitibus, præferentes cum ingenti lumine ad se propius accedere, et audivit singulos dicere singuliter talia. Primus et senior dixit: Frater mi, feliciter venisti, sed felicius ad propria remeabis. Alter dixit: Multa tribuisti, sed tecum plurima reportabis. Tertius dixit: Frater mi, fidem ostendisti, sed expletis XXXIII annis jugiter in cœlestibus nobiscum regnabis. Primus ergo dixit, offerens ei pixidem

plenam auro: Accipe, inquit, thesaurum sapientiæ, per quem tibi subjectum populum juste judicabis, quia honor regis judicium diligit. Secundus pixidem cum myrrha ei obtulit dicens: Accipe myrrham pœnitentiæ, per quam etiam carnis motus illecebros effrenabis, quia optime regnat, qui se ipsum bene regit. Tertius similiter obtulit ei pixidem plenam thure dicens ei: Accipe thus devotionis et devotæ clementiæ; per quod miseros relevabis, quia sicut ros herbam irrigat ut crescat, sic dulcis clementia regis usque ad sidera provehit et exaltat. Cumque rex de magnitudine visionis miraretur, subito vigilavit et pixides juxta se collocatas reperit, qui donum dei lætus accepit, et ad propria rediens, quæ in somno viderat, devotissime adimplevit. Expleto termino supradicto regna cœlestia meruit possidere.

Moralisatio. Carissimi, iste rex potest dici quilibet Christianus bonus, qui tenetur tres coronas offerre tribus regibus, scilicet patri, filio et spiritui sancto. Patri teneris reddere coronam honoris, quia potens est. Non bonum est fidem frangere potenti, quia potest opprimere et te annihilare. Istam coronam fidei in baptismo fideliter reddere promisisti, quando diabolo et pompis ejus abrenuntiasti. Secundam coronam sapientiæ ac spei filio teneris reddere, quia sapiens est et pro nobis passus; ideo spem de eo præ ceteris habere debemus et hæc multicipli de causa. Primo, quia tantum nos dilexit, quod de cœlo descendit, naturam nostram assumpsit et victoriam contra diabolum pro nobis obtinuit. Tertio debemus offerre coronam amoris spiritui sancto, quia ipse est amor patris et filii, et per eum amorem hominis et dei poterimus obtinere. Si illa tria puro corde et caritate perfecta offerimus, sine dubio ista, quæ sequuntur, a patre et filio et spiritu sancto obtinebimus. A patre thesaurum virtutum, per quas poterimus animam regere cum corpore contra diabolum, mundum et carnem et per consequens regnum cœleste obtinere. A filio pixidem cum myrrha. Per pixidem cor mundum intelligas a peccatis mundatum, per myrrham pœnitentiam, quia ipse prius vitam pœnitentiæ in cruce ostendit et petentibus ab eo suam gratiam dat quotidie. A spiritu sancto thus devotionis, i. e. suam virtutem infundit, per quam devoti sumus et caritate pleni, quia deus caritas est, et per consequens omnem confessionem, quam per peccatum contra deum incurrimus, per eum delere poterimus et sic vitam æternam obtinebimus. Ad quam nos perducat Jesus Christus etc.

Cap. 48.

De justa sequela malorum.

Refert Dionysius, quod cum Perillus æris artifex Phalaridi regi tyranno crudeli, qui Argentinos depopulabatur et exquisitis tormentis implicabat, obtulisset ejus crudelitati nimis aptum quendam æneum taurum noviter per se factum in latere latenter habens ostium, per quod immitterentur homines morte puniendi, ut supposito igne cremarentur. Et cum ipsi propter mortis amaritudinem clamarent in tauro, non crederetur vox esse humana, sed feralis, ut sic rex minime ad compassionem moveretur. Rex opus laudans sed inventorem ejus exhortans ait: In te prius excipies et probabis, quod mihi crudeli crudelior obtulisti, nulla enim æquior ratio est,

Quam necis artificem arte perire sua,

ut dicit Ovidius.

Moralisatio. Carissimi, iste artifex est malus senescallus sub tyranno rege, qui Argentinos i. e. justos simplices spoliat et eos per tormenta multis modis affligit, homo vero simplex affert munera, ut persecutionem evadat, sed nihil ei prodest. Taurus æneus offertur. Factum est statutum novum et lex, per quam simplices credunt evadere et per eam puniuntur et bona amittunt et tales lites cremantur per cordis amaritudinem et clamant: Non creditur esse vox humana, quia clamorem pauperis potentes non libenter audiunt, sed dicunt: Servus aut rusticus meus est, omnia sua sunt mea. Sed sæpius tales, qui alios affligunt in eadem vel majori damnatione puniuntur et male dies suos finiunt, unde Psalm.: Vidi impium super exaltatum et elevatum sicut cedros Libani. Transivi et ecce non erat.

Cap. 49.

De subtili diaboli illusione.

Paulus Longobardorum historicus refert, quod Conanus rex Ungarorum obsedit in foro Julii castrum dictum Sondat. Quem cum de muro cerneret pulcherrimum, Rosimila ducissa habens quatuor filios et duas filias scripsit sibi occulte: Si me in uxorem duxeris, castrum hoc meum tibi dabo. Quo promittente, eam se velle ducere, castrum ei dedit, filiique omnes fugerunt. Conanus autem rex ducissæ promissum tenens eam primo die in matrimonium sibi copulavit, secundo die XII Ungaris tradidit eam publice illudendam, tertio die toto corpore usque ad gulam transfigi fecit dicendo: Talis uxor, quæ pro

nobis vitam æternam obtinere. Sed heu jam pater patriæ perditur i. e. caritas in terra; vix enim aliquis alium diligit, et sine dubio sapientia secum sustollitur, quia pauci sunt, qui sciunt, qualiter se habere debeant ergo deum et proximum, et si sciunt, pauci sunt, qui operantur propter defectum sapientiæ. Quid ergo sequitur postea? Ecce ruunt regna Romæ, ruunt regna in diversis partibus mundi, ferro, flamma, fame, quia non est caritas in terra nec sapientia, et si dicatur sapientia humana, tamen stultitia est apud deum. Quot nobiles et proceres infra pauca tempora in bello per gladium perierunt, quot pauperes fame interierunt! et hoc totum, quia non est amor nec sapientia in terra, sed frequens maledictio et homicidium.

Cap. 43.

Quod Christus clausit infernum sua passione et voluntaria morte.

In medio Romæ in quodam loco aperta est semel terra et hiantia infra patuerunt foramina. Super hoc dii fuerunt interrogati, responderunt: Non claudetur hæc vorago, nisi aliquis voluntarie se immergat. Sed quum hoc nemini persuadere possent, dixit Marcus Aurelius: Si per annum in Roma pro libitu meo me vivere sinitis, anno elapso gaudenter et voluntarie me immergam. Romani hoc audientes gavisi sunt, concorditer consenserunt, nihil sibi clauserunt. Qui rebus et uxoribus libere utens anno elapso cum nobili equo saltu præcipiti se immergit, et statim terra se clausit.

Applicatio. Carissimi, Roma mundum istum signat, in cujus medio est infernus in centro, qui erat apertus ante Christi nativitatem, et infiniti homines in eo ceciderunt, unde a diis i. e. prophetis recepimus responsum, quod nunquam clauderetur, donec virgo pareret filium, qui pro genere humano contra diabolum pugnaret, et anima ejus cum divinitate ad infernum descenderet, unde scire debetis, quod nunquam de cetero apertus erit, nisi aliquis voluerit per peccatum mortale aperire.

Cap. 44.

De invidia.

Tiberius regnavit, qui ante assumptum imperium erat prudens ingenio, clarus eloquio, fortunatus in bello, sed post resolutus militiæ

artibus nulla bella gerens populum romanum graviter afflixit, filios proprios pluresque patricios et consules interfecit, temperantiam abjecit quia antea Tiberius temperatus erat, nunc vero ea abjecta liber vocabatur. Huic quidam artifex vitrum ductile se posse fabricare obtulit, quod Tiberiusad parietem projiciens non fractum sustulit, sed curvatum, et artifex malleum proferens et velut cuprum vitrum fabricans mox correxit. Interrogante autem Tiberio ab eo, quomodo hoc posset fieri, ille dixit, neminem hanc artem scire super terram. Quem Tiberius mox decollari jussit dicens: Si hæc ars venerit in consuetudinem, pro nihilo aurum et argentum reputabitur.

Moralisatio. Carissimi, iste Tiberius signat aliquos claustrales sive ceteros, qui antequam ad dignitatem sunt promoti vel divitias, satis humiles et patientes sunt, sed dum promoventur, totum oppositum operantur, et ideo dicetur communiter: Honores mutant mores etc. Ps.: Homo cum in honore esset non intellexit etc. Artifex qui vas obtulit potest dici pauper, qui diviti munera offert, sed si ei non placent, projicit, nec vult recipere, sed magis contra eum accenditur et spoliat, imo ad mortem usque sæpius punit.

Cap. 45.

Quod solum boni intrabunt regnum cœlorum.

Erat quidem rex nobilissimus sapiens atque dives, qui uxorem habuit prædilectam, quæ debitæ dilectionis immemor tres filios juxta regem genuit, qui semper erant regi rebelles et in nullo ei similes. Deinde de regis semine quartum filium concepit et peperit ac nutrivit. Accidit autem, ut finito dierum suorum circulo rex moreretur corpusque suum regale in sarcophago clauderetur. Post cujus mortem quatuor filii supradicti pro dominio regni inceperunt contendere. Tandem inter se concordabant, ut ad quendam militem veterem regis mortui quondam secretarium specialem accederent et in judicio suo simpliciter se ponerent, et sic factum est. Miles autem, cum eos patienter audisset, dixit: Audite consilium meum et eo facto bene erit. Expedit vobis ut corpus defuncti regis de sarcophago extrahatis et quilibet arcum cum sagitta paratum habeat, et quicunque profundius corpus ejus penetraverit, regnum ejus obtinebit. Placuit eis consilium, scilicet patrem de loco suo effodere et ad arborem ligare. Primus sagittam jaciens manum dextram regis vulnerabat, qua de re tanquam hæres unicus et regni dominus proclamabatur. Secundus vero sagittam propius in os lætanter quodammodo sagittabat,

unde sibi certius attribuebat. Tertius autem cor ipsius sagitta perforavit, qui se præ ceteris fratribus regnum putabat sine lite certissime possessurum. Quartus vero, cum accederet ad corpus, ingemuit et voce lamentabili dixit: Heu me, pater mi, quod sic corpus tuum a filiis tuis video vulneratum! Absit a me, ut ego corpus patris mei vivum aut mortuum unquam percutiam! His dictis regni principes simulque omnis populus eundem juvenem elevantes tanquam verum hæredem et regni dominum in patris solium locaverunt, et alii tres omni dignitate atque divitiis sunt privati et a toto regno expulsi.

Moralisatio. Carissimi, rex iste sapiens, nobilis ac dives regem regum et dominum dominantium non incongrue videtur designare, qui sibi creaturam generis humani tanquam sponsam prædilectam speciali privilegio sociavit, quæ tandem fornicata post deos alienos debitæ dilectionis immemor tanquam adultera tres filios genuit, scilicet paganos, Judæos et hæreticos, quorum primus manum regis vulneravit, cum doctrinam Christi, qui sedet ad dextram patris, respuit suis famulis a deo missis, per vulnera varia mortis supplicium inferendo. Secundus filius putativus regem regum veraciter sagittavit, cum dicerent Judæi: Venite, percutiamus eum lingua, dumque sitim suam felle potarent pariter et aceto. Tertius filius perfidissimus cor regis summi non desinit intoxicato jaculo perforare, dum hæretici nituntur fideles, quibus est cor unum et anima una in domino suis perversæ doctrinae jaculis lacerare, unde Psalm.: Exacuerunt linguas suas sicut serpentes etc. Item: Paraverunt sagittas suas in pharetra. Quartus filius, qui debet nec vult sagittare, est bonus Christianus, qui multum timet deum et dolet de peccatis aliorum, nec ulla ratione vult deum offendere per peccatum, et si offendat, paratus est satisfacere, talis in die judicii exaltabitur in regnum æternum.

Cap. 46.

De septem peccatis mortalibus.

Tullius narrat, quod in mense Majo exivit quidam in nemus, in quo steterunt septem arbores plenæ foliis, decoræ adspectu, et tot frondes collegit, quod portare nequivit. Venerunt tres viri potentes et eum contra nemus duxerunt. In exitu in foveam profundam cecidit et submersus est præ magnitudine ponderis. Item narrat philosophus in libro de animalibus, quod si volueris facere, ut corvus, postquam nidificaverit in arbore, nunquam ex ovis pullos producere possit,

pones cineres vitri inter arborem et corticem, et quamdiu cineres ibi fuerint, nunquam pullos producet.

Moralisatio. Carissimi, istud nemus est mundus iste diversis arboribus delectabilibus, i. e. peccatis mortalibus plantatus. In isto nemore scilicet mundo sunt septem arbores, quæ signant septem peccata mortalia, ex quibus tantum homo colligit et facit pondus, quod portare non potest nec levare, i. e. de peccato suo non pergere potest nec ad gratiam dei pervenire, quamdiu in peccato permanet; sed ecce tres viri veniunt, custodes scilicet nemoris, qui ipsum juvant, scilicet mundus, caro, dæmonia, et ista visibilia, quæ juvant hominem diversis peccatis et ducunt usque ad exitum nemoris, i. e. usque ad exitum a corpore; sed tunc demergitur in profundum inferni præ magnitudine suorum peccatorum. Item corvus est diabolus, nidus est habitatio in corde per inchoationem iniquitatis. Per vitrum, quod diversorum colorum est, intelligitur caro humana, per cinerem vitri mortis memoria, quia vitrum ex cinere est et in cinerem revertitur. Ponatur ergo mortis memoria inter arborem et corticem i. e. inter animam et corpus. Corpus est cortex, quod bene regat anima, et sic diabolus nunquam prolem procreabit perversæ operationis. Quod nobis concedat Jesus Christus, Mariæ filius etc.

Cap. 47.

De tribus regibus.

Rex Danorum ad tres reges, qui stella duce ab oriente Hierosolymam venerunt et Christo nato munera obtulerunt, devotionem habebat eosque in suum hospitium invocabat. Profectus ergo prædictus rex Coloniam cum apparatu magno, ubi sacrosancta corpora eorum cum honore debito conservantur, tres coronas aureas mirabiliter ac regaliter fabrefactas eis obtulit, insuper plus quam sex marcarum millia cum ingenti devotione ecclesiis et pauperibus distribuit, suæ fidei exemplum ibidem fideli populo relinquens. Quadam autem die cum ad propria remearet et membra sopori dedisset, ecce vidit in somnis tres reges cum coronis, quas portaverant in capitibus, præferentes cum ingenti lumine ad se propius accedere, et audivit singulos dicere singuliter talia. Primus et senior dixit: Frater mi, feliciter venisti, sed felicius ad propria remeabis. Alter dixit: Multa tribuisti, sed tecum plurima reportabis. Tertius dixit: Frater mi, fidem ostendisti, sed expletis XXXIII annis jugiter in cœlestibus nobiscum regnabis. Primus ergo dixit, offerens ei pixidem

plenam auro: Accipe, inquit, thesaurum sapientiæ, per quem tibi subjectum populum juste judicabis, quia honor regis judicium diligit. Secundus pixidem cum myrrha ei obtulit dicens: Accipe myrrham pœnitentiæ, per quam etiam carnis motus illecebros effrenabis, quia optime regnat, qui se ipsum bene regit. Tertius similiter obtulit ei pixidem plenam thure dicens ei: Accipe thus devotionis et devotæ clementiæ; per quod miseros relevabis, quia sicut ros herbam irrigat ut crescat, sic dulcis clementia regis usque ad sidera provehit et exaltat. Cumque rex de magnitudine visionis miraretur, subito vigilavit et pixides juxta se collocatas reperit, qui donum dei lætus accepit, et ad propria rediens, quæ in somno viderat, devotissime adimplevit. Expleto termino supradicto regna cœlestia meruit possidere.

Moralisatio. Carissimi, iste rex potest dici quilibet Christianus bonus, qui tenetur tres coronas offerre tribus regibus, scilicet patri, filio et spiritui sancto. Patri teneris reddere coronam honoris, quia potens est. Non bonum est fidem frangere potenti, quia potest opprimere et te annihilare. Istam coronam fidei in baptismo fideliter reddere promisisti, quando diabolo et pompis ejus abrenuntiasti. Secundam coronam sapientiæ ac spei filio teneris reddere, quia sapiens est et pro nobis passus; ideo spem de eo præ ceteris habere debemus et hæc multicipli de causa. Primo, quia tantum nos dilexit, quod de cœlo descendit, naturam nostram assumpsit et victoriam contra diabolum pro nobis obtinuit. Tertio debemus offerre coronam amoris spiritui sancto, quia ipse est amor patris et filii, et per eum amorem hominis et dei poterimus obtinere. Si illa tria puro corde et caritate perfecta offerimus, sine dubio ista, quæ sequuntur, a patre et filio et spiritu sancto obtinebimus. A patre thesaurum virtutum, per quas poterimus animam regere cum corpore contra diabolum, mundum et carnem et per consequens regnum cœleste obtinere. A filio pixidem cum myrrha. Per pixidem cor mundum intelligas a peccatis mundatum, per myrrham pœnitentiam, quia ipse prius vitam pœnitentiæ in cruce ostendit et petentibus ab eo suam gratiam dat quotidie. A spiritu sancto thus devotionis, i. e. suam virtutem infundit, per quam devoti sumus et caritate pleni, quia deus caritas est, et per consequens omnem confessionem, quam per peccatum contra deum incurrimus, per eum delere poterimus et sic vitam æternam obtinebimus. Ad quam nos perducat Jesus Christus etc.

Cap. 48.

De justa sequela malorum.

Refert Dionysius, quod cum Perillus æris artifex Phalaridi regi tyranno crudeli, qui Argentinos depopulabatur et exquisitis tormentis implicabat, obtulisset ejus crudelitati nimis aptum quendam æneum taurum noviter per se factum in latere latenter habens ostium, per quod immitterentur homines morte puniendi, ut supposito igne cremarentur. Et cum ipsi propter mortis amaritudinem clamarent in tauro, non crederetur vox esse humana, sed feralis, ut sic rex minime ad compassionem moveretur. Rex opus laudans sed inventorem ejus exhortans ait: In te prius excipies et probabis, quod mihi crudeli crudelior obtulisti, nulla enim æquior ratio est,

Quam necis artificem arte perire sua,

ut dicit Ovidius.

Moralisatio. Carissimi, iste artifex est malus senescallus sub tyranno rege, qui Argentinos i. e. justos simplices spoliat et eos per tormenta multis modis affligit, homo vero simplex affert munera, ut persecutionem evadat, sed nihil ei prodest. Taurus æneus offertur. Factum est statutum novum et lex, per quam simplices credunt evadere et per eam puniuntur et bona amittunt et tales lites cremantur per cordis amaritudinem et clamant: Non creditur esse vox humana, quia clamorem pauperis potentes non libenter audiunt, sed dicunt: Servus aut rusticus meus est, omnia sua sunt mea. Sed sæpius tales, qui alios affligunt in eadem vel majori damnatione puniuntur et male dies suos finiunt, unde Psalm.: Vidi impium super exaltatum et elevatum sicut cedros Libani. Transivi et ecce non erat.

Cap. 49.

De subtili diaboli illusione.

Paulus Longobardorum historicus refert, quod Conanus rex Ungarorum obsedit in foro Julii castrum dictum Sondat. Quem cum de muro cerneret pulcherrimum, Rosimila ducissa habens quatuor filios et duas filias scripsit sibi occulte: Si me in uxorem duxeris, castrum hoc meum tibi dabo. Quo promittente, eam se velle ducere, castrum ei dedit, filiique omnes fugerunt. Conanus autem rex ducissæ promissum tenens eam primo die in matrimonium sibi copulavit, secundo die XII Ungaris tradidit eam publice illudendam, tertio die toto corpore usque ad gulam transfigi fecit dicendo: Talis uxor, quæ pro

libidine suæ carnis civitatem propriam perdidit, talem debet habere maritum.

Moralisatio. Carissimi, iste Conanus est diabolus, qui obsedit castrum scilicet cor humanum cum vitiis et concupiscentiis. Rosimila ducissa, anima scilicet, quæ est per diabolum seducta, respicit ultra muros i. e. appetit illicita, sicut visus mulierem ad concupiscenda et sic de ceteris sensibus. Unde miser homo tantum delectatur, quod castrum i. e. cor suum dat diabolo, quando peccato consentit. Unde fugiunt quatuor filii, i. e. quatuor virtutes cardinales ab eo fugiunt, et sic diabolus animam occupat cum duabus filiabus i. e. delectatione mala et voluntate iniqua. Postea tradit eam XII Ungaris i. e. vitiis omnibus illudendam. Post hæc eam occidit, quando ad infernum eam ducit.

Cap. 50.

De laude recte judicantium.

Refert Valerius, quod Zelongus consul edidit pro lege, quod, si quis virginem defloraret, utrumque oculum amitteret. Accidit, quod filius ejus filiam unicam cujusdam viduae defloravit. Mater hæc audiens imperatori occurrens ait: O domine, legem quam fecistis, impleri faciatis. Ecce unicus filius vester unicam filiam meam rapuit et vi oppressit. Rex hoc audiens commota sua omnia viscera ejus. Præcepit, ut duo oculi filii sui eruerentur. Dixerunt satrapæ domino: Tantum unicum filium habes, qui est heres tuus. Toti imperio esset damnum, si filius tuus oculos amittat. At ille: Nonne vobis constat, quod ego legem edidi? Opprobrium esset mihi frangere, quod semel firmiterque statui. Sed quia filius meus est primus, qui contra legem fecit, primus erit etiam, qui pœnitentiæ subjacebit. Sapientes dixerunt: Domine propter deum rogamus vos, ut filio vestro parcatis. Ille vero precibus devictus ait: Carissimi, ex quo ita est, audite me! Oculi mei sunt oculi filii mei et e converso. Dextrum oculum meum eruatis et sinistrum oculum filii mei! Tunc lex est impleta. Et sic factum est, unde omnes prudentiam regis et justitiam laudabant.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est dominus noster Jesus Christus, qui istam legem edidit, nam si quis defloraret virginem i. e. animam per baptismum lotam, duobus oculis carere deberet, scilicet visionem divinam et gloriam æternam amittet. Iste filius regis, qui legem fregit, est homo, qui per peccatum animam defloravit. Unde

necesse est, ut pœnam sustineat, quia nostra mater ecclesia ad deum clamat quotidie, ut homo se emendet in hoc mortali corpore. Isai.: Clama! Ne cesses! Quasi tuba exalta vocem tuam! Imperator unum oculum amisit, scilicet dominus Jesus Christus, ut tantum unum oculum retineret, quando vitam pro nobis exposuit, et ideo oportet nos eruere oculum sinistrum i. e. omnes concupiscentias i. e. carnis delitias et per consequens vitam æternam obtinebimus, quod nobis præstare dignetur Jesus Christus, Mariæ filius etc.

Cap. 51.

De injustis exactoribus.

Refert Josephus, quod Tiberius Cæsar requisitus, cur provinciarum præsides diu teneret in officiis, respondit per exemplum: Vidi, inquit, quandoque hominem infirmum ulceribus plenum muscis gravatum, cui cum per flagella muscas expellerem, dixit mihi: Dupliciter me crucias, unde me consolari putas, abigendo muscas sanguine meo plemas et remittendo vacuas et famelicas. Quis enim dubitet aculeum muscæ famelicæ dupliciter affligere magis quam plenæ, nisi ille, qui cor lapideum habet et non carneum.

Moralisatio. Carissimi, sic præsides diu in officio teneo, qui rebus postquam ditati subditis magis parcant, novi autem rectores et vacui deserta justicia subditos iniquis exactionibus et vexationibus magis lædunt.

Cap. 52.

De fidelitate.

Refert Valerius, quod Fabius redemerat captivos Romonorum pro missa pecunia, quam cum senatus dare nollet, ipse fundum unicum habens vendidit et promissum præmium solvit, volens se potius patrimonio privare, quam in propria fide inopem esse.

Moralisatio. Carissimi, Fabius iste est dominus Jesus Christus, qui ob captivos, scilicet totum genus humanum a diabolo captum non pecuniam sed proprium sanguinem dedit in pretium, volens se potius patrimonio scilicet vita propria privare, quam genus humanum dimittere.

Cap. 53.

De bonis rectoribus non mutandis.

Valerius Maximus refert, quod cum omnes Syracusani mortem Dionysii optarent regis Siciliæ, quædam femina senectutis ultimæ sola matutinis horis deos oravit, ut sibi rex superstes fieret in hac vita, cujus orationis causam Dionysius admirans ab ea quæsivit. Quæ respondit: Cum essem puella, gravem tyrannum habens eo carere cupiens pejorem recepi, quo iterum carere cupiens tertium pejorem recepi; timens ergo deteriorem tibi succedere, et ideo pro vita tua omni die rogo. Dionysius hoc audiens amplius ei molestiam non fecit.

Moralisatio. Carissimi, in vetere testamento deus erat valde austerus, nulli parcebat, quia oculum pro oculo, dentem pro dente etc., sed modo per carnem nostram, quam adsumpsit, factus est nobis pius ac propitius; et ideo continue orare debemus, ut alium dominum non habeamus, quam dominum nostrum Jesum Christum, ad quem etc.

Cap. 54.

De regno cœlesti.

Imperator Fridericus secundus unam portam marmoream construxit miro opere super fontem aquæ fluentis prope Capuam, in qua imperator sculptus fuit in majestate cum duobus aliis judicibus. In semicirculo capitis dextri judicis hic versus scriptus fuit:

Intrent securi, qui quærunt vivere puri.

In semicirculo capitis sinisti judicis fuit scriptus hic versus:

Invidus excludi timeat vel carcere trudi!

In semicirculo capitis imperatoris istud scriptum fuit:

Quam miseros facio, quos variare scio!

In semicirculo super portam scriptum fuit:

Cæsaris imperio regni custodia fio.

Moralisatio. Carissimi, imperator iste est dominus noster Jesus Christus, porta marmorea est sancta ecclesia, per quam oportet intrare regnum cœleste, et est situata super fontem aquæ fluentis i. e. super mundum, qui semper currit ut aqua. In qua porta sculpta est imago domini nostri Jesu Christi cum duobus collateribus, i. e. cum Maria matre Jesu et Johanne evangelista, qui designat nobis ejus misericordiam et justitiam. Tunc scriptus est versus: Intrent securi, i. e. pagani, Judæi, Saraceni per baptismum, qui quærunt vivere

puri, i. e. ab omni peccato purgati, sicut pueri innocentes. Alius versus dicit: Invidus i. e. peccator in peccato existens excludi timeat ab ecclesia triumphante, et sic in carcere infernali trudi sine fine. In capite imperatoris erat scriptum, quod miseri sunt, qui variant a via veritatis, et alius dicit: Cæsaris imperio i. e. imperium domini nostri Jesu Christi erit nostra custodia et domus sempiterna.

Cap. 55.

De revocatione peccatricis animæ in exilium satisfactionis missæ.

Rex quidam nobilis quendam filium formosum, sapientissimum, strenuissimum, gratiosum et morosum habebat, et quatuor filias habuit quarum nomina hæc erant: Justitia, Veritas, Misericordia et Pax. Rex iste voluit filio suo unico sponsam dare, destinavit nuntium pro virgine, quæ esset decora, tandem invenit filiam regis Hierusalem pulchram valde, quæ est tradita filio suo, qui eam miro modo dilexit. Filius iste quendam servum habebat, et ex magna confidentia unum ducatum ad custodiendum ei tradidit. Ipse vero proditor seduxit sponsam domini sui ac violavit ac ducatum devastavit. Filius cum de adulterio uxoris audisset, contristatus est valde et demisit eam et dedit ei libellum repudii, et privavit eam omni honore suo. Ipsa sic privata ad magnam egestatem pervenit intantum, quod quasi desperata hinc inde ambulabat et panem suum mendicabat. Hoc audiens sponsus ejus misertus est ei, nuncium ad eam misit, qui eam revocaret et ei diceret: Veni, domina, ad dominum tuum secure! Noli timere! Illa vero renuit et dixit: Dic domino meo, ad eum venirem libenter, sed non possum. Si quærat dominus meus, quare recuso, dic ei: Quia lex est talis: Si vir uxorem habuerit et fornicata fuerit cum altero, dabit ille ei libellum repudii et non revertetur ad eum ultra. Ego vero jam libellum repudii recepi, quia fornicationem commisi, ideo non redire potero ad eum. Ait nuncius: Dominus meus est ultra legem, ex quo legem constituit, et ideo, ex quo misertus est tui, secure ad eum venire poteris. At illa: Quale signum dabit ipse mihi, quod secure ad eum venire potero? Si tantum istud ostenderet, secura essem, videlicet quod veniret dilectus meus ad me osculeturque me osculo oris sui, tunc sum secura, quod recepit me in gratiam suam. Dominus quum per nuncium hoc audisset, consilium super hoc habebat cum omnibus satrapis curiæ suæ et regni. Tandem consultum est, ut mitteret virum sapientem pro ea, ut reduceret eam, et non est

inventus unus in toto regno qui se de hac re intromittere vellet. Vir ejus cum hoc audisset, ad eam nuncium destinavit, qui diceret: Quid faciam tibi? Non est inventus aliquis, qui te vellet ad me reducere! Illa hoc audiens flevit amare, quod non est inventus, qui eam reduceret. Vir ejus cum audisset de ejus lamentatione, perrexit ad patrem suum et ait: Domine mi, si vobis placet, ego ibo ad sponsam meam, et a miseria et dolore suo liberabo eam, et ad palatium vestrum reducam. Ait pater: Vade in fortitudine tua et reduc eam. Tunc misit nuncium ad eam, qui ei diceret: Jam gaude, quia ecce ego venio ad te et reducam te. Soror senior, scilicet Justitia, cum hoc audisset, processit ante regem et ait: Domine, justus estis et rectum judicium vestrum; ego sum Justitia filia vestra, recte judicastis illam meretricem, ut amplius non esset sponsa fratris mei, et ei libellum repudii dedistis. Justitiam ergo teneatis, et si contra justitiam operatus fueritis, dico vobis, non ero filia vestra Justitia. His dictis venit secunda soror, scilicet Veritas, et ait: Pater mi, veraciter illam meretricem judicastis, quæ cubile fratris nostri per adulterium violavit. Si eam velitis reducere, facitis contra veritatem, et si sic, sine dubio non ero filia vestra Veritas. Hæc audiens tertia soror, scilicet Misericordia, venit ad patrem et ait: Domine, ego sum Misericordia filia tua. Fac ergo misericordiam cum peccatrice, quæ deliquit, quia pro commisso multum dolet, et si ei misericordiam non feceris, non ero Misericordia filia tua. Quarta soror, scilicet Pax, cum audisset tantam discordiam inter sorores, totam terram voluit derelinquere et fugam petiit. Hoc facto Justitia et Veritas exhibuerunt gladium et regi tradiderunt dicentes: Domine, ecce gladius justitiæ ad occidendum illam meretricem, quæ nos et fratrem nostrum confundit. Misericordia hoc videns gladium a manibus earum arripuit et ait: Satis diu regnastis et vestram voluntatem obtinuistis. Modo tempus est, ut exaudiar a patre meo; ego sum filia sua sicut et vos. Respondit Justitia: Verum est, multo tempore regnavimus et adhuc volumus regnare. Veruntamen ex quo inter nos est tanta discordia, vocetur frater noster, qui sagax est in omnibus, et inter nos judicet! Et sic factum est. Filius vero cum venisset et audisset altricationes inter eas, quomodo Justitia et Veritas ex una parte vindictam petierunt, Misericordia veniam, ait Carissimæ sorores, propter vestram discordiam soror nostra a patre nostro prædilecta, scilicet Pax, totum regnum dimisit. Hoc nullo modo volo pati, quia pro sponsa mea paratus sum pati supplicia. Ait Justitia: Si hoc feceris, tibi contradicere non possumus. Dixit ergo ad Misericordiam: Tu laboras pro sponsa mea, ut reducatur, si vero eam reducam, et iterum fornicata fuerit, intendis iterato pro ea

intercedere? At illa: Non, nisi pœnituerit. Audiens hæc filius Pacem sororem suam reduxit, et fecit sorores ad invicem osculari. Facta concordia filius de regno descendit et bellum pro sponsa dedit et eam cum omni honore ad regnum patris sui reduxit, et sic ambo vitam in pace finiverunt.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est pater cœlestis, filius tam sapiens est dominus noster Jesus Christus, sponsa tam pulchra est anima ad dei similitudinem creata, quatuor sorores justitia, veritas, misericordia et pax. Anima cum servo domini i. e. cum diabolo adulterata est, quando ei consentit, et ideo eam dominus suus dimisit; post hoc pius sponsus dedit ei libellum repudii et dimisit eam et privavit eam omni honore suo, in quo erat constituta super opera manuum domini, sicut ait Psalmista: Omnia subjecisti sub pedibus ejus, Dedit etiam ei ducatum i. e. paradisum et illum etiam ab ea abstulit et in miseriam hujus mundi posuit, unde dixit: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Unde Bernardus conqueritur et dicit: Memento nobilitatis tuæ, pudeat dejectionis tuæ. Ipse vero dominus misertus sponsæ suæ misit ad eam nuncium, qui revocaret eam et diceret: Elevare, elevare, consurge, consurge, Hierusalem! Solve vincula colli tui, captiva filia Sion! Illa vero renuit venire et dixit: Domine, libenter redirem, sed non possum. Quare? quia tu dixisti per Jeremiam: Si vir habuerit uxorem et illa fornicata fuerit cum altero, dabit illi vir libellum repudii, et non revertetur ad eam ultra. Ergo non audeo reverti ad te, quid ergo faciam? Tua sunt verba: Qui justus es et juste judicas omnia. Quomodo ergo ad te redire potero? Respondit dominus per Esaiam prophetam: Nunquid abbreviata est manus mea, ut salvare nequeam? Absit! Sed sicut dixi per Ezechielem: In quacunque hora peccator ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor. Et licet fornicata sis, tamen ad me revertere, et ego recipiam te, ut dicitur in canticis: Revertere, revertere, Sunamitis etc. Revertere reconciliando te deo patri, revertere reconciliando te dei filio, revertere reconciliando te spiritui sancto, revertere reconciliando te angelis, quorum consortium tu perdidisti! Illa respondit: Quod signum mihi dabis, quod recipias me? Ait dominus: Pete tibi signum a domino deo tuo in profundo inferni, sive in excelsum supra. At illa dixit: Non petam, sed veniat dilectus meus ad me et osculetur me osculo oris sui, ut sim secura, quod me in gratiam suam recipiat. Cui dominus: Si mulier oblita fuerit infantuli sui, ego nunquam tui obliviscar, ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis, et ideo consilium habeo. Dominus vero habuit consilium secretum cum tota curia cœlesti, quem mitteret pro liberatione sponsæ suæ, et neque inter

angelos neque inter homines invenit aliquem, qui velit posset vel qui dignus esset sponsam suam redimere. Angelus dicebat: Ego liberæ conditionis sum, illa servilis, quare ego deformarem conditionem meam? Homo dicebat: Non sum dignus pati pro sponsa tua, quia homo sum peccator. Hoc videns dominus misit ad sponsam suam dicens: Quid faciam, quia non est, qui velit aut qui posset te salvare? Illa hæc audiens flevit, quod neque in cœlo neque in terra aliquis inventus est, qui eam liberaret. Pater vero misericordiarum et deus totius consolationis consolabitur eam dicens: Jerusalem, sponsa mea, civitas mea, noli sic flere, quia cito veniet salus tua. Quare mœrore consumeris? Numquid consiliarius non adest tibi, quia invocavit te, dolor salvet te et liberet te, noli timere! Surrexit ergo filius ante patrem et dixit: Ecce ego paratus sum pro sponsa mea pati, ego feci, ego feriam, ego portabo, ego salvabo. Cui pater: Vade in hac fortitudine tua et libera filiam meam sponsam tuam de carcere Madian i. e. diaboli. Hæc audiens Justitia allegavit contra fratrem suum, supervenit Veritas et tenuit cum Justitia, sed Misericordia cum fratre suo tenuit, et Pax quarta soror fugit, quia non erat pax inter deum et hominem. Justitia dicebat Misericordiæ: Regnare volo, quia dicit Salomon: Immortalis est justitia et perpetua, unde jus in eum nulla præscriptio includit, diuturnitas temporis non attenuat, sed potius confirmat. Respondit Misericordia: Verum est, quod immortalis es et perpetua, sed in futuro non modo. Ego volo pro ea intercedere, quia pœnitentiam jam agit, et sicut tu es filia patris mei Justitia, sic et ego sum filia Misericordia, et ideo ratio dictat, ut me audiat sicut et te. Videns ergo filius sapiens istam discordiam inter sorores dixit Justitiæ: Paratus sum tibi satisfacere, ut prævaleat oratio Misericordiæ. Ait Justitia: Mihi placet, sed vellem scire quomodo. Ait filius: Incarnari volo et naturam humanam assumere. Nunquid hoc sufficit? Et dixit filia Justitia: Non sufficit. Dixit filius: Circumcidi volo, famem et sitim pati, tentari, tristari, tædium pati, sanguineum sudorem stillare; numquid hæc tibi sufficiunt? Et respondit illa, quod non sufficiunt. Dixit filius Justitiæ: Volo colaphis cædi et etiam alapis flagellari, volo conspui deridi et derelinqui et despici etc. Numquid hæc tibi sufficiunt? Respondit Justitia: Non sufficiunt. Crucem volo portare et manibus et pedibus perforari et ligari. Numquid hæc tibi sufficiunt? Et illa: Non. Aceto potari volo, totum sanguinem exhaurivi et in cruce mori, mortuus lancea perforari latus, deinde a mortuis resurgere, cœlum ascendere, locum sponsæ meæ præparare. Numquid hæc tibi sufficiunt? Et illa dixit: o bone frater, ut video et secundum quod audio, plus diligis sponsam tuam, quam te ipsum. Jam quæ dixisti sufficiunt. Tunc filius dixit

ad Misericordiam: Si omnia ista quæ dixi et quæ in corde meo posui fecero et sponsa mea ista contempserit, numquid iterum pro me interpellabis? Et illa: Non nisi egerit pœnitentiam. Qui ait: Mihi bene placet. Quoties homo peccaverit, si pœnitentiam post hoc egerit misericordiam super eum habebo. Hic dictis fecit sorores vocari, scilicet Justitiam Veritatem Misericordiam et Pacem et osculatæ sunt ad invicem. Tunc filius omnia promissa adimplevit et regna cœlestia ei dedit. Unde Bernhardus excitans sponsam ad considerandum gratiam sibi a domino impensam dicit: Vide o sponsa in cruce sponsum tuum capite inclinatum ad osculum, manuum extensionem ad amplexus, lateris apertionem ad affectum, totius corporis expositionem ad contemptum. Hausit igitur de proprio sanguine suo, et obtulit patri suo munus pro dulcissima sponsa sua. Suscipies ergo pater cœlestis præclarum munus de manu filii, per quod salvati sumus ad vitam æternam. Ad quam etc.

Cap. 56.

De memoria mortis.

Quidam princeps erat qui multum delectabatur venari. Accidit semel, quod cum ad venandum perrexisset, casu mercator quidam per eandem viam secutus est, vidensque principem, formosum, gratiosum, vestimentis pretiosis indutum, ait in corde suo: O domine deus, homo iste multum tibi tenetur; ecce quam formosus est et strenuus et gratiosus, et omnes, qui sunt in ejus comitatu, honeste sunt induti. His cogitatis dixit uni ex familia principis: Dic mihi, carissime, dominus vester qualis est? Qui ait: Est dominus multarum terrarum, et potens valde in auro et argento et familia. Ait mercator: Multum tenetur ipse deo; formosus est et sapiens inter omnes, quos unquam vidi. Ille hoc audiens occulte omnia verba mercatoris domino suo narravit. Dominus vero circa horam vespertinam, cum domum rediret, mercatorem rogavit, ut secum pernoctaret. Ille contra hoc non audebat resistere, cum principe ad civitatem perrexit. Cum vero castrum ejus intrasset, tot divitias, tot pulchras cameras auro depictas vidit, quod valde admirabatur. Cum autem hora cœnandi adesset, princeps mercatorem juxta suam dominam in mensa collocari fecit. Mercator autem cum dominam vidisset tam pulchram et tam gratiosam, quasi extra se raptus fuit et ait in corde suo: O deus meus, princeps omnia, quæ desiderat cor suum, habet, uxorem pulchram, filias ac filios, familiam multam nimis. Cum autem sic cogitasset, delata sunt fercula

ante dominam et eum, et ecce cibaria optima in capite unius defuncti collocata et ante dominam posita, et omnibus de familia in scutellis argenteis ministrabatur in aula. Mercator cum caput mortui ante eum vidisset, commota sunt omnia viscera ejus et ait in corde suo: Heu mihi, timeo quod perdam caput meum in isto loco! Domina vero inquantum potuit eum confortavit. Cum vero nox adesset, ducitur in cameram honestam, ubi invenit lectum paratum cortinis circumvolutum, et in angulo domus luminaria magna. Dum vero lectum intrasset, famuli ostium clauserunt et ille solus in camera remansit; respexitque angulum ubi erat lumen, et vidit duos homines mortuos per brachia pendentes. Hoc viso invasit eum timor intolerabilis, intantum quod quiescere non poterat. Mane vero surrexit et ait: Heu mihi, timeo hodie juxta illos duos pendere. Princeps vero cum surrexisset, fecit mercatorem ad se vocari et ait: Carissime, quid tibi placet de me? At ille: Mihi omnia bene placent, sed quod mihi ministrabatur in capite defuncti, ultra quam credi potest abhorrui tantum quod comedere non poteram. Cum vero in lecto positus fuissem, duos juvenes pendentes in angulo cameræ vidi, tantus timor me invasit, quod dormire non poteram, et ideo dei amore permittatis me transire. Ait princeps: Carissime, vidisti uxorem meam nimis pulchram et caput defuncti ante eam? Ratio est talis: iste enim cujus erat caput fuit quidam dux nobilis, qui uxorem meam sollicitavit et cum ea concubuit et simul ad invicem commisceri perspexi, gladium arripui et caput ejus amputavi, unde in signum verecundiæ singulis diebus illud caput ante eam pono, ut ad memoriam reducat peccatum quod commisit. Filius vero defuncti illos duos juvenes cognatos in camera pendentes occidit, ideo omni die corpora eorum visito, ut fiam magis fervens sanguinem eorum vindicare. Cum autem adulterium uxoris recolo et mortem juvenum ad memoriam reduco, nullum gaudium habere potero. Vade ergo carissime in pace et amodo vitam hominis cujuscunque non judices, quousque plenius de veritate tibi constiterit. Mercator ei vale fecit et ad mercandum perrexit.

Moralisatio. Carissimi, princeps iste est quilibet homo christianus bonis virtutibus per virtutem baptismi ditatus, qui debet habere pulchram familiam, scilicet sensus interiores et exteriores sine macula peccati, qui debent homini ministrare et sæpius ad venandum pergere i. e. apus meritorium operari. Mercator iste est bonus prælatus vel confessor discretus, qui tenetur tali associari, domum cordis sui visitare et bonas virtutes ibidem plantare, sicut fecit Christus duobus peregrinis venientibus de Emaus, qui domum hospitii intravit. Uxor

tam formosa est anima ad dei similitudinem creata, quæ debet in mensa juxta prælatum sacræ scripturæ collocari, ut addiscat ea quæ sunt salutis; sed sæpius ista anima cum diabolo adulteratur, quando peccatum mortale committit. Quid ergo est faciendum? Extrahe gladium linguæ et ora ad deum intime! Unde psalmista: Lingua eorum gladius acutus. Per istum gladium linguæ cum cordis contritione et oris confessione poteris hunc diabolum devincere et hoc est caput ejus amputare et ante oculos cordis tui semper ponere, quoniam gratiam tibi dabit deus eum devincere, pœnitentiam perfecte agere, i. e. misericordiæ opus exercendo. Duo juvenes in camera pendentes, quos occidit adversarius tuus, sunt dilectio dei et proximi, qui erant exstincti per peccatum primi parentis, et ideo semper debes eos in camera cordis tui tenere, ut deum tota mente, tota anima diligas et semper in ejus timore permaneas, quia nescimus, si amore vel odio digni sumus, et ad memoriam reducere, quantum deus pro nobis sustinuit in cruce, ut per amarissimæ mortis Christi jugem meditationem deveniamus ad regna perpetua.

Cap. 57.

De perfectione vitæ.

Titus in civitate romana regnavit, qui statuit legem, quod dies primogeniti sui ab omnibus sanctificaretur, et quicunque diem nativitatis filii sui per opus servile violaret, morte moreretur. Promulgata lege vocavit magistrum Virgilium et ait: Carissime, talem legem edidit; veruntamen sæpe in occulto poterunt peccata committi, ad quorum notitiam pervenire non potero. Rogamus ergo te, ut secundum industriam tuam aliquam artem invenias, per quam potero experiri, quales sint illi, qui contra legem delinquunt. Ait ille: Domine, fiat voluntas tua. Statim Virgilius arte magica statuam in medio civitatis fieri fecit. Statua illa omnia peccata occulta in illo die commissa imperatori dicere solebat, et sic per accusationem statuæ quasi infiniti homines erant condemnati. Erat tunc quidam faber in civitate nomine Focus, qui in illo die sicut in ceteris operatus est. Cum autem semel in stratu suo jacuisset, intime cogitavit, quomodo per accusationem statuæ multi moriebantur. Mane surrexit et ad statuam perrexit et ait: O statua, statua, per tuam accusationem multi moriuntur. Voveo deo meo, si me accusaveris, caput tuum frangam. Hic dictis domum perrexit. Hora prima imperator sicut solitus erat nuncios suos ad statuam destinavit, ut ab ea quærerent, si aliquis contra

legem commisisset. Cum autem ad statuam venissent et voluntatem imperatoris dixissent, ait statua: Carissimi, levate oculos vestros et videte, quæ scripta sunt in fronte mea. Illi vero cum oculos levassent, tria in fronte ejus clare viderunt, scilicet: Tempora mutantur, homines deteriorantur, qui voluerit veritatem dicere caput fractum habebit. Ite domino vestro nunciate, quæ vidistis et legistis. Nuncii perrexerunt et omnia domino suo retulerunt. Imperator cum hoc audisset, præcepit militibus suis, ut se armarent et ad statuam pergerent, et si aliquis contra statuam et contra voluntatem suam aliquid faceret, eum ligatis manibus et pedibus ad eum ducerent. Milites ad statuam perrexerunt, dicentes: Placet imperatori, ut ostendatis illos, qui contra legem commiserunt, et quales erant illi, qui minas fecerunt. Ait statua: Focum fabrum accipite! Ille est qui singulis diebus legem violat et mihi minas fecit. Illum comprehenderunt et coram imperatore duxerunt. Ait imperator: Carissime, quid est, quod audio de te? quare legem editam violas? Ait ille: Domine, legem illam servare non possum, quia omni die octo denarios oportet me habere, et illos sine labore non potero acquirere. Ait imperator: Et quare octo denarios? Qui ait: Omni die per annum duos denarios teneor dare, quos mutuavi in juventute, duos accommodo, duos perdo, duos expendo. Ait imperator: De istis manifestius debes mihi dicere: Cui ait faber: Domine mi, audite me! Duos denarios omni die teneor patri meo, quia cum essem puer parvulus, pater meus duos denarios super me singulis diebus expendit, jam pater meus in egestate est positus, unde ratio dictat, quod ei subveniam in sua paupertate, et ideo omni die duos denarios ei trado; duos alios denarios filio meo accommodo, qui jam ad studium pergit, ut si contingat me ad egestatem pervenire, mihi illos duos denarios reddat, sicut ego jam patri meo facio; duos alios denarios omni die perdo super uxorem meam, quia est mihi semper contraria, aut propriæ voluntatis aut callidæ complexionis, et propter ista tria quidquid ei dedero, hoc perdo; duos alios denarios super me ipsum in cibis et potibus expendo. Levius bono modo transire non potero et istos denarios non possum obtinere sine continuo labore. Jam audistis rationem! Detis ergo judicium rectum! Ait imperator: Carissime, recte respondisti, vade et fideliter amodo labora! Post hoc cito imperator defunctus est, et Focus faber propter suam prudentiam in imperatorem elegitur ab omnibus, qui imperium satis prudenter regebat. Ipso mortuo inter alios imperatores imago ejus depingitur et ultra caput suum octo denarii.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est pater cœlestis, qui statuit pro lege, quod qui diem primogeniti sui violaret, morte moreretur. Dies ista est dies dominica, sive dies festivalis ab ecclesia

ordinata, unde in veteri lege ac nova dicitur: Memento, ut diem sabbati sanctifices! Sed heu proh dolor plures illis diebus peccata majora committunt, quam ceteris diebus! Tales poterunt assimilari cuidam pisci in mari, tam diu bene est sibi, quam est in mari, sed si contingat a casu, quod saltat supra tempore pluviæ, et pluvia eum tangit, incipit mori, nec per multos dies statum ejus poterit recuperare, quousque fuerit de aqua maris satiatus. Eodem modo aliqui, quamdiu sunt per totam septimanam in mari hujus mundi laborantes, tamdiu bene videtur eis; sed si contingat eos diebus festivis ad ecclesiam pergere, et aliquem dulcem sermonem vel missam audire, eis videtur, quod sint in magna angustia, quousque sunt in operibus mundanis refocillati. Virgilius certe, qui statuam fecerat, est spiritus sanctus, qui prædicatorem ordinaverat, ut annunciet virtutes et vitia, pœnam et gloriam. Sed heu jam poterit dicere prædicator, sicut statua dixerat: Tempora mutantur. Hoc satis manifeste videmus in primitiva ecclesia, in omni statu tempora erant meliora quam nunc, orationes et preces quam modo. Terra dabat fructum suum magis abunde et omnia elementa, quæ sua erant, omnia sunt mutata propter peccata hominum, hoc apparebat in diluvio Noæ. Secundo: Homines deteriorantur; sicut clare videmus. In antiquo tempore erant homines magis devoti, elemosynarii, charitativi, quam modo sunt. Et quare? Quia totus mundus in maligno positus est. Tertio: Qui voluerit veritatem dicere etc. Modo, si prædicator peccata potentum prædicet, statim minas ac murmurationes habebit. Unde Jesaias XXXI: Loquimini verba placentia! Et ideo apostolus dicit: Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt pro domo Israël. Focus est quilibet bonus christianus, qui fideliter sicut miles Christi laborat. Unde quilibet bonus christianus tenetur singulis diebus patri suo cœlesti reddere duos denarios, scilicet amorem et honorem; amorem, quia nos tantum diligit, quod pro nostro amore unicum filium suum de cœlis descendere permisit et morte turpissima condemnari; honorem, quia omnia ab ipso procedunt et sine eo nullum bonum agere poterimus. Item duos denarios filio accomodamus. Cujusmodi filius est? Certe ille, de quo Esaias dicit: Parvulus enim natus est nobis etc. id est filius dei. Et quales denarios debemus ei accomodare? Certe duos omni die, scilicet bonam voluntatem et bonum actum, quamdiu sumus in hoc mortali corpore, et quando nos egeni sumus facti in die judicii, quando nudi apparebimus, tunc ipse nobis reddet illos denarios in vita æterna, sicut scriptum est: Centuplum accipietis et vitam æternam possidebitis. Item duos denarios perdimus super uxorem. Uxor. ista est caro nostra misera, quæ semper contrariatur spiritui.

Denarii, quos expendimus super eam, sunt mala voluptas et actus malus, quæ continue operantur ex obliqua voluntate. Istos duos denarios perdimus, quia graviter propter hoc hic vel alibi puniemur. Item duos denarios omni die expendimus, si boni christiani sumus, scilicet dilectionem dei in toto corde, et dilectionem ad proximum sicut ad nos ipsos. Carissimi, si istos octo denarios expendere volueritis, ad gaudium æternum pervenire possitis.

Cap. 58.

De confessione.

Rex quidam regnavit nomine Asmodeus, qui statuit, quod quicunque malefactor captus esset et coram judice ductus, si tres veritates posset dicere tam veras, contra quas nullus posset objicere, quando vero sine omni fallacia essent, quantumcunque esset malefactor, vitam suam obtineret cum tota sua hæreditate. Accidit casus, quod quidam miles contra regem forefecit, fugam petiit et in quadam foresta latuit, in qua multa mala commisit, quia omnes intrantes spoliavit aut occidit. Judex quum hoc audisset, insidias in circuitu forestæ ordinavit, eum deprehendi jussit, et ligatis manibus ad judicium venire fecit. Ait ei judex: Carissime, nosti legem? Qui ait: Etiam, domine! Si debeo salvari, oportet me dicere tres veritates, aut mortem evadere non possum. Ait judex: Imple beneficium legis aut hodie morieris. At ille: Domine, fac fieri silentium! Quo facto ait: Domine, ecce hæc est prima veritas: Vobis omnibus denuncio, quod toto tempore vitæ meæ extiti malus homo. Judex hoc audiens circumstantibus ait: Estne verum, quod ille dicit? At illi: Si non esset malefactor, ad ista non venisset. Ait ergo judex: Dic secundam veritatem! Qui ait: Secunda veritas est: Mihi multum displicet, quod in ista forma huc veni. Ait judex: Certe credimus tibi. Dic ergo tertiam veritatem, et te ipsum a morte salvasti. Ait ille: Hæc est veritas: Si semel potero evadere, ad istum locum nunquam voluntarie in ista forma venirem. Ait judex: Amen dico tibi, satis prudenter te liberasti, vade in pace! Et sic salvatus est.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est dominus noster Jesus Christus, qui istam legem edidit, scilicet, quod quicunque malefactor i. e. peccator per gratiam dei captus fuerit et coram discreto judice ductus i. e. confessore, dicat tres veritates tam veras, quod dæmones contra se non poterunt objicere, hæreditatem regni cœlestis obtinebit. Prima veritas est: Ego sum malus homo, i. e. in tali peccato et sic

de singulis, ecce confessio! Secunda veritas est: Displicet mihi etc. i. e. multum mihi displicet, quod tantum deum meum offendi, ecce contritio. Tertia veritas est: Si possem semel evadere per viam sanctificationis, nunquam ad peccatum redirem voluntarie, et sic per consequens vitam æternam obtinerem.

Cap. 59.

De superbia nimia, et quomodo superbi ad humilitatem maximam sæpe perveniunt satis notabile.

Jovinianus imperator regnavit potens valde. Qui cum semel in stratu suo jacuisset, exaltatum est cor ejus ultra quam credi potest, et in corde suo dixit: Estne aliquis alius deus quam ego? His cogitatis somnum cepit. Mane vero surrexit et vocavit milites suos et ait: Carissimi, bonum est cibum sumere, quia hodie ad venandum pergere volo. Illi vero parati erant ejus voluntatem adimplere. Cibo sumpto ad venandum perrexerunt. Dum vero imperator equitasset, calor intolerabilis eum invasit, intantum quod videbatur ei, quod moreretur nisi in aqua frigida balneari posset. Respexit a longe, aquam latam vidit, dixitque suis militibus: Hic remaneatis, quousque fuero liberatus. Dextrarium cum calcaribus percussit, et ad aquam festinanter equitabat, de equo descendit, omnia vestimenta deposuit, aquam intravit et tamdiu ibi remansit, quousque totaliter refrigeratus esset. Dum ibidem exspectasset, venit quidam homo ei per omnia similis in vultu et gestu, et induit se vestimentis ejus, dextrarium ejus ascendit, et ad milites equitavit, ab omnibus sicut persona imperatoris est receptus. Finito ludo ad palatium cum militibus perrexit. Post hoc cito Jovinianus de aqua exivit, sed nec vestes nec equum invenit, admirabatur et tristatus est valde, quia nudus erat et neminem vidit, cogitavit inter se: Quid faciam? Ego miserabiliter sum frustratus. Tandem ad se reversas dicebat: Hic prope manet unus miles, quem ad militiam promovi; ad eum pergam, vestes et equum acquiram et sic ad palatium meum ascendam, et videbo, quomodo et per quem sum confusus. Jovinianus totaliter nudus ad castrum militis perrexit, ad januam pulsavit, janitor autem causam pulsationis quæsivit. Ait Jovinianus: Januam aperite, et qualis ego sum videte! Ille vero januam aperuit et cum eum vidisset, obstupuit et ait: Qualis es tu? At ille: Jovinianus sum imperator, vade ad dominum tuum, et dic ei, ut mihi vestes accommodet, quia vestes et equum perdidi. Qui ait: Mentiris, pessime ribalde! Jam ante

adventum tuum dominus imperator Jovinianus ad palatium suum cum militibus suis transivit, et dominus meus secum perrexit et rediit, et jam in mensa sedet; sed quia imperatorem te nominasti, domino meo nunciabo. Janitor intravit et domino suo verba ejus retulit. Ille hoc audiens præcepit ut introduceretur. Miles cum vidisset, notitiam ejus non habebat, sed imperator peroptime eum cognovit. Ait ei miles: Dic mihi, qualis es, et quod est nomen tuum? Qui respondit: Ego sum imperator Jovinianus, et ego te ad militiam promovi tali tempore. Ait ille: O ribalde pessime, qua audacia es, te ipsum imperatorem nominare! Jam dominus meus imperator ante te ad palatium equitavit, et ego per viam ei associatus eram et jam sum reversus; et quia te ipsum imperatorem nominasti, impune non transibis. Fecit eum egregie verberari et postea expelli. Ille vero sic flagellatus et expulsus flevit amare et ait: O deus meus, quid hoc esse poterit, quod miles, quem ad militiam promovi, notitiam mei non habet, et cum hoc graviter me flagellavit. Cogitavit apud se: Prope est quidam dux consiliarius meus, ad eum pergam et necessitatem ei ostendam, per quam potero indui et ad palatium meum reverti. Cum vero ad januam ducis venisset, pulsavit. Janitor audiens pulsationem januam aperuit, et cum hominem nudum vidisset, admirabatur et ajebat: Carissime, qualis es tu? et quare sic totaliter nudus venisti? Et ille: Ego sum imperator, a casu equum et vestimenta perdidi, et ideo ad ducem veni, ut mihi in hac necessitudine succurrat. Ideo te rogo, ut negotium meum coram domino tuo facias. Janitor dum verba ejus audisset admirabatur, aulam intravit et domino suo omnia retulit. Ait dux: Introducatur. Cum introductus fuisset nullus notitiam ejus habebat, et dux ait ad illum: Qualis es tu? Et ille: Imperator sum ego, et te ad divitias et honores promovi, quando te ducem feci et consiliarium meum te constitui. Ait dux: Insane miser! perrexi parum ante te cum domino meo imperatore versus palatium, et reversus sum, et quia talem honorem tibi adpropriasti, impune non transibis. Fecit eum in carcerem recludi et pane et aqua sustentari. Deinde ex carcere extraxit et egregie verberari, et a tota terra post hoc ejici fecit. Ille sic ejectus ultra quam credi poterit gemuit et suspiria emittebat et intra se dixit: Heu mihi, quid faciam, quia factus sum opprobrium et objectio plebis? Melius est mihi ad palatium meum pergere et mei de palatio meo notitiam habebunt; saltem si non, uxor mea notitiam meam habebit per certa signa. Solus ad palatium accessit, ad januam pulsavit, audita pulsatione janitor januam aperuit; quem cum vidisset dixit: Dic mihi, qualis es tu? Et ille: Miror de te, quod non novisti me, quia per

tot tempora mecum fuisti. Qui ait: Mentiris tu, cum domino imperatore diu steti. Et ille: Ego sum ille, et si dictis non credis, rogo te dei amore, ut ad imperatricem accedas et per ista signa illa mihi vestes imperiales per te mittet, quia a casu perdidi omnia; ista signa, quæ per te ei mitto, nullus nisi nos duo novit sub cœlo. Ait janitor: Non dubito quin insanus sis, quia jam dominus meus imperator in mensa sedet et juxta eum imperatrix; veruntamen ex quo dicis te imperatorem esse, imperatrici intimabo, et certus sum quod graviter punieris. Janitor ad imperatricem perrexit, et omnia audita ei intimavit. Illa non modicum contristata ad dominum suum conversa est et ait: O domine mi, audite mirabilia signa privata inter nos sæpius acta unus ribaldus in porta mihi per janitorem recitat, et cum hoc dicit se imperatorem et dominum meum esse. Ipse cum hoc audisset, præcepit janitori ut introduceretur in conspectu omnium. Qui cum taliter nudus introductus fuisset, canis quidam, qui antea multum eum dilexerat, ad guttur suum saltabat, ut occideret, sed per familiam impeditus est, sic quod nullum ab eo recepit malum. Item quendam falconem habebat in partica, qui cum eum vidisset ligaturam fregit et extra aulam advolavit. Ait imperator omnibus in aula sedentibus: Carissimi, audite verba mea, quæ de isto ribaldo dicam! Dic mihi, qualis es tu et ob quam causam venisti? At ille: O domine, illa est mirabilis quæstio, imperator sum et dominus istius loci. Ait imperator omnibus sedentibus in mensa et circumstantibus: Dicite mihi per juramentum vestrum, quod mihi fecistis, quis nostrum imperator est et dominus? Aiunt illi: O domine, leviter respondemus per juramentum quod vobis fecimus, istum ribaldum nunquam vidimus, sed vos estis dominus noster et imperator, quem a juventate novimus, et ideo rogamus una voce, ut puniatur, ut omnes exemplum ab eo capiant, et de tali præsumptione non attemptent. Imperator ille conversus ad imperatricem ait: Dic domina mihi per fidem qua teneris, nosti tu istum hominem, qui se dicit imperatorem et dominum tuum esse? At illa: O bone domine, cur talia a me quæris? Nonne plus quam XXX annis in societate tua steti et prolem per te genui? Sed unum est, quod miror, quomodo iste ribaldus pervenit ad nostra secreta inter nos perpetrata. Imperator ille dixit illi, qui introductus fuerat: Carissime! quare ausus fuisti te ipsum imperatorem nominare? Damus pro judicio, ut ad caudam equi hodie sis tractus et si iterum ausus sis hoc dicere, te condemnabo morte turpissima. Vocavit satellites suos et ait: Ite et istum ad caudam equi trahite, sed nolite eum occidere! Et sic factum est. Post hæc vero ultra quam credi potest commota sunt omnia interiora ejus et quasi

de se ipso desperatus dicebat: Pereat dies in qua natus sum, amici mei a me recesserunt, uxer mea et filii mei non noverunt me. Cum hoc dixisset, cogitabat: Hic prope manet confessor meus, pergam ad ipsum; forte ipse meam notitiam habebit, quia sæpius confessionem meam audivit. Perrexit ad eremitam, ad fenestram cellulæ pulsavit. At ille: Quis ibi? Et ille: Ego sum imperator Jovinianus, fenestram aperias, ut loquar tecum. Ille vero cum vocem ejus audisset, fenestram aperuit. Cum eum vidisset, cum impetu fenestram clausit et ait: Discede a me, maledicte, tu non es imperator, sed diabolus in forma hominis. Ille hoc audiens ad terram præ dolore cecidit, crines capitis ac barbæ dilaceravit et dixit: Heu mihi, quid faciam ego! His dictis recordatus fuit quod in stratu suo exaltatum fuit cor ejus dicens: Estne deus alter præter me? Statim ad fenestram eremitæ pulsabat et dixit: Amore illius, qui pependit in cruce, confessionem meam audite fenestra clausa. At ille: Mihi bene placet. Qui de tota vita sua cum lacrimis est confessus et præcipue quomodo contra deum se erexit, dicens, quod non credidit alium deum esse quam se ipsum. Facta confessione et absolutione eremita fenestram ejus aperuit et notitiam ejus habebat et ait: Benedictus altissimus, jam novi te. Paucas vestes hic habeo, induas te et ad palatium perge, et ut spero notitiam tuam habebunt. Imperator induit se, ad palatium suum perrexit, ad januam pulsabat, janitor ostium aperuit et eum satis honorifice recepit. At ille: Nunquid notitiam meam habes? Qui ait: Etiam, domine peroptime, sed admiror quod per totum diem hic steti et vos exire non vidi. Ille vero aulam intravit, omnes eum videntes capita inclinabant. Alius imperator erat cum domina. Quidam miles exiens de camera eum intime adspexit, post hæc in cameram est reversus et ait: Domine mi, est quidam in aula, cui omnes capita inclinant et honorem faciunt, qui vobis in omnibus assimilatur, in-tantum quod quis vestrum est imperator penitus ignoro. Imperator ille hoc audiens ait imperatrici: Exeas et videas, si ejus notitiam habeas. Illa vero foras perrexit, et cum eum vidisset, admirabatur, statim cameram intravit et ait: O domine, vobis unum denuncio, quod quis vestrum est dominus meus penitus ignoro. At ille: Ex quo sic est, foris pergam et veritatem excutiam. Cum autem aulam intrasset, eum per manum cepit et juxta eum stare fecit, vocavit omnes milites in aula existentes cum imperatrice et ait: Per juramentum, quod mihi fecistis, dicite, quis nostrum est imperator? Imperatrix primo respondit: Domine mi, mihi incumbit primo respondere; testis est mihi deus in cœlis, quis vestrum est dominus meus, penitus ignoro. Et sic omnes dixerunt. At ille: Carissimi, audite me!

iste homo est imperator vester et dominus, nam aliquo tempore contra deum se erexit, propter quod peccatum deus eum flagellavit et hominis notitia ab eo recessit, quousque satisfactionem deo fecerit, ego sum angelus ejus custos animæ suæ qui imperium custodivi quamdiu fuit in pœnitentia. Jam ejus pœnitentia est completa et pro peccatis satisfecit, amodo ei sitis obedientes ad deum vos recommendo, statim ab oculis eorum disparuit. Imperator vero deo gratias reddidit et toto tempore vitæ suæ in bona pace vixit et spiritum deo reddidit. Quod nobis etc.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator potest dici quilibet homo, totaliter mundo datus, qui propter divitias et honores in superbiam cordis erigitur, sicut alter Nabuchodonosor, qui divinis præceptis non obedivit. Vocat milites i. e. sensus, pergit ad venandum mundi vanitates, interim calor intolerabilis i. e. tentatio diabolica eum arripit, quod quiescere non potest, quousque in aquis mundanis sit totaliter refrigeratus, ista refrigeratio est detrimentum animae et sic milites i. e. sensus sine custodia hominem demittunt, quotiescunque in aqua mundana balneari intendit. Sed de equo primo descendit, i. e. a fide errat, quia in baptismo firmiter deo promisit adhærere et pompis diaboli abrenuntiare, sed quam cito totaliter se in aquis mundanis involvit, fidem frangit et hoc est de equo descendere. Deinde deposuit vestes i. e. virtutes, quas in baptismo recepit, et sic nudus miser in mundi vanitatibus jacet. Quid est faciendum? Certe ut alius scilicet prælatus, qui fidem et virtutes habet custodire, i. e. vestimenta recipere, quia prælato datur potestas solvendi peccatorem, quoties puro corde ad deum se convertit. Jovinianus cum de aqua exivit etc. Sic miser homo, cum de aqua mundana per dei gratiam intendit exire, nullam virtutem inveniet, quia omnes per peccatum perdidit, ergo habet materiam dolendi. Quomodo debent ergo virtutes recuperari? Certe ad domum militis primo debet pergere. Miles iste est ratio, quæ habet te flagellare, quia ratio dictat, quod quantum contra deum perpetrasti, in corde tuo hoc emendes, et ideo non poteris teipsum dicere imperatorem i. e. christianum qui opera christiani per peccatum perdidisti; ratio ergo te expellit ab omni vitio. Quid est faciendum? Pergas ad castrum ducis scilicet ad conscientiam tuam propriam, quæ contra te graviter murmurat, donec reconciliatus deo fueris, imo in carcerem te ponit, i. e. in perplexitatem magnam, quomodo et per quam viam deo placere potes et vulnera ab eo recipere i. e. cordis compunctionem, per quam sanguis i. e. peccatum exeat. Deinde ad palatium cordis tui pulsare, i. e. intime cogitare quam et qua de causa contra deum deliquisti. Janitor i. e. voluntas, quæ est libera,

ostium cordis tui habet aperire et te ducere ad primum statum, quem in baptismo recepisti. Canis, qui saltat, ut te occidat, est caro tua propria, per quam homo sæpius occideretur, nisi deus impediret. Et falco in pertica extra fenestram volat etc. i. e. potentia divina non tecum manebit quamdiu in mala vita jaces, nec uxor i. e. anima notitiam habebit tuæ salutis. Quid ergo faciendum est? Certe ut sis tractus ad caudam equi. Trahi per caudam equi nihil aliud est quam a principio vitæ usque ad præsens, quid et quantum fecisti tantum dolere et satisfactionem perpetrare, deinde postquam ista feceris perge ad eremitam i. e. discretum confessorem in foresta sanctæ ecclesiæ, et de omnibus quibus contra deum deliquisti pure confitearis clausa fenestra i. e. private, non ad laudem hominum sed ad tuum solamen, et statim deus et omnes angeli notitiam tui habebunt. Deinde facta confessione vestimentis i. e. bonis virtutibus poteris indui et ad palatium cordis tui secrete accedere et omnes sensus tui cum uxore i. e. anima notitiam habebunt, quia verus imperator i. e. bonus christianus factus es, et per consequens vitam æternam obtinebis. Ad quam etc.

Cap. 60.

De avaritia et ejus subtili conamine.

Quidam rex erat, qui filiam unicam pulchram et gratiosam nomine Rosimundam habebat. Puella ista quum ad ætatem denam pervenisset, erat tam habilis in currendo, quod citius ad terminum pervenerat, antequam aliquis eam tangere posset. Rex per totum regnum proclamari fecerat, quod quicunque cum filia sua volebat currere et ad finem termini ante eam perveniret, ipsam in uxorem haberet et totum regnum post ejus decessum; si vero aliquis hoc attentaret, et in cursu deficeret, caput amitteret. Facta proclamatione quasi infiniti se obtulerunt cum ea currere, et quotquot cum ea currebant, omnes deficiebant et capita amiserunt. Erat tunc quidam in civitate pauper nomine Abibas, qui intra se cogitabat: Pauper ego sum et de vili sanguine progenitus. Si per aliquam viam possem istam puellam devincere, non solum ego promotus essem, sed et omnes de meo sanguine. Providebat sibi de tribus cautelis, scilicet de serto rosarum, quia illa puellæ appetunt, secundo de zona serica quam puellæ libenter optant, tertio de loculo serico et infra loculum pila quædam erat deaurata, super pilam descriptio talis: Qui mecum ludit, nunquam de ludo satiabitur. Hæc tria ipse in sinu suo

posuit, ad palatium perrexit, et pulsavit. Adest janitor et causam pulsationis petebat. Qui ait: Paratus sum cum puella currere. Illa cum hoc audisset quandam fenestram aperuit, et cum eum vidisset in corde suo despexit et ait: Ecce quam reprobus est cum quo currere debes! Tamen non poterat contradicere, ad currendum se præparavit. Ambo ad invicem currebant, cito puella ad magnam distantiam ante eum cucurrit. Abibas cum hoc vidisset, sertum rosarum ante eam projecit; viso serto puella inclinavit se et sertum levavit, et in capite posuit. Tantum in serto delectabatur et exspectabat, quod Abibas ante eam cucurrit. Puella cum hoc vidisset, ait in corde suo: Nunquam filia patris mei cum tali ribaldo debet copulari, statim sertum projecit in quandam foveam profundam et post eum cucurrit et apprehendit. Quem cum apprehendisset, alapam dedit ei dicens: Siste gradum, miser! Non decet ut filius patris tui in uxorem me ducat. Statim ante eum cucurrit. Abibas cum hoc vidisset, ante eam zonam de serico projecit. Quam cum vidisset, inclinavit se et eam levavit, se succinxit et tantum de ea delectabatur, quod ibidem moram traxit, et iterum Abibas longe ante eam cucurrit. Puella cum hoc vidisset, flevit amare et zonam accepit et in tres partes fregit, post eum cucurrit et apprehendit; quem cum apprehendisset, manum levavit et ei alapam dedit dicens: O miser, me in uxorem non habebis. Statim ante eum longe cucurrit. Abibas cum hoc vidisset, exspectabat, quousque ipsa prope esset. Hoc facto loculum de serico ante eam projecit; viso loculo, inclinavit se et loculum levavit, aperuit pilam deauratam, intus invenit superscriptionem, legit: Qui mecum ludit nunquam ludo satiabitur. Incepit tantum et tamdiu ludere cum pila, quod Abibas citius ad finem pervenit et eam in uxorem tenuit.

Moralisatio. Carissimi, imperator iste est dominus noster Jesus Christus, filia pulchra, anima ad dei similitudinem creata, quæ velociter in bonis operibus currit, quamdiu in puritate vitæ manet, intantum quod eam peccatum mortale vincere non potest. Clamor factus est etc. Clamor iste nihil est aliud, quam quod homo se defendat et protegat contra diabolum, mundum et carnem, et si bellum contra ista tria aggreditur, et victoriam obtinuerit, tunc peccata mortalia succumbunt, et hoc est capita amittere. Abibas est diabolus, qui cum videret hominem superasse per opera misericordiæ, providet sibi de tribus cautelis, scilicet de serto. Sertum istud est superbia, quia sicut sertum non ponitur nisi super caput, ut ab hominibus videatur; sic superbus semper videri vult, et ideo dicit Augustinus: Cum superbum videris, filium diaboli esse non dubites. Cum igitur homo utitur serto superbiæ, statim currit diabolus ante

eum. Quid ergo est faciendum? Certe ut sertum superbiæ projiciatur in foveam humilitatis, et sic dabis diabolo alapam et eum dimittes. Post hæc puella se inclinavit et zonam levavit et adspexit. Zona ista est luxuria, quam diabolus projicit ante hominem, cum tamen contra tales dicat Gregorius: Succingite lumbos vestros in castitate. Si ergo succingis te zona luxuriæ, statim diabolus ante te currit, de bona vita tua te impedit. Quid ergo est faciendum? Certe ut zona luxuriæ in tres partes frangatur, scilicet in orationem, jejunium et elemosynam et sic per consequens diabolum vinces. Post hæc diabolus loculum ante hominem projicit; scitis quod loculus habet duas chordas ad aperiendum. Cor vero est loculus, quod debet esse clausum inferius inquantum ad terrena, et superius apertum quantum ad cœlestia ad gratiam suscipiendam. Duæ chordæ, quæ claudunt, sunt timor dei et pœna æterna, per quæ duo cor hominis clauditur ne intret peccatum. Pila in loculo sæpius invenitur in cordibus nostris, scilicet avaritia aut cupiditas; quia sicut pila movetur ad omnem differentiam positionis, sic et avarus movetur in terra, movetur in mari, non cessat pes ejus currere, nec cor cogitare quomodo et per quam viam bona mundana poterit acquirere. Superscriptio est: Qui mecum ludit i. e. qui cum cupiditate incipit vitam ducere, ut vix aut nunquam poterit sustinere, sicut dicit Seneca: Cum omnia peccata senescunt, sola cupiditas juvenescit. Ideo timendum est de aliquibus qui tantum cum pila ludunt cupiditatis, quod diabolus ipsos occupabit, quia, sicut dicit apostolus, radix omnium malorum est cupiditas. Studeamus ergo vitam nostram sic in piis operibus dirigere, ut vitam æternam valeamus attingere.

Cap. 61.

De præmeditatione semper habenda.

Claudius regnavit, qui unicam filiam habebat gratiosam et decoram valde; qui cum semel in stratu suo jacuisset, intime de filia sua cogitabat, quomodo eam promovere posset. Ait intra se: Si eam in uxorem diviti stulto tradidero, filiam meam perdam, si vero pauperi sapienti, per ejus sapientiam ei necessaria large acquireret. Erat tunc in civitate quidam philosophus nomine Socrates quem rex dilexerat, vocavit eum et ait: Carissime, nunquid tibi placet filiam meam in conjugem accipere? Et ille: Etiam, domine peroptime. Et ille: Ex quo ita est, dabo tibi eam et sub illa conditione, quod si moriatur filia in tua societate vitam tuam amittes; eliges ergo eam accipere

vel dimittere? Et ille: Mihi bene placet eam accipere sub ista conditione. Rex nuptias celebravit cum magna solennitate. Per quædam tempora vitam duxerunt in quiete et sanitate perfecta, post hoc uxor Socratis usque ad mortem infirmabatur. Hæc audiens Socrates contristatus est valde, quandam forestam intravit, flevit amare. Dum sic esset in dolore, rex Alexander in eadem foresta venabatur. Miles quidam Alexandri vidit, ad eum equitabat et ait ei: Carissime, cujus homo es? Et ille: Homo talis domini sum ego, qui servus domini mei est, dominus est domini tui, ait miles. Non est major domino meo in toto mundo; sed ex quo talia dicis ducam te ad dominum meum et audiemus, quis est dominus tuus, de quo tot et tanta præsumis. Cum autem coram rege Alexandro ductus fuisset, ait ei rex: Carissime, quis est dominus tuus, de quo talia dicis, quod servus ejus est dominus meus? Ait ille: Dominus meus est ratio, servus ejus voluntas, sic est ergo quod tu per voluntatem tuam regnum tuum et non per ratiònem hucusque gubernasti. Ideo servus domini mei i. e. voluntas est dominus tuus. Audiens hæc Alexander ait: Carissime, prudenter respondisti, vade in pace. Ab illa die cœpit rex regnum suum ratione gubernare et non voluntate. Socrates vero solus forestam intravit et flevit amare pro sua conjuge. Senex quidam ad eum venit et ait: O bone magister, ob quam rem affligitur anima tua? Et ille: Filiam regis sub tali conditione desponsavi, quod quocunque tempore ipsa in societate mea moriatur, ego vitam meam amittam, et jam ad mortem infirmatur, et hæc est causa doloris mei. Ait senex: Fac consilium meum et post factum non pœnitebis; uxor tua est de sanguine regum; cum rex minutus fuerit, uxor tua pectus et ubera liniat de sanguine patris sui, deinde in ista foresta tres herbas invenies, de una ei potionem facies, de aliis duabus unum emplastrum ponas ubi dolorem sentit, et si istam doctrinam impleveris, sanitatem perfectam inveniet. Socrates omnia implevit et uxor ab omni infirmitate convaluit. Rex vero cum audisset quod Socrates tam sollicite pro infirmitate filiæ suæ laborabat, eum ad magnas divitias et honores promovit.

Moralisatio præsentis historiæ. Carissimi, iste rex est dominus noster Jesus Christus; filia tam pulchra anima ad dei similitudinem creata; ista puella non diviti sed pauperi Socrati scilicet homini dedit. Quod sit pauper, ecce Job. IX: Nudus egressus sum de utero matris meæ etc. Sed carissimi scire debetis, quod sub tali conditione dedit dominus noster Jesus Christus homini animam, ut in ejus societate moreretur. Per peccatum mortale vitam tuam scilicet æternam amittes. Si ergo anima tua in infirmitatem per peccatum cecidit, fac sicut

fecit Socrates intra forestam i. e. sanctam ecclesiam, in qua invenies senem i. e. discretum confessorem, de cujus consilio sanari poteris. Alexander, qui venatus est, est homo mundanus qui potius regulatur voluntate quam ratione, sed per sacram doctrinam emendatur. Si per peccatum infectus es, primo lineas pectus tuum cum sanguine i. e. recentem memoriam de Christi passione habeas in corde; deinde collige tres herbas, scilicet confessionem, contritionem et satisfactionem; de prima facias potionem, scilicet de peccatis semper dolere, de aliis emplastrum i. e. pœnitentiam, et sic per consequens ad divitias vitæ æternæ promoveri possis, ad quam nos perducat Jesus Christus, qui vivit et regnat cum deo patre et filio et spiritu sancto.

Cap. 62.

De pulchritudine fidelis animæ.

Cajus regnavit prudens valde; in ejus regno mulier quædam erat nomine Florentina miro modo pulchra et gratiosa, unde tanta pulchritudo erat in ea, quod tres reges eam obsidebant et a quolibet rege violata. Post hæc inter reges propter nimium amorem commissum est bellum et quasi infiniti homines ex omni parte occubuerunt. Satrapæ imperii hæc audientes omnes ad regem venerunt dicentes: Domine! illa Florentina in regno tuo est tam pulchra, quod quasi infiniti quotidie pro ejus amore occiduntur, et nisi citius remedium apponatur, quotquot sunt in regno peribunt. Audiens hæc rex, literas scribi fecerat annulo suo signatas, quod sine ulteriori dilatione illa ad eum veniret. Præco cum literis ad eam perrexit et ante quam ad eam pervenit defuncta est. Rediit præco, de morte Florentinæ regi nuntiavit. Rex contristatus est valde, quod eam videre non poterat in sua pulchritudine, omnes pictores regni ad eum convocari fecit, cum autem venissent, ait rex: Carissimi, hæc est causa quare pro vobis misi: erat quædam mulier nomine Florentina in tanta pulchritudine, quod quasi infiniti occubuerunt pro ejus amore; defuncta est et eam non vidi. Ite ergo et cum omni industria vestra imaginem ejus depingite cum sua pulchritudine, per quam potero discernere, quomodo tot occubuerunt pro ejus amore. At illi: Domine, rem difficilem vos quæritis; tanta erat in ea pulchritudo et decentia, quod omnes pictores orbis imaginem ejus non depingerent quantum ad omnia, excepto uno pictore qui latet in montibus; ille solus est et non alius, qui voluntatem vestram adimplere poterit. Hæc audiens rex pro illo pictore destinavit. Qui cum ad eum venisset, ait ei:

Carissime, de tua industria informati sumus, vade et imaginem Florentinæ per omnia depinge in sua pulchritudine et condignam mercedem dabo tibi. At ille: Rem difficilem quæris, veruntamen mihi concede, ut in conspectu meo omnes pulchras mulieres totius regni, saltem per unam horam habeam, et faciam quod tibi placebit. Rex vero fecit omnes convocari et in conspectu ejus stare. Pictor quatuor pulchriores ex eis elegit et alias licentiavit, ut ad patriam suam redirent. Pictor ille cum rubeo colore imaginem ejus incepit depingere, et quæ illarum quatuor mulierum habebat magis faciem gratiosam aut nasum, et sic de ceteris membris hoc in imagine posuit, ita quod ex qualibet muliere aliquam partem accepit et imaginem complevit. Cum vero completa fuisset imago, venit rex ut eam videret; qui cum vidisset ait: O Florentina, si vixisses, ultra omnes istum pictorem deberes diligere qui depinxit te in tanta pulchritudine.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est pater cœlestis, Florentina tam pulchra est anima ad dei similitudinem creata; tres reges, diabolus, mundus et caro; per istos tres reges anima propter peccatum primi parentis erat obsessa et a quolibet violata unde tot occubuerunt per peccatum, quod omnes ante adventum Christi ad infernum descenderunt. Hoc videntes satrapæ i. e. patriarchæ et prophetæ de remedio clamabant dicentes: Domine, mitte nobis quem missurus es. Alii: Emitte agnum domine dominatorem terræ etc. Deus vero misit præconem scilicet beatum Joannem baptistam sicut scribitur Malach. I: Ecce ego mitto angelum meum qui præparabit etc. Sed heu proh dolor, longe ante ejus adventum mortua est anima. Pictores sunt vocati qui se excusaverunt etc. i. e. in cœlo inter angelos, in terra inter homines scilicet patriarchas et prophetas non est inventus unus qui scivit vel potuit imaginem i. e. animam depingere quantum ad suam propriam pulchritudinem. Pictor, qui de montibus venerat, est dominus noster Jesus Christus qui descendit de cœlis ut istam imaginem reformaret. Et quomodo? Certe cum rubeo colore i. e. proprio sanguine. Elegit quatuor mulieres pulchriores etc. pro prima muliere dedit esse cum lapidibus, pro secunda vegetare cum plantis, pro tertia sentire cum animalibus, pro quarta intelligere cum angelis. Rex cum vidisset, dicebat: O Florentina i. e. anima, multum deberes istum pictorem dominum nostrum Jesum Christum ante omnia diligere, qui suo proprio sanguine te depinxit in tanta pulchritudine!

Cap. 63.

De mundanorum oblectationibus.

Vespasianus regnavit qui filiam pulcherrimam habebat cui nomen Aglaes, quæ erat nimis pulchra et oculis omnium gratiosa, ita quod ejus pulchritudo omnes alias mulieres excellebat. Accidit una dierum quod cum filia ejus ante eum staret, eam intime respexit et ait ei: Carissima, nomen tuum mutabo; propter pulchritudinem corporis tui sit nomen tuum amodo domina solatii, in signum hujus ut omnes qui advenerint tristes cum gaudio recedant. Rex vero juxta palatium quendam hortum pulcherrimum habebat in quo sæpius causa solatii ambulavit. Fecit proclamari per totum imperium quod si quis filiam suam in uxorem habere vellet, ad palatium suum veniret et infra hortum tribus aut quatuor diebus spaciaret, deinde rediret si filiam suam in uxorem habere vellet. Facta proclamatione multi ad palatium suum venerunt, hortum intrabant et nunquam postea sunt visi, et quotquot venerunt, nullus ex eis evasit. Erat tunc quidam miles in partibus longinquis, cum audisset de clamore, quod si quis ad palatium veniret filiam regis in uxorem haberet, venit ad januam palatii et pulsavit, janitor ostium aperuit et eum introduxit, ad regem accessit et ait: Domine mi, clamor factus est communis, ut si quis hortum vestrum intraverit, filiam vestram in uxorem habebit, ideo huc veni. Ait rex: Hortum intrate et si exieritis eam habebitis. Qui ait: Domine mi, unum mihi concede, peto instanter antequam hortum intravero, ut aliqua verba cum puella loqui potero. Ait ille: Mihi bene placet. Accessit ad puellam et ait: Carissima, nomen vestrum est domina solatii, ad hoc tibi datum est, ut omnes qui tristes ad te veniunt cum gaudio redeant, sed ego nimis tristis et desolatus ad te venio; præbe ergo mihi consilium et auxilium quomodo cum gaudio recedere potero. Multi ante me venerunt et hortum intraverunt nec unquam amplius visi sunt; si ergo mihi idem casus contingeret, væ mihi dicere potero, quod ego in conjugem te desideravi in matrimonio. At illa: Tibi veritatem dicam et tuam tristitiam in gaudium convertam. In horto illo est quidam leo ferocissimus qui omnes intrantes interficit, et per eum omnes qui intraverunt ratione personæ meæ sunt interfecti. Arma corpus tuum totum ferro a planta pedis usque ad verticem capitis, et sint omnia arma tua cum gummi linita. Cum vero hortum intraveris, leo statim in te irruet, contra eum viriliter pugna et cum lassus fuerit ab eo te separabis. Ille vero per brachium vel pedem te tenebit cum dentibus intantum quod per arma

gummata dentes ejus pleni erunt quod te parum poterit lædere; tu vero cum hæc perceperis, gladium evagina, et caput ejus amputa. Sed aliud est adhuc periculum in horto illo. Est tantum unus introitus et sunt diversa diverticula, ita quod qui semel intraverit vix exitum invenire poterit, et ideo contra illud periculum dabo tibi tale remedium. Globum fili tibi concedo, ut cum ad ostium horti perveneris, filum globi in porta liga, et sic per filum in hortum descende, et sicut vitam tuam diligis, globum fili ne perdas. Miles vero per omnia adimplevit sicut dixerat puella, armatus hortum intravit. Leo cum eum vidisset, toto conamine in eum irruit, miles viriliter se defendit, et cum lassus erat, saltum ab eo fecit. Leo eum per brachium tenuit intantum quod dentes ejus gummi pleni erant. Miles cum hoc percepisset, gladium extraxit et caput leonis amputavit. Ille vero intantum gaudebat, quod filum per quem descendit, perdidit. Ille vero tristis ac dolens hortum tribus circuivit diebus et diligenter globum quæsivit, de nocte invenit. Cum vero invenisset, non modicum gaudens per filum ascendit, quousque ad portam pervenit, filum solvit, ad regem perrexit et filiam suam dominam solatii in uxorem obtinuit, de quo multum gaudebat.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est dominus noster Jesus Christus, filia tam pulchra domina solatii est regnum æternum. Qui vero voluerit regnum æternum habere, oportet ut primo hortum hujus mundi intret et per aliqua tempora quamdiu deus voluerit ibidem exspectet. Psal.: Constitui terminos ejus qui præteriri non poterunt. Job.: Unus est introitus hominum et jumentorum, sed in mundo tot sunt diverticula per quæ nescit homo finem suum, nec ubi, nec quando, nec quomodo mori debet. Leo vero est diabolus, qui circuit quærens quem devoret, unde quasi infiniti per eum sunt occisi. Quid ergo est faciendum? Si volumus regnum cœleste obtinere, certe debemus bonis virtutibus stabiliter armari, ita quod arma nostra sint gummata. Per gummi elemosynam intelligere debemus, quia sicut gummi duo ad invicem jungit, sic elemosyna animam cum deo, unde propheta dicit: Sicut aqua exstinguit ignem, ita elemosyna peccatum. Deinde debes accipere globum fili etc. Globus iste baptismus est; unde in principio vitæ tuæ oportet incipere a baptismo, deinde a confirmatione et sic per cetera sacramenta in mundum istum descendere. Sed leo i. e. diabolus paratus est contra te pugnare. Contra eum viriliter pugnare debes, et caput ejus i. e. potestatem per bona opera auferre. Sed sæpe contingit, quod postquam homo de diabolo triumphaverit, sicut multi faciunt in quadragesima, post Pascha redeunt ad peccata, et sic globum fili i. e. virtutem sacramenti perdunt. Fac ergo tu sicut fecit miles! Si

per peccatum virtutes perdidisti, multum dolere deberes, et pergas iter trium dierum per contritionem, confessionem et satisfactionem, et sic invenire poteris ea quæ perdidisti, et sic cum veneris ad portum mortis, quando anima separabitur a corpore, poteris ad dominam solatii peruenire i. e. ad gaudium æternum. Ad quod etc.

Cap. 64.

De dominica incarnatione.

Quidam rex regnavit qui tres virtutes habebat: primo erat fortior omnibus hominibus in corpore, secundo sapientior, tertio pulchrior; qui diu sine uxore vixit. Tandem venerunt amici ejus ad eum et dixerunt: Domine, bonum est uxorem ducere et prolem generare, quia non est bonum sine uxore stare. At ille: Carissimi, vobis constat quod satis dives et potens sum, ideo divitias non indigeo; ite ergo per regna et castra et mihi virginem speciosam ac prudentem quærite, et si ista duo in aliqua inveneritis, licet paupercula, eam in uxorem habebo. Perrexerunt illi per regna et castra et tandem puellam nimis pulchram ac prudentem invenerunt de sanguine regum, et ejus virtutes regi denuntiaverunt. Rex vero volebat ejus sapientiam experiri, præconem vocavit et ait ei: Carissime, tibi trado pannum lineum habentem in longitudine et latitudine tres pollices; vade ad puellam et ex parte mei eam saluta et trade ei istum pannum, de quo per sapientiam suam faciat mihi satis longam et latam camisiam pro corpore meo, et si hoc fecerit, conjux mea erit. Perrexit nuntius ad virginem et eam ex parte regis salutavit, dixitque ei: Ecce pannus lineus habens tantum in longitudine et latitudine tres pollices; si camisiam sufficientem de isto panno pro corpore ejus poteris operari, te in uxorem habebit. At illa: Quomodo fiet istud? Ex quo non sunt nisi tres pollices in longitudine et latitudine, camisiam ei facere est impossibile; veruntamen mihi vas concedat, in quo operari potero, et camisiam satis longam ei promitto. Nuntius est reversus, denunciansque regi de virginis responsione, statim rex vas debitum et pretiosum ei misit, illa vero de tam parva quantitate in eodem vase operata est camisiam, satis sufficientem pro corpore suo. Ille hoc videns statim eam in uxorem duxit.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est deus ipse potens ac dives, puella generosa de stirpe regum beata virgo Maria mater dei et hominis, quæ fuit pulchra et generosa quia gratia plena. Nuntius missus Gabriel archangelus, qui eam ex parte dei salutavit, dicensque

ei: Ave gratia plena. Pannus missus est spiritus sancti gratia, quæ operata est in ea, quia antequam nata fuit, sanctificata fuit, habensque pollices i. e. in conceptione filii sui erat potentia patris, sapientia filii, clementia spiritus sancti. De quibus quæsivit vas, scilicèt uterum suum sanctificatum in utero matris suæ, in quo fecit camisiam i. e. humanitatem, quæ quidem humanitas erat in ea operata. Hæc videns pater cœlestis eam reginam in cœlo coronavit, ubi pro nobis interpellat suum filium et filius patrem juxta verbum beati Bernardi: O homo, securum accessum habes etc.

Cap. 65.

De cura animæ.

Rex quidam semel de una civitate in aliam transitum fecerat, ad quandam, crucem venit, quæ erat omni parte conscripta; ex una parte erat in ea scriptum: O rex, si per istam viam equitaveris, pro corpore tuo bonum hospitium habebis, sed equo tuo male ministrabitur. Ex alia parte crucis erat scriptum: Si per istam viam equitas, invenies hospitium, in quo equus tuus satis laute habebit, sed tu male ministraberis. Ex tertia parte erat scriptum: Si per viam istam ambulaveris, tu et equus tuus satis habebitis, sed antequam accedas, egregie eris verberatus. Ex parte quarta erat scriptum: Si per viam istam ambulaveris, laute tibi ministrabitur, sed equum tuum ibi dimittes et tunc oportebit te pedibus ambulare. Rex cum omnia ista perlegisset, admirabatur, intra se cogitabat, quam viam equitare vellet. Ait intra se: Primam viam volo eligere, quia bene erit mihi et male equo; nox una cito transibit. Percussit equum cum calcaribus ad quandam viam ubi castrum invenit. In eo erat miles qui eum benigne recepit ac laute ministrabat, sed equus parum aut nihil habebat; mane vero surrexit, ad palatium suum equitavit, omnia gesta quæ viderat narravit.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator potest dici quilibet bonus christianus, qui habet circa salutem animæ suæ equitare. Equus, qui eum portat, est corpus ex quatuor elementis compositum, crux quæ stat in medio via est conscientia tua in modum crucis extensa, una pars, ut ad bonum te provocet, altera, ut contra malum fortiter pugnes; unde si ambulaveris per viam, in qua bene erit tibi et male equo tuo, optime facis. Carissimi, iste via est via pœnitentiæ, hospitium sancta mater ecclesia, in qua bene erit tibi in anima, sed oportet ut equus tuus i. e. caro tua pœnitentiæ subjaceat. Qui ergo

per istam viam ambulaverit, sapienter facit. Alia est via, in qua invenies hospitium, in quo equus tuus satis laute habebit, sed male ministrabitur tibi, via ista est via gulosi et luxuriosi, qui hospitium suscipiunt in voluptate carnis, de quibus apostolus ait: Quorum deus venter est et gloria in confusione ipsorum; in isto hospitio anima erit pessime ministrata. Alia est via, ubi equus tuus laute habebit et tu verberaberis. Via ista est cupidi et avari, qui laute hic vult vivere, parva opera meritoria perpetrare, sed cum mors eum ab hospitio hujus mundi expellit, tunc anima ejus post mortem in purgatorio vel in inferno egregie verberabitur. Quarta est via, per quam si ambules, bene tibi erit, sed equum amittes. Via ista est via boni religiosi, qui de omnibus quantum ad victum et vestitum est contentus. Equum amittit scilicet omnes concupiscentias carnales propter deum ac mundi vanitates, et ideo dicit salvator: Qui perdiderit animam suam propter me etc. Qui reliquerit patrem aut matrem etc. centuplum accipiet et post hanc vitam æternam vitam possidebit.

Cap. 66.

De constantia.

Quidam rex regnavit, qui pulchram filiam habebat, quam multum dilexit, quæ etiam post decessum regis regnum occupavit, quia unica est relicta a rege. Hoc audiens quidam dux tyrannus ad eam venit, multa ei promisit, si ei consentiret. Illa vero seducta est per eum, et deflorata, et facta defloratione flevit amare; tyrannus vero eam ab hæreditate sua expulit. Illa vero sic expulsa gemitus et suspiria emittebat et in via publica singulis diebus sedebat, ut a transeuntibus elemosynam peteret. Cum vero una dierum sic flendo sederet, quidam miles generosus juxta eam equitando venit, videns ejus pulchritudinem captus est in oculis ejus et ait: Carissima, qualis es? Et illa: Filia regis sum unica, et post patris mei decessum jure hæreditario regnum habui, sed per quendam tyrannum fui seducta et ab eo deflorata, et post hæc privavit me hæreditate mea. Ait miles: Utrum placet tibi esse sponsam meam? Quæ ait: Etiam, domine; hoc desidero ante omnia. Qui ait: Fidem tuam mihi trade, quod nullum alium accipies præter me, et ego contra tyrannum istum faciam bellum, et terram tuam tibi acquiram. Si vero in bello mortuus fuero et hæreditatem tibi acquisiero, nil aliud peto nisi quod arma mea sanguinolenta tecum custodias in signum amoris. Si vero aliquis veniat, ut in uxorem te ducat, cameram tuam intres, in qua

arma pendent, et illa diligenter respicias, et mei memoriam habeas, quomodo propter tui amorem vitam meam amisi. Ait illa: Domine, firmiter hoc promitto; sed absit, ut in bello vitam amittas. Armavit se miles et contra tyrannum perrexit. Audiens hoc dux toto conamine se contra eum opposuit et adinvicem pugnabant. Miles victoriam obtinuit et caput tyranni amputavit; tamen in bello vulnus mortis recepit et hæreditatem puellæ acquisivit, et tertia die est defunctus. Puella per dies multos mortem ejus planxit, arma ejus sanguinolenta pendebat in camera, et sæpius visitavit ea, et quoties ea vidit, amare flevit. Multi nobiles ad eam venerunt, ut eam in conjugem haberent, et ei multa promiserunt; sed illa, cum unumquemque illorum audisset, antequam alicui responsum daret, cameram intravit, ut arma diligenter respiceret, et dixit: O domine, pro meo amore mortuus es, et hæreditatem meam mihi restituisti; absit hoc a me, ut alteri consentiam! Deinde foras exivit et omnibus dixit: Votum deo vovi, nunquam viro copulari. Illi hoc audientes recesserunt, et sic toto tempore vitæ suæ remansit in castitate.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est pater cœlestis, filia tam pulchra est anima ad dei similitudinem creata, cui regnum paradisi dabatur, sed per suggestionem ducis i. e. diaboli seducta, illud amisit, et est deflorata, quando de pomo comedit. Deinde sedebat in platea i. e. in mundo, juxta istud: In sudore vultus tui etc. Quæ a transeuntibus elemosynam petebat i. e. a quatuor elementis gratiam dei exspectabat. Miles, qui juxta eam equitabat, erat filius dei, qui in equo humanitatis mundum istum intravit et humano generi compatiebatur. Tu, homo, firmiter in baptismo ei promisisti, nullum alium virum præter eum accipere; et ideo armavit se armis humanitatis et bellum contra diabolum pro te dedit, et victoriam obtinuit, et tamen vulnus mortis pro te accepit et nostram hæreditatem nobis acquisivit. Fac ergo tu, sicut fecit puella, arma sanguinolenta in camera cordis tui habeas, i. e. semper memoriam recentem de Christi passione habeas, quam pro te sustinuit in cruce; et si venerint aliquæ tentationes per diabolum aut mundum aut carnem, Curre ad Christi passionem et recole, quomodo pro tuo amore mortem sustinuit in cruce et sic tentationes superabis et vitam æternam obtinebis.

per istam viam ambulaverit, sapienter facit. Alia
invenies hospitium, in quo equus tuus satis laute b
ministrabitur tibi, via ista est via gulosi et luxuri
suscipiunt in voluptate carnis, de quibus apostol
venter est et gloria in confusione ipsorum;
erit pessime ministrata. Alia est via, ubi
et tu verberaberis. Via ista est cupidi
vivere, parva opera meritoria perpetr
hospitio hujus mundi expellit, tunc a
torio vel in inferno egregie verber
si ambules, bene tibi erit, sed e
religiosi, qui de omnibus qu
tentus. Equum amittit scilic
deum ac mundi vanitates,
mam suam propter me
centuplum accipiet et

erant duo
int. Ait ei
. ponere? et
nguinem qui-
bibam et tu
prosperitate nec
ius dimidietatem
sanguinem tra-
iacto in una domo
fecerat, unam in sum-
venientes copiam thesauri
vitæ permanerent, ad istam civi-
idosa et in via tres milites cum magno
omnes per viam illam transeuntes oporteret,
narent, aut omnia cum vita sua amitterent. In ista
rex quendam senescallum ordinavit, qui omnes indif-
intrantes reciperet et secundum statum suum et conditiones
ministraret. Aliam civitatem fecit fieri in valle sub monte illo,
civitatem erat via plana ac ad ambulandum delectabilis; tres
via ista jacebant, qui omnes transeuntes graviter receperunt
ministrabant pro eorum voluntate. In ista civitate quendam se-
nescallum ordinavit, ut omnes civitatem intrantes aut appropinquantes
indifferenter incarceraret et in adventu judicis omnes ei præsentaret,
judex vero nulli parceret. Ait miles sapiens socio suo: Carissime,
pergamus per mundum sicut ceteri milites et poterimus multa bona
acquirere, per quæ honeste vivemus. Qui ait: Mihi bene placet.
Ambo per quandam viam perrexerunt quousque ad quoddam bivium
pervenerunt. Ait sapiens: Carissime, sicut vides hic sunt duæ viæ;
una ad civitatem nobilissimam dirigit; si per illam pergimus, ad civi-
tatem illam perveniemus, in qua habebimus quidquid cor nostrum de-
siderat. Alia est via quæ ducit ad aliam civitatem, quæ est in valle
constructa, et si per eam ambulemus, capti erimus et incarcerati, ac
judici præsentati et per eum in patibulo suspensi; consulo ergo ut
viam istam dimittamus et per aliam ambulemus. Ait miles stulto:
Carissime, de istis duabus civitatibus dudum est quod audivi, sed via
ad civitatem super montem est stricta valde ac periculosa, quia in ea
jacent tres milites cum exercitu, qui omnes intrantes expugnant,

Qu
dilexi
est
IV

et spoliant; sed altera via est satis plana in qua sunt tres qui omnes intrantes benigne recipiunt, et ibi omnia necessaria ·ır, et hoc satis aperte video, et ideo magis oculis meis tibi. Ait sapiens: Licet una via ad ambulandum sit mala, respectu quoad suum terminum est pejor, quia ducet ernum opprobrium et ducti erimus ad patibulum. Si ı propter pugnam et latrones timeas ambulare, est ·o perpetuo, quia miles es tu et militibus incumbit ·e. Aliud est, si mecum volueris per istam viam ·tto ante te ad bellum pergere, et quotquot sunt ·ıvare. At ille: Amen dico tibi per viam illam per istam. Ait sapiens: Ex quo fidem meam . fidelitatis sanguinem tuum bibam, solum non ambulare, tecum pergam. Ambo per eandem viam ..ut. Multa solatia secundum voluntatem eorum invenerunt ..am, donec ad hospitium trium militum venerunt, qui satis honorifice sunt recepti ac splendide ministrati. In qualibet refectione miles stultus sapienti dixit: Carissime, nonne tibi prædixi: Ecce quot et quanta habemus solatia in ista via, de omnibus his in illa via defecissemus. Ille respondit: Si finis bonus erit, totum bonum erit, quod non spero. Cum illis militibus per aliqua tempora moram traxerunt; senescalus civitatis audiens, quod duo milites contra prohibitionem regis prope civitatem essent, statim satellites suos ibi misit, qui eos caperent et ad civitatem ducerent. Senescallus videns unum stultum illum ligatis manibus et pedibus in quandam foveam projici jussit et alium incarceravit. Cum vero judex ad civitatem venisset, omnes malefactores civitatis in conspectu ejus sunt præsentati et inter cæteros isti duo milites. Ait sapiens miles coram judice: Domine de socio meo conqueror, quia ipse est causa mortis meæ, legem istius civitatis prædixi et pericula, nulla modo volebat dictis meis credere nec acquiescere et consiliis meis adhærere, sed mihi respondit: Plus credo oculis meis quam dictis tuis, cum vero fide ac juramento ad invicem ligati tam in prosperitate quam in adversitate eramus, ideo quando ipsum solum vidi pergere, propter juramentum cum eo ambulavi et ideo causa mortis meæ iste est; da ergo rectum judicium. Ait alter miles stultus judici: Ipse causa mortis meæ est; constat toti mundo, quod ipse est sapiens et ego naturaliter stultus, unde per sapientiam suam non debuisset tam leviter adhaesisse stultitiæ meæ, sed quando solus ambulavi, si ille insecutus me non fuisset, ergo per viam, per quam volebat ambulare, reversus fuissem et secum ambulassem propter juramentum, quod ei præstiti, et ideo cum ipse

Cap. 67.

De excusatione in extremis non habenda.

Maximianus regnavit prudens valde, in cujus regno erant duo milites, unus sapiens alter stultus, qui mutuo se dilexerunt. Ait ei sapiens: Nunquid tibi placet unam conventionem mecum ponere? et erit nobis utile. At ille: Mihi bene placet. Qui ait: Sanguinem quilibet de brachio dextro emittat, ego tuum sanguinem bibam et tu meum, in signum quod nullus alium dimittet nec in prosperitate nec in adversitate, et quidquid unus lucratus fuerit, alius dimidietatem habeat. At ille: Mihi optime placet. Statim quum sanguinem traxissent ambo sanguinem alterius biberunt; hoc facto in una domo semper remanserunt. Rex vero duas civitates fecerat, unam in summitate montis, et quod omnes ibidem venientes copiam thesauri haberent, et ibidem toto tempore vitæ permanerent, ad istam civitatem erat via stricta ac lapidosa et in via tres milites cum magno exercitu manebant, et omnes per viam illam transeuntes oporteret, ut contra eos pugnarent, aut omnia cum vita sua amitterent. In ista etiam civitate rex quendam senescallum ordinavit, qui omnes indifferenter intrantes reciperet et secundum statum suum et conditiones laute ministraret. Aliam civitatem fecit fieri in valle sub monte illo, ad quam civitatem erat via plana ac ad ambulandum delectabilis; tres milites in via ista jacebant, qui omnes transeuntes graviter receperunt ac ministrabant pro eorum voluntate. In ista civitate quendam senescallum ordinavit, ut omnes civitatem intrantes aut appropinquantes indifferenter incarceraret et in adventu judicis omnes ei præsentaret, judex vero nulli parceret. Ait miles sapiens socio suo: Carissime, pergamus per mundum sicut ceteri milites et poterimus multa bona acquirere, per quæ honeste vivemus. Qui ait: Mihi bene placet. Ambo per quandam viam perrexerunt quousque ad quoddam bivium pervenerunt. Ait sapiens: Carissime, sicut vides hic sunt duæ viæ; una ad civitatem nobilissimam dirigit; si per illam pergimus, ad civitatem illam perveniemus, in qua habebimus quidquid cor nostrum desiderat. Alia est via quæ ducit ad aliam civitatem, quæ est in valle constructa, et si per eam ambulemus, capti erimus et incarcerati, ac judici præsentati et per eum in patibulo suspensi; consulo ergo ut viam istam dimittamus et per aliam ambulemus. Ait miles stulto: Carissime, de istis duabus civitatibus dudum est quod audivi, sed via ad civitatem super montem est stricta valde ac periculosa, quia in ea jacent tres milites cum exercitu, qui omnes intrantes expugnant,

occidunt et spoliant; sed altera via est satis plana in qua sunt tres milites, qui omnes intrantes benigne recipiunt, et ibi omnia necessaria inveniuntur, et hoc satis aperte video, et ideo magis oculis meis credo quam tibi. Ait sapiens: Licet una via ad ambulandum sit mala, tamen alia in respectu quoad suum terminum est pejor, quia ducet nos ad sempiternum opprobrium et ducti erimus ad patibulum. Si per viam strictam propter pugnam et latrones timeas ambulare, est tibi opprobrium pro perpetuo, quia miles es tu et militibus incumbit contra hostes pugnare. Aliud est, si mecum volueris per istam viam pergere, firmiter promitto ante te ad bellum pergere, et quotquot sunt penetrare, si velis me juvare. At ille: Amen dico tibi per viam illam nolo pergere, sed potius per istam. Ait sapiens: Ex quo fidem meam tibi dedi et in signum fidelitatis sanguinem tuum bibam, solum non derelinquam te ambulare, tecum pergam. Ambo per eandem viam ambulaverunt. Multa solatia secundum voluntatem eorum invenerunt per viam, donec ad hospitium trium militum venerunt, qui satis honorifice sunt recepti ac splendide ministrati. In qualibet refectione miles stultus sapienti dixit: Carissime, nonne tibi prædixi: Ecce quot et quanta habemus solatia in ista via, de omnibus his in illa via defecissemus. Ille respondit: Si finis bonus erit, totum bonum erit, quod non spero. Cum illis militibus per aliqua tempora moram traxerunt; senescalus civitatis audiens, quod duo milites contra prohibitionem regis prope civitatem essent, statim satellites suos ibi misit, qui eos caperent et ad civitatem ducerent. Senescallus videns unum stultum illum ligatis manibus et pedibus in quandam foveam projici jussit et alium incarceravit. Cum vero judex ad civitatem venisset, omnes malefactores civitatis in conspectu ejus sunt præsentati et inter cæteros isti duo milites. Ait sapiens miles coram judice: Domine de socio meo conqueror, quia ipse est causa mortis meæ, legem istius civitatis prædixi et pericula, nulla modo volebat dictis meis credere nec acquiescere et consiliis meis adhærere, sed mihi respondit: Plus credo oculis meis quam dictis tuis, cum vero fide ac juramento ad invicem ligati tam in prosperitate quam in adversitate eramus, ideo quando ipsum solum vidi pergere, propter juramentum cum eo ambulavi et ideo causa mortis meæ iste est; da ergo rectum judicium. Ait alter miles stultus judici: Ipse causa mortis meæ est; constat toti mundo, quod ipse est sapiens et ego naturaliter stultus, unde per sapientiam suam non debuisset tam leviter adhaesisse stultitiæ meæ, sed quando solus ambulavi, si ille insecutus me non fuisset, ergo per viam, per quam volebat ambulare, reversus fuissem et secum ambulassem propter juramentum, quod ei præstiti, et ideo cum ipse

sapiens sit ego vero stultus, ipse est causa mortis meæ. Ait judex ambobus et primo sapienti: Tu sapiens, quia tam leviter stultitiae suæ adhæsisti et secutus es eum, et tu stulte quia dictis sapientis non credidisti, sed propriam stultitiam perpetrasti; vos ambos in patibulo suspensuros hodie judico. Et sic factum est.

Moralisatio. Carissimi, iste rex est dominus noster Jesus Christus, duo milites anima et corpus; anima est sapiens, corpus est stultum. Isti duo in baptismo erant confœderati adinvicem, quod quilibet sanguinem alterius biberet. Sanguinem alterius bibere est quemlibet pro alio in periculo se ponere, ut si caro suas voluptates voluerit habere, prius debet anima per pœnitentiam consumere, quam cum carne in tali periculo se ponere. Si vero anima quod absit labatur, caro debet pro ea jejuniis et vigiliis pati, et hoc est sanguinem alterius bibere nunquam alium in necessitate dimittere. Duæ viæ sunt per quas veniunt, una est pœnitentia, alia mundi gloria; duæ civitates, una in monte, hoc est cœlum super firmamentum, alia in valle, hæc est infernus. Ad cœlum est via stricta sicut via pœnitentiæ et pauci ambulant eam; in ista via sunt tres milites, scilicet diabolus, mundus et caro, quod quicunque voluerit ad cœlum pergere, debet contra istos pugnare et per viam pœnitentiæ ambulare. In ista civitate est quidam senescallus i. e. deus, qui omnia omnibus secundum merita sua affluenter dat, unde beatus Gregorius: In cor hominis non ascendit etc. In via versus infernum sunt tres milites, scilicet superbia vitæ, concupiscentia oculorum et concupiscentia carnis, propter quæ tria peccator invenit corpori suo delectabilia pro tempore; via versus infernum est plana ad ambulandum, sed antequam homo percipiat, senescallus scilicet mors emittit exploratores scilicet infirmitates, quæ eum capiant, quoniam anima interim in inferno incarcerabitur; corpus ligatur et in sepultura ponitur; sed in die judicii cum dominus apparuerit judicare vivos et mortuos, tunc anima contra corpus et e converso corpus contra animam allegabit, et judex scilicet deus sententiam dabit; si in peccato inventi fuerimus, sine dubio ad infernum ibimus, a quo nos defendat, qui sine fine vivit et regnat.

Cap. 68.

De non subticenda veritate usque ad mortem.

Gordianus regnavit, in cujus regno erat quidam miles generosus, qui pulchram uxorem habebat, quæ sub viro sæpius erat adulterata.

Accidit semel, quod maritus ad peregrinandum perrexit, illa vero incontinenti vocavit amasium suum. Domina illa quandam ancillam habebat, quæ cantus avium intellexit; cum vero amasius veniret, erant tunc temporis tres galli in curia. Media nocte cum amasius juxta dominam jacuisset, primus gallus cantare cœpit. Domina cum hoc audisset, ait ancillæ: Dic mihi, carissima, quid dicit gallus in cantu suo? Illa respondit: Gallus dicit in cantu suo, quod tu facis injuriam domino tuo. Ait domina: Occidatur gallus iste! Et sic factum est. Tempore debito post hæc secundus gallus cantavit; ait domina ancillæ: Quid dicit gallus in cantu suo? Ait ancilla: Socius meus mortuus est pro veritate, et ego paratus sum mori pro ejus veritate. Ait domina: Occidatur gallus! Et sic factum est. Post hæc tertius gallus cantavit. Domina cum audisset, dixit ancillæ: Quid dicit gallus in cantu suo? Illa respondit:

Audi, vide, tace, si tu vis vivere in pace!

Ait domina: Non occidatur gallus iste! Quod etiam factum est.

Moralisatio. Carissimi, imperator iste est pater cœlestis, miles Christus, uxor ejus anima per baptismum desponsata, ille qui eam seduxit est diabolus, qui per mundi fallacias decepit, unde, quoties peccato consentimus, adulteramus Christo. Ancilla est tua conscientia, quæ contra peccatum murmurat, et continue hominem ad bonum stimulat. Primus gallus, qui cantavit, certe Christus est, qui primo contra peccatum arguebat; hoc videntes Judæi ipsum occiderunt, et similiter nos ipsum occidimus, quantum in nobis est, quamdiu in peccatis delectamur. Per secundum debemus martyres intelligere; sic erant et alii multi, qui viam et doctrinam ejus prædicaverunt; ideo pro Christi nomine et veritate necati sunt. Per tertium gallum, qui dixit: Audi, vide etc. potest intelligi prædicator, qui debet esse sollicitus veritatem pronuntiando, sed diebus istis non audet veritatem dicere, qui pacem cupit habere. Studeamus ergo magis deum timere veritatem pronunciando, et sic ad Christum qui est veritas veniamus.

Cap. 69.

De castitate.

Gallus regnavit prudens valde, qui quoddam palatium construere volebat. Erat tunc in imperio quidam carpentarius subtilis valde, cum quo imperator pro construendo palatio convenit. Tunc temporis erat quidam miles in regno, qui pulchram filiam habebat; videns prudentiam

carpentarii, intra se cogitabat: Filiam meam illi in uxorem dabo, quia per sapientiam suam et artem satis laute eam promovebit. Vocavit eum et ait ei: Carissime, pete a me, quod tibi placuerit, et tibi dabo, si mihi possibile sit, ita ut filiam meam in uxorem accipias. At ille: Mihi bene placet. Convenerunt in unum, carpentarius eam in uxorem duxit. Hoc facto mater filiae generum suum vocavit et ait ei: Fili mi, jam filiam meam in uxorem duxisti; ecce istam camisiam dabo tibi, quam ei satis pulchram ostendit et ait: Camisia ista talem virtutem habet, quod nunquam toto tempore vitæ tuæ lotione indiget, nec frangi potest, nec consumi, nec colore mutari, quamdiu inter te et filiam meam sit amor fidelis; si vero, quod absit, aliquis ex vobis matrimonium violaverit, statim camisia omnes ejus virtutes amittit. Carpentarius hæc audiens gavisus est valde, camisiam recepit et ait: O mater quam pretiosum jocale mihi dedisti! Jam nullus nostrum potest matrimonium violare, quin per camisiam scietur perfectissime. Post haec intra paucos dies carpentarius ad palatium regis est vocatus, ut novum palatium construeret. Camisiam secum assumpsit, uxorem in domo dimisit, cum rege moram traxit, quousque palatium completum fuit. Cum in laborando fuisset, admirabantur multi, quod camisia sua semper in candore et munditia permansit. Ait rex ad eum: Magister, rogo, ut dicas mihi, quomodo hoc potuerit esse, quod cum in continuis laboribus permanes et camisia tua sine lotione et immunditia in albedine manet? Ait ille: Scias, carissime domine, quod quamdiu ego cum uxore mea sumus fideles in amore, camisia mea non indiget lotione, sed si matrimonium inter nos esset violatum, camisia mea sicut ceteri panni lotione indigeret. Miles cum hoc audisset intra se cogitabat: Si potero, camisiam tuam lavare faciam. Perrexit ad domum carpentarii ipso ignorante, ut ejus uxorem ad peccatum solicitaret. Illa vero gratanter eum recepit; miles de amore inordinario eam pulsavit. Quæ ait: Amor talis locum privatum requirit; veni mecum! Et illum in cameram introduxit. Cum autem introductus fuisset, illa exivit, et ostium clausit et dixit: Ibidem exspectabis, quousque tempus habuero, quando te liberare debeo. Domina ista singulis diebus eum visitavit ac cum pane et aqua eum sustentavit; ille vero preces fundebat, ut eum dimitteret abire, sed illa non consentiebat. Post hæc cito duo alii milites ad eam venerunt de curia regis, quilibet post alium, ut eam corrumperent, sed eis nihil valuit, illa vero in eadem camera eos inclusit, et pane et aqua sustentavit ita quod per multos dies ibi stabant. De istis tribus militibus facta est quæstio et commotio in domo regis, quo milites devenerunt. Palatio consummato carpentarius accepta mercede domum venit; uxor ejus non medicum gaudens eum

vero honorifice recepit, et quomodo se haberet, diligenter inquisivit. Ille bene per omnia respondit, illa vero camisiam suam respexit, vidensque eam satis mundam et ait: Benedictus deus quia apparet in camisia ista, quod inter nos est dilectio vera. Qui sic ait: Carissima, tibi dicam cum essem in palatio construendo, venerunt tres milites, unus post alium, et de camisia mea quæsierunt, quomodo sine lotione manebat in omni candore. Eis veritatem retuli, post hoc quo devenerunt penitus ignoro; de eorum absentia facta est quæstio magna in curia regis. Dixit illa: Domine, illi tres milites, de quibus fit sermo, ad me venerunt, multa mihi promiserunt, si eis consentirem, sed nullo modo volebam hoc attentare, eos in camera privata posui et hocusque pane et aqua sustentavi. Carpentarius hoc audiens gavisus est valde de fidelitate uxoris, et quod milites a morte salvavit, eos libere abire permisit, et ambo usque ad finem vitæ in vero amore permanserunt.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est pater cœlestis qui palatium habet construere, scilicet cor humanum bonis virtutibus plenum, in quo palatio deus delectatur permanere, juxta illud: Et deliciæ meæ sunt, esse cum filiis hominum. Miles iste, qui habet pulchram filiam, est Christus, qui habet animam pro filia. Uxor est sancta mater ecclesia, carpentarius est bonus christianus, qui istam filiam in uxorem cum camisia accepit. Camisia ista est fides nostra, quia, ut ait apostolus, sine fide impossibile est placere deo; quamdiu manet homo in hac vita in sanctitate, tamdiu fides non violatur. Quid ergo sequitur? Certe, ut erigas palatium, scilicet cor mundum per opera misericordiæ. Tres milites qui venerunt ad temptandum sunt superbia vitæ, concupiscentia oculorum et concupiscentia carnis. Istos tres milites concludere debes in camera pœnitentiæ, quousque mercedem æternam a rege æterno accipias; postquam tunc ad præsentiam venies, eos libere abire permittes i. e. animo tibi nocere non possunt. Rogemus ergo dominum etc., quod nobis concedat etc.

Cap. 70.

De compunctione fidelis animæ.

Quidam rex erat, qui filiam pulchram habebat et prudentem, quam pater viro tradere volebat, illa vero votum deo fecerat, quod nunquam virum acciperet quousque tria perpetraret. Primum erat quod veraciter diceret quot pedes in longitudine et latitudine ac profundidate quatuor elementorum essent, secundum, quod ventum ab aquilone mutaret, tertium, quod ignem in gremio sine læsione juxta carnem portaret. Rex cum

hoc audisset, fecit ista tria per totum regnum promulgari, et si quis sine defectu perpetraret, filiam ejus in uxorem haberet. Multi venerunt sed defecerunt; erat quidam miles in partibus longinquis, qui cum de voto puellæ audiret, ad palatium regis venit ducensque secum famulum unum et equum furibundum coram rege tentavit et ait: Domine mi rex, filiam tuam peto in uxorem, quia paratus sum ista tria promulgata solvere. Ait rex: Mihi bene placet. Miles vero famulum suum vocavit et ait ei: In terra jaceas! Cum vero sic jaceret, miles a capite usque ad pedes mensuravit. Hoc facto ait regi: Ecce domine in quatuor elementis vix ultra septem pedes invenio. Ait rex: Quid hoc quatuor elementa? Et ille: Domine, quilibet homo et omne animal ex quatuor elementis componitur, et sic per famulum quatuor elementa mensuravi. Ait rex: Amen dico tibi satis clare probasti. Jam ad secundum procedamus, muta ventum etc. Ille statim equum furibundum adduci fecit, cui potionem ad gustandum dedit; de cujus potione factus est totaliter sanus; hoc facto caput equi in oriente ponebat et ait: Ecce, domine, ventus est mutatus ab aquilone in orientem. Ait rex: Quid hoc ad ventum? Ait ille: Nonne constat vestræ prudentiæ quod vita cujuslibet animalis non est nisi ventus, quem equus patiebatur malum, tamdiu erat in aquilone, sed jam ex virtute potionis sanus factus est; caput ejus ad orientem posui, ut sit paratus onus portare. Ait rex: Satis clare probasti. Jam ad tertium procedamus! At ille: Domine paratus sum coram omnibus adimplere; manus suas prunis ardentibus replevit et in sinu posuit, et caro ejus nequaquam est læsa. Ait rex: Satis bene duo alia probasti, sed dic mihi quomodo glebas non lædunt te? Ait ille: Non virtute mea, sed ex virtute lapidis, quem mecum continue porto; quicunque illum lapidem in loco mundo portaverit; nunquam ab igne lædi poterit; ecce lapis! Et lapidem coram omnibus ostendit. Ait rex: Probabiliter ista tria probasti. Nuptias ordinavit, filiam suam cum divitiis multis ei dedit in conjugem et ambo in vita bona dies suas finierunt.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est dominus noster Jesus Christus, filia tam pulchra anima ad dei similitudinem creata, quæ deo in baptismo votum fecerat, quod nunquam viro conjungeretur, nisi tria perpetraret; primum est, quod mensuraret etc. hoc est famulum tuum i. e. carnem tuam mensurare debes, quantum deliquit et pro omni delicto pœnam agere, elementa mensurare, scilicet carnem tuam domare. Secundum est mutare etc. Equus furiosus est peccator, qui in peccatis permanet, unde oportet ei potionem dare, scilicet ut contritionem habeat in corde, confessionem in ore, satisfactionem in

opere, et hoc est ventum mutare, unde Job.: Tanquam ventus est vita mea. Tertium est ignem sine læsione portare; ignis luxuriæ, avaritiæ, superbiæ quæ sæpe animam et corpus consumunt; sed si desideras, ut ignis iste te non lædat, oportet ut lapidem in loculo i. e. dominum nostrum Jesum Christum in corde habeas per opera meritoria; et si munde portaveris, nunquam ignis alicujus peccati lædet te et per consequens vitam æternam obtinebis.

Cap. 71.

De remuneratione æternæ patriæ.

Rex erat quidam, qui magnum convivium fecerat; deinde per totum regnum præcones destinabat, ut præconisarent convivium, videlicet ut omnes, cujuscunque conditionis ad convivium venirent et non tantum convivium bonum haberent, sed et divitias infinitas obtinerent. Cum autem præcones per regna et castra ambularent, præceptum regis promulgando, erant tunc duo homines in una civitate manentes, unus fuit fortis et robustus, sed tamen cæcus, alter claudus et debilis, sed optime videbat. Dixit cæcus claudo: Carissime, heu nobis duobus per totum regnum dimulgatum est, quod rex tali tempore optimum convivium tenebit, ad quod non tantum quilibet habebit cibaria pro sua voluntate, sed divitias magnas recipiet, tu vero es claudus ego vero cæcus, ad illud convivium poterimus ne accedere. Ait claudus: Si consilium meum feceris, ambo ibidem veniémus, et divitias et convivium sicut ceteri obtinebimus. Respondit cæcus: Omne consilium quod est nobis utile sum paratus adimplere. Ait claudus: Tu es fortis et robustus in corpore, ego vero debilis quia claudus, me super dorsum tuum portabis, ego vero te in viam dirigam, quia satis clare video et sic ambo ad convivium veniemus, et mercedem sicut ceteri obtinebimus. Ait cæcus: Amen dico tibi, optimum consilium est, statim ascende dorsum meum! Et sic factum est, claudus viam ei ostendit et ipse eum portavit, et sic ambo ad convivium venerunt et divitias inter alios receperunt.

Moralisatio. Carissimi, iste rex est dominus noster Jesus Christus, qui pro omnibus nobis convivium æternum præparavit, juxta illud: Erat quidam homo, qui fecit cœnam magnam. Ad illud convivium multi sunt vocati et qui ibidem accedit divitias æternas possidebit. Cæcus iste est quilibet dives ac potens hujus sæculi qui fortis est et potens in corpore i. e. divitiis et mundi potentia, unde cæci sunt quantum ad vitam æternam, ignorant ea quæ sunt salutis, sicut talpa bene

videt sub terra et multa habet diverticula, sed supra cæcus efficitur nec scit seipsum juvare; sic et divites satis clare vident in temporalibus et cæci sunt in spiritualibus. Claudus vero est bonus religiosus, qui claudicat in utroque pede, scilicet nihil in communi aut proprio possidere, tamen videt talis satis clare viam versus convivium æternum. Si ergo vos divites ac mundi potentes intenditis ad illud convivium accedere et præmia ibidem accipere, necesse vobis erit religiosos ac ceteros pauperes super dorsa vestra portare, sed diligenter est advertendum, quomodo divites debent portare pauperes, certe elemosynas eis dando, in eorum necessitatibus subveniendo, hoc est pauperes portare et fideliter viris ecclesiasticis decimas dare. Si sic feceritis, nos viri religiosi tenemur vobis viam salutis ostendere quomodo poteritis ad vitam æternam pervenire. Prædicones, qui illud convivium clamabant, sunt sacræ paginæ doctores, scilicet prædicatores et confessores, qui habent nos instruere publice et private quomodo ad æternum convivium poterimus pervenire.

Cap. 72.

De ingratorum trucidatione.

Legitur de quodam rege, qui filium unicum habebat, quem multum dilexit ac tenerrime nutrivit. Cum autem puer ad ætatem legitimam pervenisset, de die in diem regem impulsabat, ut regnum ei dimitteret, eo quod impotens esset et ipse potens. Rex vero ait; Carissime, si securus essem, quod me benevole et cum honore tractares toto tempore vitæ tuæ, tibi illud concederem et omnem humanitatem quam pater tenet filio tibi præstarem. At ille: Domine, coram satrapis et nobilibus imperii juramentum præstabo, quod nullum defectum habebitis sed in majori honore quam me ipsum vos habebo. Rex vero credens dictis ejus regnum ei dedit et nihil sibi ipsi retinuit. Cum vero coronatus esset et in solio positus, ultra quam credi potest cor ejus est elevatum; per aliquos annos patrem suum in honore habebat et post hæc ne aliqua bona ei dedit. Ille vero cœpit sapientibus regni conqueri, quod filius ejus pactum non tenebat; sapientes vero, qui semper eum dilexerunt, regem arguebant quod male patrem suum tractaret; rex hoc audiens furore est repletus patrem suum in quodam castro inclusit, ubi nullus accessum habere poterat ad eum, in quo loco famem et multas miserias patiebatur. Accidit eodem tempore, quod rex in eodem castello pernoctabat, pater vero ad eum accessit et ait: O fili, miserere patri tuo seni, qui te genuit et omnia dedit! In hoc

loco famem et sitim patior, jam sum in gravi infirmitate positus et haustus vini me confortaret. Ait rex: Ignoro si sunt vina in castro isto. Ait ille: Imo fili quinque dolia vini sunt in castro et sine scitu vestro senescallus hujus castri non audet perforare ea et mihi haustum dare; rogo fili, des mihi de primo dolio. Ait rex: Non faciam quia mustum est nec valet pro senibus. At ille dixit: Des mihi ergo de secundo dolio! Qui ait: Hoc non faciam; hoc pro corpore meo custodiam et pro juvenibus qui mecum sunt. At ille: Des ergo mihi de tertio! Qui ait: Non faciam quia vinum forte est et tu es debilis et infirmus; posset esse causa mortis tuæ. Ait ille: Des mihi de quarto dolio! Qui ait: Non faciam quia nimis vetus et acetosum est et non multum valet et præcipue pro complexione tua. Ait pater: Fili des ergo mihi de quinto dolio! At ille: Absit a me quod fæces sunt; satrapæ regni mihi imponerent quod te occidissem si fæces tibi dedissem. Pater hæc audiens ab eo tristis recessit, et statim occulte satrapis regni literam scripsit, quomodo filius ejus eum tractabat ut propter deum eum a tali miseria sublevarent. Satrapæ omnes ei compatiebantur, statim regem receperunt et patrem sicut prius regem constituerunt, filium suum in carcerem posuerunt, ubi propter miseriam defunctus est.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est dominus noster Jesus Christus, filius quilibet christianus, quem tenerrime diligit, quamdiu homo in puritate vitæ manet; omnia homini dedit quæ homo habet et ipse factus est pauper secundum quod testatur scriptura: Vulpes foveam habent etc. sed quotidie Christus famem et sitim patitur, hoc est in suis membris scilicet pauperibus et debilibus, unde scriptum est: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; et cum deus petit a nobis haustum vini de primo dolio, dolium id est pueritia nostra quam deus a nobis requirit ut ei serviamus in pueritia; puer vero malus respondit: Mustum est, hoc est puer sum, non possum jejunare, orare, in dei servitio vigilare. Demum deus a nobis requirit, ut demus ei de secundo dolio; respondit malus filius: Non possum dare juventutem meam deo serviendo, quod tunc mundus deridet me dicens: Ecce ille juvenis stultus homo non vult conversari cum hominibus, et sic juventutem meam mecum retinebo. Demum deus requirit a nobis de tertio dolio; respondit malus filius: Vinum forte est, hoc est jam sum in fortitudine mea; si pœnitentiam facerem, fortitudinem meam diminuerem, ad bella et ad hastiludia volo accedere et ea quæ mundi sunt exercere ac post fortitudinem pœnitentiam agere. Deus videns quod de istis tribus dictis doliis nihil potest habere, quærit de quarto dolio haustum vinum. Respondit malus

filius: Vinum nimis vetus et acetosum est, hoc est dictu jam sum senex, jam non possum jejunare, vigilare, quod natura mea est debilis. Demum deus quærit de quinto dolio unum haustum; respondet malus filius: Fæces sunt, hoc est dictu, heu mihi decrepitus sum, defecit salutare meum, dum bona potero facere non feci, modo sum impotens et talis sæpe cadit in desperationem, et sic moritur homo miser. Contra tales erit querimonia gravis et tunc in die judicii deus cum tota curia cœlesti sententiam dabit dicens: Ite maledicti etc. a quo nos liberare dignetur qui etc.

Cap. 73.

Avaritia multos excæcat.

Rex quidam erat in civitate romana, qui statuit quod quilibet cæcus ab imperatore omni anno centum solidos haberet. Accidit casus quod XXIII socii ad civitatem venerunt et quandam tabernam intrabant propter potationem. Isti enim per septem dies stabant bibendo et comedendo, deinde cum volebant cum tabernario computare, quidquid in pecunia haberent tabernario dederunt. At ille: Certe, carissimi, adhuc deficiunt centum solidi; amen dico vobis non exibitis, donec ultimum quadrantem mihi solveritis. Illi hoc audientes adinvicem dixerunt: Quid faciamus? Non habemus solvere. Ait unus: Dabo vobis sanum consilium: per imperatorem lex edita est, quod quicunque est cæcus, centum solidos de ejus thesauro obtinebit; ponamus inter nos sortes, et supra quem sors cadit, ejus oculos eruamus et tunc ille ad palatium poterit accedere et centum solidos obtinere et nos omnes quittare. At illi: Optimum est consilium. Inter se miserunt sortem, et super illum qui consilium dederat cecidit, statim excæcabant eum et duxerunt eum ad palatium; pulsabant ad januam, janitor causam pulsationis quæsivit; at illi: Ecce est unus cæcus, qui beneficium legis petit. Ait janitor: Senescallo hoc dicam. Accessit ad senescallum et ait: Stat unus cæcus ad portam, qui beneficium legis petit. At ille: Vadam ad illum et eum videbo. Cum autem cæcum vidisset, eum intime respexit; quem cum considerasset, ait ei: Carissime, quid petis? Et ille: Centum solidos secundum legem. Qui ait: Amen dico tibi, hesterna die vidi te in taberna et duos oculos satis claros habentem; tu male legem intelligis. Lex est edita quod quicunque fuerit ex infirmitate vel ex casu aliquo cæcus, contra quem casum non poterit se defendere, talis beneficium legis obtinebit, sed tu voluntarie delevisti oculos tuos et in taberna bibisti et consilium dedisti.

ut cæcatus esses', quære ergo alibi solatium, quod nullum obulum obtinebis. Ille vero hoc audiens cum confusione recessit.

Moralisatio. Carissimi, talis est lex Dei, quod quicunque ignorater aut ex infirmitate peccaverit, aut tentatione diabolica, si contritus et confessus fuerit (juxta illud, in quacunque hora peccator) deus sibi remittebit, quilibet peccator in quantum peccator est cæcus. Si vero aliquis ex pura malitia sine causa peccaverit, et postea desperationem inciderit vix aut nunquam ei remittetur. Tabernarius est diabolus qui omnes tales ad tabernam infernalem recipit qui sic descendunt, et ideo studeamus etc.

Cap. 74.

De prospectione et providentia.

Erat quidam rex, qui filium tantum unicum habebat, quem tenerrime dilexit. Rex iste unum pomum aureum fieri fecit in sumptibus magnis; pomo fabricato rex usque ad mortem infirmabatur, vocavit filium suum et ait: Carissime, non potero de ista infirmitate evadere, sub benedictione mea post meum decessum vade per regna et castra et pomum aureum quod feci tolle tecum, et quem magis stultum inveneris, pomum istud ex parte mea dabis. Filius vero fideliter adimplere promisit, rex vero vertebat se ad parietem et emisit spiritum, filius vero satis honorifice eum tradidit sepulturæ. Post sepulturam statim pomum accepit et per diversa regna et castra ambulavit, multos stultos invenit et vidit, tamen nulli eorum pomum dedit. Deinde perrexit ad quoddam regnum et ad civitatem principalem illius regni accessit, per medium civitatis regem equitantem cum magno apparatu vidit, conditiones illius regni a quibusdam civibus quæsivit, at illi dixerunt ei: Consuetudo illius regni est talis, quod nunquam rex inter nos regnabit nisi uno anno; finito anno in exilium ponetur, ubi mala morte morietur. Filius regis hæc audiens intra se cogitabat: Jam inveni quem diu quæsivi, accessit ad regem et flexis genibus eum salutavit et ait: Ave rex! pater meus defunctus est, istud pomum aureum in testamentum vobis legavit. Rex vero pomum accepit et ait ei: Carissime, quomodo potest hoc esse? Rex nunquam me vidit nec aliquid boni patri tuo feci; quare ergo tam pretiosum jocale mihi dedit? Ait ille: Domine mi rex, pater meus non plus vobis quam alteri pomum legavit, sed sub benedictione sua mihi præcepit, majori stulto dare, quem potero invenire, et sine dubio circuivi multa regna et castra et non inveni tam magnum stultum et infatuatum, quam vos;

sapiens sit ego vero stultus, ipse est causa mortis meæ. Ait judex ambobus et primo sapienti: Tu sapiens, quia tam leviter stultitiae suæ adhæsisti et secutus es eum, et tu stulte quia dictis sapientis non credidisti, sed propriam stultitiam perpetrasti; vos ambos in patibulo suspensuros hodie judico. Et sic factum est.

Moralisatio. Carissimi, iste rex est dominus noster Jesus Christus, duo milites anima et corpus; anima est sapiens, corpus est stultum. Isti duo in baptismo erant confœderati adinvicem, quod quilibet sanguinem alterius biberet. Sanguinem alterius bibere est quemlibet pro alio in periculo se ponere, ut si caro suas voluptates voluerit habere, prius debet anima per pœnitentiam consumere, quam cum carne in tali periculo se ponere. Si vero anima quod absit labatur, caro debet pro ea jejuniis et vigiliis pati, et hoc est sanguinem alterius bibere nunquam alium in necessitate dimittere. Duæ viæ sunt per quas veniunt, una est pœnitentia, alia mundi gloria; duæ civitates, una in monte, hoc est cœlum super firmamentum, alia in valle, hæc est infernus. Ad cœlum est via stricta sicut via pœnitentiæ et pauci ambulant eam; in ista via sunt tres milites, scilicet diabolus, mundus et caro, quod quicunque voluerit ad cœlum pergere, debet contra istos pugnare et per viam pœnitentiæ ambulare. In ista civitate est quidam senescallus i. e. deus, qui omnia omnibus secundum merita sua affluenter dat, unde beatus Gregorius: In cor hominis non ascendit etc. In via versus infernum sunt tres milites, scilicet superbia vitæ, concupiscentia oculorum et concupiscentia carnis, propter quæ tria peccator invenit corpori suo delectabilia pro tempore; via versus infernum est plana ad ambulandum, sed antequam homo percipiat, senescallus scilicet mors emittit exploratores scilicet infirmitates, quæ eum capiant, quoniam anima interim in inferno incarcerabitur; corpus ligatur et in sepultura ponitur; sed in die judicii cum dominus apparuerit judicare vivos et mortuos, tunc anima contra corpus et e converso corpus contra animam allegabit, et judex scilicet deus sententiam dabit; si in peccato inventi fuerimus, sine dubio ad infernum ibimus, a quo nos defendat, qui sine fine vivit et regnat.

Cap. 68.

De non subticenda veritate usque ad mortem.

Gordianus regnavit, in cujus regno erat quidam miles generosus, qui pulchram uxorem habebat, quæ sub viro sæpius erat adulterata.

Accidit semel, quod maritus ad peregrinandum perrexit, illa vero incontinenti vocavit amasium suum. Domina illa quandam ancillam habebat, quæ cantus avium intellexit; cum vero amasius veniret, erant tunc temporis tres galli in curia. Media nocte cum amasius juxta dominam jacuisset, primus gallus cantare cœpit. Domina cum hoc audisset, ait ancillæ: Dic mihi, carissima, quid dicit gallus in cantu suo? Illa respondit: Gallus dicit in cantu suo, quod tu facis injuriam domino tuo. Ait domina: Occidatur gallus iste! Et sic factum est. Tempore debito post hæc secundus gallus cantavit; ait domina ancillæ: Quid dicit gallus in cantu suo? Ait ancilla: Socius meus mortuus est pro veritate, et ego paratus sum mori pro ejus veritate. Ait domina: Occidatur gallus! Et sic factum est. Post hæc tertius gallus cantavit. Domina cum audisset, dixit ancillæ: Quid dicit gallus in cantu suo? Illa respondit:

Audi, vide, tace, si tu vis vivere in pace!

Ait domina: Non occidatur gallus iste! Quod etiam factum est.

Moralisatio. Carissimi, imperator iste est pater cœlestis, miles Christus, uxor ejus anima per baptismum desponsata, ille qui eam seduxit est diabolus, qui per mundi fallacias decepit, unde, quoties peccato consentimus, adulteramus Christo. Ancilla est tua conscientia, quæ contra peccatum murmurat, et continue hominem ad bonum stimulat. Primus gallus, qui cantavit, certe Christus est, qui primo contra peccatum arguebat; hoc videntes Judæi ipsum occiderunt, et similiter nos ipsum occidimus, quantum in nobis est, quamdiu in peccatis delectamur. Per secundum debemus martyres intelligere; sic erant et alii multi, qui viam et doctrinam ejus prædicaverunt; ideo pro Christi nomine et veritate necati sunt. Per tertium gallum, qui dixit: Audi, vide etc. potest intelligi prædicator, qui debet esse sollicitus veritatem pronuntiando, sed diebus istis non audet veritatem dicere, qui pacem cupit habere. Studeamus ergo magis deum timere veritatem pronunciando, et sic ad Christum qui est veritas veniamus.

Cap. 69.

De castitate.

Gallus regnavit prudens valde, qui quoddam palatium construere volebat. Erat tunc in imperio quidam carpentarius subtilis valde, cum quo imperator pro construendo palatio convenit. Tunc temporis erat quidam miles in regno, qui pulchram filiam habebat; videns prudentiam

carpentarii, intra se cogitabat: Filiam meam illi in uxorem dabo, quia per sapientiam suam et artem satis laute eam promovebit. Vocavit eum et ait ei: Carissime, pete a me, quod tibi placuerit, et tibi dabo, si mihi possibile sit, ita ut filiam meam in uxorem accipias. At ille: Mihi bene placet. Convenerunt in unum, carpentarius eam in uxorem duxit. Hoc facto mater filiae generum suum vocavit et ait ei: Fili mi, jam filiam meam in uxorem duxisti; ecce istam camisiam dabo tibi, quam ei satis pulchram ostendit et ait: Camisia ista talem virtutem habet, quod nunquam toto tempore vitæ tuæ lotione indiget, nec frangi potest, nec consumi, nec colore mutari, quamdiu inter te et filiam meam sit amor fidelis; si vero, quod absit, aliquis ex vobis matrimonium violaverit, statim camisia omnes ejus virtutes amittit. Carpentarius hæc audiens gavisus est valde, camisiam recepit et ait: O mater quam pretiosum jocale mihi dedisti! Jam nullus nostrum potest matrimonium violare, quin per camisiam scietur perfectissime. Post haec intra paucos dies carpentarius ad palatium regis est vocatus, ut novum palatium construeret. Camisiam secum assumpsit, uxorem in domo dimisit, cum rege moram traxit, quousque palatium completum fuit. Cum in laborando fuisset, admirabantur multi, quod camisia sua semper in candore et munditia permansit. Ait rex ad eum: Magister, rogo, ut dicas mihi, quomodo hoc potuerit esse, quod cum in continuis laboribus permanes et camisia tua sine lotione et immunditia in albedine manet? Ait ille: Scias, carissime domine, quod quamdiu ego cum uxore mea sumus fideles in amore, camisia mea non indiget lotione, sed si matrimonium inter nos esset violatum, camisia mea sicut ceteri panni lotione indigeret. Miles cum hoc audisset intra se cogitabat: Si potero, camisiam tuam lavare faciam. Perrexit ad domum carpentarii ipso ignorante, ut ejus uxorem ad peccatum solicitaret. Illa vero gratanter eum recepit; miles de amore inordinario eam pulsavit. Quæ ait: Amor talis locum privatum requirit; veni mecum! Et illum in cameram introduxit. Cum autem introductus fuisset, illa exivit, et ostium clausit et dixit: Ibidem exspectabis, quousque tempus habuero, quando te liberare debeo. Domina ista singulis diebus eum visitavit ac cum pane et aqua eum sustentavit; ille vero preces fundebat, ut eum dimitteret abire, sed illa non consentiebat. Post hæc cito duo alii milites ad eam venerunt de curia regis, quilibet post alium, ut eam corrumperent, sed eis nihil valuit, illa vero in eadem camera eos inclusit, et pane et aqua sustentavit ita quod per multos dies ibi stabant. De istis tribus militibus facta est quæstio et commotio in domo regis, quo milites devenerunt. Palatio consummato carpentarius accepta mercede domum venit; uxor ejus non medicum gaudens eum

vero honorifice recepit, et quomodo se haberet, diligenter inquisivit. Ille bene per omnia respondit, illa vero camisiam suam respexit, vidensque eam satis mundam et ait: Benedictus deus quia apparet in camisia ista, quod inter nos est dilectio vera. Qui sic ait: Carissima, tibi dicam cum essem in palatio construendo, venerunt tres milites, unus post alium, et de camisia mea quæsierunt, quomodo sine lotione manebat in omni candore. Eis veritatem retuli, post hoc quo devenerunt penitus ignoro; de eorum absentia facta est quæstio magna in curia regis. Dixit illa: Domine, illi tres milites, de quibus fit sermo, ad me venerunt, multa mihi promiserunt, si eis consentirem, sed nullo modo volebam hoc attentare, eos in camera privata posui et hocusque pane et aqua sustentavi. Carpentarius hoc audiens gavisus est valde de fidelitate uxoris, et quod milites a morte salvavit, eos libere abire permisit, et ambo usque ad finem vitæ in vero amore permanserunt.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est pater cœlestis qui palatium habet construere, scilicet cor humanum bonis virtutibus plenum, in quo palatio deus delectatur permanere, juxta illud: Et deliciæ meæ sunt, esse cum filiis hominum. Miles iste, qui habet pulchram filiam, est Christus, qui habet animam pro filia. Uxor est sancta mater ecclesia, carpentarius est bonus christianus, qui istam filiam in uxorem cum camisia accepit. Camisia ista est fides nostra, quia, ut ait apostolus, sine fide impossibile est placere deo; quamdiu manet homo in hac vita in sanctitate, tamdiu fides non violatur. Quid ergo sequitur? Certe, ut erigas palatium, scilicet cor mundum per opera misericordiæ. Tres milites qui venerunt ad temptandum sunt superbia vitæ, concupiscentia oculorum et concupiscentia carnis. Istos tres milites concludere debes in camera pœnitentiæ, quousque mercedem æternam a rege æterno accipias; postquam tunc ad præsentiam venies, eos libere abire permittes i. e. animo tibi nocere non possunt. Rogemus ergo dominum etc., quod nobis concedat etc.

Cap. 70.

De compunctione fidelis animæ.

Quidam rex erat, qui filiam pulchram habebat et prudentem, quam pater viro tradere volebat, illa vero votum deo fecerat, quod nunquam virum acciperet quousque tria perpetraret. Primum erat quod veraciter diceret quot pedes in longitudine et latitudine ac profundidate quatuor elementorum essent, secundum, quod ventum ab aquilone mutaret, tertium, quod ignem in gremio sine læsione juxta carnem portaret. Rex cum

hoc audisset, fecit ista tria per totum regnum promulgari, et si quis sine defectu perpetraret, filiam ejus in uxorem haberet. Multi venerunt sed defecerunt; erat quidam miles in partibus longinquis, qui cum de voto puellæ audiret, ad palatium regis venit ducensque secum famulum unum et equum furibundum coram rege tentavit et ait: Domine mi rex, filiam tuam peto in uxorem, quia paratus sum ista tria promulgata solvere. Ait rex: Mihi bene placet. Miles vero famulum suum vocavit et ait ei: In terra jaceas! Cum vero sic jaceret, miles a capite usque ad pedes mensuravit. Hoc facto ait regi: Ecce domine in quatuor elementis vix ultra septem pedes invenio. Ait rex: Quid hoc quatuor elementa? Et ille: Domine, quilibet homo et omne animal ex quatuor elementis componitur, et sic per famulum quatuor elementa mensuravi. Ait rex: Amen dico tibi satis clare probasti. Jam ad secundum procedamus, muta ventum etc. Ille statim equum furibundum adduci fecit, cui potionem ad gustandum dedit; de cujus potione factus est totaliter sanus; hoc facto caput equi in oriente ponebat et ait: Ecce, domine, ventus est mutatus ab aquilone in orientem. Ait rex: Quid hoc ad ventum? Ait ille: Nonne constat vestræ prudentiæ quod vita cujuslibet animalis non est nisi ventus, quem equus patiebatur malum, tamdiu erat in aquilone, sed jam ex virtute potionis sanus factus est; caput ejus ad orientem posui, ut sit paratus onus portare. Ait rex: Satis clare probasti. Jam ad tertium procedamus! At ille: Domine paratus sum coram omnibus adimplere; manus suas prunis ardentibus replevit et in sinu posuit, et caro ejus nequaquam est læsa. Ait rex: Satis bene duo alia probasti, sed dic mihi quomodo glebas non lædunt te? Ait ille: Non virtute mea, sed ex virtute lapidis, quem mecum continue porto; quicunque illum lapidem in loco mundo portaverit; nunquam ab igne lædi poterit; ecce lapis! Et lapidem coram omnibus ostendit. Ait rex: Probabiliter ista tria probasti. Nuptias ordinavit, filiam suam cum divitiis multis ei dedit in conjugem et ambo in vita bona dies suas finierunt.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est dominus noster Jesus Christus, filia tam pulchra anima ad dei similitudinem creata, quæ deo in baptismo votum fecerat, quod nunquam viro conjungeretur, nisi tria perpetraret; primum est, quod mensuraret etc. hoc est famulum tuum i. e. carnem tuam mensurare debes, quantum deliquit et pro omni delicto pœnam agere, elementa mensurare, scilicet carnem tuam domare. Secundum est mutare etc. Equus furiosus est peccator, qui in peccatis permanet, unde oportet ei potionem dare, scilicet ut contritionem habeat in corde, confessionem in ore, satisfactionem in

opere, et hoc est ventum mutare, unde Job.: Tanquam ventus est vita mea. Tertium est ignem sine læsione portare; ignis luxuriæ, avaritiæ, superbiæ quæ sæpe animam et corpus consumunt; sed si desideras, ut ignis iste te non lædat, oportet ut lapidem in loculo i. e. dominum nostrum Jesum Christum in corde habeas per opera meritoria; et si munde portaveris, nunquam ignis alicujus peccati lædet te et per consequens vitam æternam obtinebis.

Cap. 71.

De remuneratione æternæ patriæ.

Rex erat quidam, qui magnum convivium fecerat; deinde per totum regnum præcones destinabat, ut præconisarent convivium, videlicet ut omnes, cujuscunque conditionis ad convivium venirent et non tantum convivium bonum haberent, sed et divitias infinitas obtinerent. Cum autem præcones per regna et castra ambularent, præceptum regis promulgando, erant tunc duo homines in una civitate manentes, unus fuit fortis et robustus, sed tamen cæcus, alter claudus et debilis, sed optime videbat. Dixit cæcus claudo: Carissime, heu nobis duobus per totum regnum dimulgatum est, quod rex tali tempore optimum convivium tenebit, ad quod non tantum quilibet habebit cibaria pro sua voluntate, sed divitias magnas recipiet, tu vero es claudus ego vero cæcus, ad illud convivium poterimus ne accedere. Ait claudus: Si consilium meum feceris, ambo ibidem veniemus, et divitias et convivium sicut ceteri obtinebimus. Respondit cæcus: Omne consilium quod est nobis utile sum paratus adimplere. Ait claudus: Tu es fortis et robustus in corpore, ego vero debilis quia claudus, me super dorsum tuum portabis, ego vero te in viam dirigam, quia satis clare video et sic ambo ad convivium veniemus, et mercedem sicut ceteri obtinebimus. Ait cæcus: Amen dico tibi, optimum consilium est, statim ascende dorsum meum! Et sic factum est, claudus viam ei ostendit et ipse eum portavit, et sic ambo ad convivium venerunt et divitias inter alios receperunt.

Moralisatio. Carissimi, iste rex est dominus noster Jesus Christus, qui pro omnibus nobis convivium æternum præparavit, juxta illud: Erat quidam homo, qui fecit cœnam magnam. Ad illud convivium multi sunt vocati et qui ibidem accedit divitias æternas possidebit. Cæcus iste est quilibet dives ac potens hujus sæculi qui fortis est et potens in corpore i. e. divitiis et mundi potentia, unde cæci sunt quantum ad vitam æternam, ignorant ea quæ sunt salutis, sicut talpa bene

videt sub terra et multa habet diverticula, sed supra cæcus efficitur nec scit seipsum juvare; sic et divites satis clare vident in temporalibus et cæci sunt in spiritualibus. Claudus vero est bonus religiosus, qui claudicat in utroque pede, scilicet nihil in communi aut proprio possidere, tamen videt talis satis clare viam versus convivium æternum. Si ergo vos divites ac mundi potentes intenditis ad illud convivium accedere et præmia ibidem accipere, necesse vobis erit religiosos ac ceteros pauperes super dorsa vestra portare, sed diligenter est advertendum, quomodo divites debent portare pauperes, certe elemosynas eis dando, in eorum necessitatibus subveniendo, hoc est pauperes portare et fideliter viris ecclesiasticis decimas dare. Si sic feceritis, nos viri religiosi tenemur vobis viam salutis ostendere quomodo poteritis ad vitam æternam pervenire. Præcones, qui illud convivium clamabant, sunt sacræ paginæ doctores, scilicet prædicatores et confessores, qui habent nos instruere publice et private quomodo ad æternum convivium poterimus pervenire.

Cap. 72.

De ingratorum trucidatione.

Legitur de quodam rege, qui filium unicum habebat, quem multum dilexit ac tenerrime nutrivit. Cum autem puer ad ætatem legitimam pervenisset, de die in diem regem impulsabat, ut regnum ei dimitteret, eo quod impotens esset et ipse potens. Rex vero ait: Carissime, si securus essem, quod me benevole et cum honore tractares toto tempore vitæ tuæ, tibi illud concederem et omnem humanitatem quam pater tenet filio tibi præstarem. At ille: Domine, coram satrapis et nobilibus imperii juramentum præstabo, quod nullum defectum habebitis sed in majori honore quam me ipsum vos habebo. Rex vero credens dictis ejus regnum ei dedit et nihil sibi ipsi retinuit. Cum vero coronatus esset et in solio positus, ultra quam credi potest cor ejus est elevatum; per aliquos annos patrem suum in honore habebat et post hæc ne aliqua bona ei dedit. Ille vero cœpit sapientibus regni conqueri, quod filius ejus pactum non tenebat; sapientes vero, qui semper eum dilexerunt, regem arguebant quod male patrem suum tractaret; rex hoc audiens furore est repletus patrem suum in quodam castro inclusit, ubi nullus accessum habere poterat ad eum, in quo loco famem et multas miserias patiebatur. Accidit eodem tempore, quod rex in eodem castello pernoctabat, pater vero ad eum accessit et ait: O fili, miserere patri tuo seni, qui te genuit et omnia dedit! In hoc

loco famem et sitim patior, jam sum in gravi infirmitate positus et haustus vini me confortaret. Ait rex: Ignoro si sunt vina in castro isto. Ait ille: Imo fili quinque dolia vini sunt in castro et sine scitu vestro senescallus hujus castri non audet perforare ea et mihi haustum dare; rogo fili, des mihi de primo dolio. Ait rex: Non faciam quia mustum est nec valet pro senibus. At ille dixit: Des mihi ergo de secundo dolio! Qui ait: Hoc non faciam; hoc pro corpore meo custodiam et pro juvenibus qui mecum sunt. At ille: Des ergo mihi de tertio! Qui ait: Non faciam quia vinum forte est et tu es debilis et infirmus; posset esse causa mortis tuæ. Ait ille: Des mihi de quarto dolio! Qui ait: Non faciam quia nimis vetus et acetosum est et non multum valet et præcipue pro complexione tua. Ait pater: Fili des ergo mihi de quinto dolio! At ille: Absit a me quod fæces sunt; satrapæ regni mihi imponerent quod te occidissem si fæces tibi dedissem. Pater hæc audiens ab eo tristis recessit, et statim occulte satrapis regni literam scripsit, quomodo filius ejus eum tractabat ut propter deum eum a tali miseria sublevarent. Satrapæ omnes ei compatiebantur, statim regem receperunt et patrem sicut prius regem constituerunt, filium suum in carcerem posuerunt, ubi propter miseriam defunctus est.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est dominus noster Jesus Christus, filius quilibet christianus, quem tenerrime diligit, quamdiu homo in puritate vitæ manet; omnia homini dedit quæ homo habet et ipse factus est pauper secundum quod testatur scriptura: Vulpes foveam habent etc. sed quotidie Christus famem et sitim patitur, hoc est in suis membris scilicet pauperibus et debilibus, unde scriptum est: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; et cum deus petit a nobis haustum vini de primo dolio, dolium id est pueritia nostra quam deus a nobis requirit ut ei serviamus in pueritia; puer vero malus respondit: Mustum est, hoc est puer sum, non possum jejunare, orare, in dei servitio vigilare. Demum deus a nobis requirit, ut demus ei de secundo dolio; respondit malus filius: Non possum dare juventutem meam deo serviendo, quod tunc mundus deridet me dicens: Ecce ille juvenis stultus homo non vult conversari cum hominibus, et sic juventutem meam mecum retinebo. Demum deus requirit a nobis de tertio dolio; respondit malus filius: Vinum forte est, hoc est jam sum in fortitudine mea; si pœnitentiam facerem, fortitudinem meam diminuerem, ad bella et ad hastiludia volo accedere et ea quæ mundi sunt exercere ac post fortitudinem pœnitentiam agere. Deus videns quod de istis tribus dictis doliis nihil potest habere, quærit de quarto dolio haustum vinum. Respondit malus

filius: Vinum nimis vetus et acetosum est, hoc est dictu jam sum senex, jam non possum jejunare, vigilare, quod natura mea est debilis. Demum deus quærit de quinto dolio unum haustum; respondet malus filius: Fæces sunt, hoc est dictu, heu mihi decrepitus sum, defecit salutare meum, dum bona potero facere non feci, modo sum impotens et talis sæpe cadit in desperationem, et sic moritur homo miser. Contra tales erit querimonia gravis et tunc in die judicii deus cum tota curia cœlesti sententiam dabit dicens: Ite maledicti etc. a quo nos liberare dignetur qui etc.

Cap. 73.

Avaritia multos excæcat.

Rex quidam erat in civitate romana, qui statuit quod quilibet cæcus ab imperatore omni anno centum solidos haberet. Accidit casus quod XXIII socii ad civitatem venerunt et quandam tabernam intrabant propter potationem. Isti enim per septem dies stabant bibendo et comedendo, deinde cum volebant cum tabernario computare, quidquid in pecunia haberent tabernario dederunt. At ille: Certe, carissimi, adhuc deficiunt centum solidi; amen dico vobis non exibitis, donec ultimum quadrantem mihi solveritis. Illi hoc audientes adinvicem dixerunt: Quid faciamus? Non habemus solvere. Ait unus: Dabo vobis sanum consilium: per imperatorem lex edita est, quod quicunque est cæcus, centum solidos de ejus thesauro obtinebit; ponamus inter nos sortes, et supra quem sors cadit, ejus oculos eruamus et tunc ille ad palatium poterit accedere et centum solidos obtinere et nos omnes quittare. At illi: Optimum est consilium. Inter se miserunt sortem, et super illum qui consilium dederat cecidit, statim excæcabant eum et duxerunt eum ad palatium; pulsabant ad januam, janitor causam pulsationis quæsivit; at illi: Ecce est unus cæcus, qui beneficium legis petit. Ait janitor: Senescallo hoc dicam. Accessit ad senescallum et ait: Stat unus cæcus ad portam, qui beneficium legis petit. At ille: Vadam ad illum et eum videbo. Cum autem cæcum vidisset, eum intime respexit; quem cum considerasset, ait ei: Carissime, quid petis? Et ille: Centum solidos secundum legem. Qui ait: Amen dico tibi, hesterna die vidi te in taberna et duos oculos satis claros habentem; tu male legem intelligis. Lex est edita quod quicunque fuerit ex infirmitate vel ex casu aliquo cæcus, contra quem casum non poterit se defendere, talis beneficium legis obtinebit, sed tu voluntarie delevisti oculos tuos et in taberna bibisti et consilium dedisti.

ut cæcatus esses', quære ergo alibi solatium, quod nullum obulum obtinebis. Ille vero hoc audiens cum confusione recessit.

Moralisatio. Carissimi, talis est lex Dei, quod quicunque ignorater aut ex infirmitate peccaverit, aut tentatione diabolica, si contritus et confessus fuerit (juxta illud, in quacunque hora peccator) deus sibi remittebit, quilibet peccator in quantum peccator est cæcus. Si vero aliquis ex pura malitia sine causa peccaverit, et postea desperationem inciderit vix aut nunquam ei remittetur. Tabernarius est diabolus qui omnes tales ad tabernam infernalem recipit qui sic descendunt, et ideo studeamus etc.

Cap. 74.

De prospectione et providentia.

Erat quidam rex, qui filium tantum unicum habebat, quem tenerrime dilexit. Rex iste unum pomum aureum fieri fecit in sumptibus magnis; pomo fabricato rex usque ad mortem infirmabatur, vocavit filium suum et ait: Carissime, non potero de ista infirmitate evadere, sub benedictione mea post meum decessum vade per regna et castra et pomum aureum quod feci tolle tecum, et quem magis stultum inveneris, pomum istud ex parte mea dabis. Filius vero fideliter adimplere promisit, rex vero vertebat se ad parietem et emisit spiritum, filius vero satis honorifice eum tradidit sepulturæ. Post sepulturam statim pomum accepit et per diversa regna et castra ambulavit, multos stultos invenit et vidit, tamen nulli eorum pomum dedit. Deinde perrexit ad quoddam regnum et ad civitatem principalem illius regni accessit, per medium civitatis regem equitantem cum magno apparatu vidit, conditiones illius regni a quibusdam civibus quæsivit, at illi dixerunt ei: Consuetudo illius regni est talis, quod nunquam rex inter nos regnabit nisi uno anno; finito anno in exilium ponetur, ubi mala morte morietur. Filius regis hæc audiens intra se cogitabat: Jam inveni quem diu quæsivi, accessit ad regem et flexis genibus eum salutavit et ait: Ave rex! pater meus defunctus est, istud pomum aureum in testamentum vobis legavit. Rex vero pomum accepit et ait ei: Carissime, quomodo potest hoc esse? Rex nunquam me vidit nec aliquid boni patri tuo feci; quare ergo tam pretiosum jocale mihi dedit? Ait ille: Domine mi rex, pater meus non plus vobis quam alteri pomum legavit, sed sub benedictione sua mihi præcepit, majori stulto dare, quem potero invenire, et sine dubio circuivi multa regna et castra et non inveni tam magnum stultum et infatuatum, quam vos;

ideo ex præcepto patris mei vobis pomum dedi. Ait rex: Rogo ut mihi dicas, quare me tantum stultum reputas. At ille: Ecce domine, ostendam vobis clare. Est consuetudo illius regni tantum per annum regnare et in fine anni omni honore et divitiis privari et in exilium poni, ubi mala morte moritur. Amen dico vobis, concludo ex dictis meis, quod in toto mundo non est tantus stultus, sicut vos, quia tam breve tempus regnare debetis et post hoc tam miserabiliter vitam finire. Respondit rex: Sine dubio omnia vera sunt, quæ modo mihi dixisti, et ideo dum adhuc fuero in mea potestate, in præsenti anno bona infinita mittam ante me in exilium, ut dum ibi venero de bonis illis vivam quam diu vixero. Et sic factum est; in fine anni regno est privatus et in exilium positus, ibi per multos annos de bonis illis vixit et vitam in pace finivit.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est deus, qui legavit pomum aureum stultis. Per pomum rotundum intelligitur mundus iste, quem deus dat fatuis, qui magis mundum et ea quæ in mundo sunt appetunt quam deum. Rex, qui per unum annum regnavit, potest dici quilibet homo in hoc mundo existens, qui, licet centum annis vivat est tamen quasi una hora respectu vitæ futuræ, et tamen non desistit miser homo die ac nocte laborare et post mortem in exilium i. e. in infernum poni, si cum peccato mortali decedat, ubi mala infinita inveniet. Et pauci sunt, qui de isto exilio cogitant. Faciamus ergo sicut fecit ille rex; dum sumus in nostra potestate in hac vita, ante nos mittamus opera misericordiæ, eleemosynas largas, perpetrare orationes et jejunia facere, et post hanc vitam paradisum poterimus intrare et, sine dubio ubi inveniemus opera nostra meritoria, quæ fecimus in hac vita, et sic regnabimus ibi cum gloria. Ad quam etc.

Cap. 75.

De cura mundi non sectanda.

Olim erat quidam rex qui tres filias pulchras habebat, quas tribus ducibus maritavit. Omnes illi tres duces eodem anno mortui sunt. Rex hoc audiens volebat filias suas iterato maritare et vocavit primam filiam et ait: Carissima, vir tuus mortuus est, dabo te alium viro. At illa: Nullo modo hoc attentabo, et hæc est ratio mea: si deberem alterum virum accipere, oportet ut eum tantum diligerem sicut primum virum, aut plus aut minus diligerem; hoc non potest stare, quia primus virginitatem habebat, ergo non tantum debeo eum diligere; si vero plus, hoc esset majus malum; si vero minus, non

esset vera dilectio inter nos; quare concludo, quod nullo modo volo alium virum accipere. Rex hoc audiens vocavit aliam et ait: Carissima, vir tuus defunctus est, copulabo te alteri viro. At illa: Domine, nullo modo hoc attentabo, quod si virum alium acciperem, reciperem eum aut propter divitias aut fortitudinem aut pulchritudinem; non propter divitias, quia abundo; non propter fortitudinem, quia amicos habeo qui me defendent; non propter pulchritudinem, quia mihi videbatur quod vir meus omnium erat pulchrior in universo mundo; quare concludo, quod nullo modo virum alium accipere volo. Rex hoc audiens vocavit tertiam filiam et ait: Carissima, vir tuus mortuus est, et volo te alteri viro copulari. Ait illa: Nullo modo hoc attentare volo, quia si alium virum acciperem, ille me recipiet aut propter pulchritudinem aut divitias; non propter pulchritudinem, quia non sum pulchra, ergo propter divitias me recipiet, et si propter divitias, nunquam posset esse verus amor, quia destructis divitiis amor transiret; concludo ergo, quod nullo modo alium virum accipere volo. Item doctores sacræ scripturæ dicunt, quod vir et mulier in matrimonio conjuncti sunt unum in corpore et duo in anima; ergo corpus viri mei est corpus meum et e converso; ad hæc omni die possum ad sepulcrum accedere viri mei et ibi ossa videre, ergo virum præsentem habeo, et ideo alium habere nolo. Rex hoc audiens amplius ut virum acciperent non instigabat.

Expositio. Carissimi, rex iste est deus ipse, tres filiæ anima intelligitur, in qua relucet operatio et imago trinitatis juxta illud Genes. II: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Imago vero trinitatis per peccatum primi parentis erat deturpata et tribus viris tradita, scilicet diabolo, mundo et carni. Si vero mortuus est diabolus per Christi passionem, noli amplius talem virum accipere, sed semper sub Christi protectione permanere cupias; si mundus mortuus est per paupertatem voluntariam, noli amplius alium virum accipere, sed permaneas sub Christi protectione; si vero mortua est caro per jejunium et carnis macerationem, noli amplius virum accipere, sed sub Christi protectione permaneas.

Vel aliter potest reduci. Rex iste est deus, tres filiæ tria genera hominum, scilicet potentes ac divites hujus mundi, sicut sunt reges ac mundi potentes, sapientes hujus mundi sicut sunt judices temporales et ecclesiastici viri religiosi, perfecti christiani, sicut sunt qui in omnibus divinis præceptis obediunt. Isti tres erant in baptismo tribus ducibus copulati scilicet patri per potentiam, filio per sapientiam, spiritui sancto per clementiam. Si ergo isti mortui sunt i. e. exstincti et ablati a te per peccatum tuum, nunquam alteri labores

copulari, sed cum omni diligentia fac opera misericordiæ, per quæ poteris ei conciliari, quod nunquam aliquem invenies, qui te tantum diligit. Unde est notandum, quod mulier accipit virum propter quatuor, quia aut propter divitias aut propter pulchritudinem aut fortitudinem aut sapientiam. Si vero vis virum accipere propter divitias, certe non invenies ita divitem sicut dominum nostrum Jesum Christum, qui dominus cœli et terræ est; ergo eum teneas et non alium. Si vero velis virum accipere propter fortitudinem, curre ad dominum nostrum Jesum Christum, qui est fortior omni homine, fortis in cœlo et in terra; in inferno non est aliquis, qui potest ei resistere; ergo illum in virum debes accipere et non alium. Si vero aliquem vis accipere propter pulchritudinem, curre ad dominum nostrum Jesum Christum qui est pulchrior omni homine, unde psal.: speciosus forma præ filiis hominum, ergo illum debes habere et non alium, si vero aliquem vis accipere propter sapientiam, curre ad dominum nostrum Jesum Christum, qui est pulchrior omni homine, unde ps.: Speciosus forma præ filiis hominum. Ergo illum debes habere et non alium. Si vero aliquem vis accipere propter sapientiam, curre ad dominum nostrum Jesum Christum, quia ipse est sapientior omni homine, unde apostolus: O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ dei etc. Ergo illum virum accipere debes et non alium.

Cap. 76.

De concordia.

Accidit in quadam civitate, quod erant duo medici optimi in omni scientia medicinali imbuti, qui omnes ad eos venientes de quacunque infirmitate curabant, ita quod penitus populus ignorabat, quis eorum esset melior. Infra tempus erat inter eos contentio, quis eorum esset major atque perfectior. Ait unus alteri: Carissime, non sit inter nos discordia nec invidia neque contentio, quis nostrum est perfectior, sed unum faciamus, et quicunque ex nobis defecerit, sit ille servus alterius. Ait alter: Dic mihi, quod est illud! Et ille: Ego duos oculos tuos de capite eruam sine gravamine et super mensam tuam ponam, et quando tibi placet, in capite tuo sine læsione tua reponam; si vero mecum hoc idem per omnia feceris, æquales ambo simus et quilibet alterum nutriat sicut fratrem suum; si vero aliquis defecerit, servus alterius erit. At ille: Optima probatio, per omnia mihi bene placet. Ille vero qui quæstionem præposuit, accepit instrumenta sua et infra oculos alius cum quodam unguento nobilissimo

interius et exterius linivit, et cum instrumento suo duos oculos socii extraxit et super mensam posuit, et ait socio suo: Carissime, quomodo tibi videtur? Et ille: Unum scio, quod nihil video, quia oculis careo et tamen nullam læsionem sentio, sed modo vellem, quod oculos meos sicut mihi promisisti restitueres. Et ille: Libenter attentabo. Unguentem accepit et oculos interius et exterius sicut prius inunxit et oculos suos reposuit. Et ille: Carissime, quid jam tibi videtur? Et ille: Optime, quod in extrahendo nullam læsionem sensi. Tunc dixit ille: Jam restat, ut mihi simili modo ministres. Qui ait: Presto sum. Accepit instrumenta sua et ungenta sua sicut ille fecerat, intus et exterius linivit, deinde oculos ejus extraxit et super mensam posuit et ait: Carissime, quid tibi videtur? Et ille: Mihi videtur, quod oculos perdidi, tamen nullum dolorem sensi, sed vellem libentissime quod oculos rehaberem. Cum vero ille parasset instrumenta sua ut oculos restitueret, fenestra domus erat aperta et quidam corvus intravit, vidensque oculos in mensa, subito unum oculum rapuit et avolavit. Medicus hoc percipiens est contristatus totaliter, et ait intra se: Nisi oculos socio meo restituam, servus ejus ero. Respiciens a longe vidensque capram, oculum extraxit et in loco oculi ablati reposuit. Hoc facto dixit socio suo: Carissime, quid tibi videtur? Qui ait: Nec in extrahendo nec in reponendo aliquam læsionem sensi, sed unus ex oculis meis semper sursum ad arbores respicit. Et ille: Ex quo ita perfecte medicinam meam tecum feci, sicut et tu, modo ambo sumus æquales, nec inter nos sit contentio! Et sic ambo post hoc adinvicem sine contentione vixerunt.

Moralisatio. Carissimi, per istos duos medicos intelligere debemus legem novam et antiquam, quæ ambæ curabant quantum ad salutem animæ. Facta est contentio et adhuc est inter Christianos et Judæos, quæ lex est melior et perfectior. Ad probandum veritatem quilibet oculos alius extraxit, hoc est dictu: in lege antiqua multa sunt a quibus deus extraxit sicut decem præcepta in antiqua lege, sicut salvator ait: Non veni solvere legem sed implere; ut si aliquis hominum intendat deum videre, oportet ut ad novam legem recurrat et tunicam baptismi se induat. Corvus venit et rapuit unum oculum Judæorum, ut non possent veritatem videre, et in loco hujus ponebat oculum capræ scilicet quasdam ceremonias, quibus utuntur, per quas credunt deum videre, et ibunt ad tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium.

Cap. 77.

Quod ad divitias non est anhelandum.

Erat quidam rex, qui duas filias habebat; una erat pulcherrima et omnibus amorosa, sed altera nigra et omnibus odiosa. Rex videns filias suas, unam pulchram, aliam nigram, eis nomina imposuit; pulchræ filiæ imposuit nomen scilicet Rosimunda, nigræ filiæ nomen Gratiaplena. Deinde præconem per totum regnum misit promulgando, quod omnes venirent, et filias suas in matrimonium daret illis, qui ad hoc digni essent; quicunque vero pulchram filiam in uxorem accipiet, nihil cum ea nisi pulchritudinem obtineret; sed qui nigram filiam in uxorem acciperet, totum regnum post ejus decessum cum ea obtineret. Multi hoc audientes ad curiam regis venerunt, et cum duas filias viderent, omnes ad pulchram filiam currebant et eam in uxorem petebant. Gratiaplena nigra filia amare flevit. Ait ei rex: O filia, ob quam rem affligitur anima tua? Ait illa: O domine, nullus est, qui me visitet, nec mecum loquitur; omnes ad sororem meam currunt et omnes me despiciunt. Ait pater: O filia, ignoras, quod omnia mea tua sunt, et qui te desponsaverit, regnum meum obtinebit. Illa sic confortata a fletu cessabat. Post hæc venit quidam rex ad curiam regis, et cum vidisset pulchritudinem Rosimundæ, eam in uxorem petiit tantum cum sua pulchritudine. Rex pater puellam ei concessit et cum magno gaudio eam desponsavit. Stabat altera filia per multos annos, antequam esset desponsata; tandem quidam dux nobilis sed pauper inter se cogitabat: Licet puella turpis fuerit, tamen quicunque eam habuerit, regnum cum ea obtinebit. Perrexit ad regem et eam in uxorem petiit. Rex vero gavisus est, eam desponsavit cum magno gaudio et post mortem regis totum regnum cum ea obtinuit.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est dominus noster Jesus Christus, filia Rosimunda tam pulchra est mundus iste, unde pauci inveniuntur, qui non mudum super omnia appetunt, tandem nihil cum ea obtinebunt nisi suam pulchritudinem hoc est vanitatem et divitias; et sicut pulchritudo per infirmitatem, famem et senectutem anihilatur, ita divitiæ hujus mundi transeunt per mortem et sæpe ante, et ideo fatui sunt qui mundum desponsant. Altera filia scilicet Gratiaplena, quæ est turpis et omnibus odiosa, certe est paupertas, quam miro modo deus dilexit, et ideo vocatur Gratiaplena, quia per eam devenitur ad divitias; veruntamen pauci sunt, qui eam desponsare volunt, imo est omnibus odiosa; tamen qui eam desponsavit, vitam æternam habebit.

Cap. 78.

De constantia amoris mutui.

Rex quidam pulchram filiam habebat, quæ erat duci nobilissimo desponsata, cum quo pulchram prolem habebat, et maxima inter eos erat dilectio. Dux vero moritur; de cujus morte factus est planctus magnus in civitate. Domina vero satis honorifice eum sepulturæ tradidit. Post mortem amici ejus ad eam venerunt, ut secundo viro nuberet, allegantes sibi ætatem integram ac pulchritudinem suam. Domina vero respondit: Virum alterum habere nolo, quia vir meus qui mortuus est erat tam bonus dulcis ac dives per omnia, qui me ultra modum dilexit, et propter nimiam dilectionem inter nos ejus mors tantum me affligit, quod ut credo vivere non potero; si vero talem virum ponamus quod invenirem, possibile esset ei ante me mori, et tunc esset mihi gravis afflictio; jam habeo, quod nunquam alium virum capere volo; si malum virum acciperem, esset mihi grave, post bonum habere pessimum.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est deus, filia anima ad dei similitudinem creata, quæ erat nobilissimo viro scilicet domino nostro Jesu Christo per virtutem baptismi desponsata, qui summa dilectione nos dilexit, quod in cruce pro nobis mortuus est; ergo virum alium pro illo non accipias i. e. alium nunquam tantum diligas et sic cum eo regnabis.

Cap. 79.

Quod quis nescit, præsumere non audebit.

Erat quidam rex, qui miro modo duos caniculos dilexerat die ac nocte bene latrentes, intantum quod in gremio suo eos quiescere permisit et ibidem pavit; illi vero sic consueti erant in gremio ejus dormire et comedere, quod vix alibi esse volebant et quandoque circa collum regis pedes ponebant, et sic rex solatium magnum et ludum cum eis habebat. Erat tunc quidam asinus, qui cum omnia ista vidisset, in corde suo cogitabat: Si ego cantarem et ante regem saltarem et circa collum domini mei pedes ponerem, rex mihi daret omnia fercula ad comedendum et gremium suum ad quiescendum. His cogitatis extra stabulum saltavit, aulam intravit et coram rege cantare cepit, deinde hincinde saltavit et post hoc ad regem cucurrit et pedes circa collum ejus posuit. Servi hoc videntes credebant asinum in furia conversum, acceperunt eum et egregie verberaverunt et sic ad stabulum reduxerunt.

videt sub terra et multa habet diverticula, sed supra cæcus efficitur nec scit seipsum juvare; sic et divites satis clare vident in temporalibus et cæci sunt in spiritualibus. Claudus vero est bonus religiosus, qui claudicat in utroque pede, scilicet nihil in communi aut proprio possidere, tamen videt talis satis clare viam versus convivium æternum. Si ergo vos divites ac mundi potentes intenditis ad illud convivium accedere et præmia ibidem accipere, necesse vobis erit religiosos ac ceteros pauperes super dorsa vestra portare, sed diligenter est advertendum, quomodo divites debent portare pauperes, certe elemosynas eis dando, in eorum necessitatibus subveniendo, hoc est pauperes portare et fideliter viris ecclesiasticis decimas dare. Si sic feceritis, nos viri religiosi tenemur vobis viam salutis ostendere quomodo poteritis ad vitam æternam pervenire. Præcones, qui illud convivium clamabant, sunt sacræ paginæ doctores, scilicet prædicatores et confessores, qui habent nos instruere publice et private quomodo ad æternum convivium poterimus pervenire.

Cap. 72.

De ingratorum trucidatione.

Legitur de quodam rege, qui filium unicum habebat, quem multum dilexit ac tenerrime nutrivit. Cum autem puer ad ætatem legitimam pervenisset, de die in diem regem impulsabat, ut regnum ei dimitteret, eo quod impotens esset et ipse potens. Rex vero ait: Carissime, si securus essem, quod me benevole et cum honore tractares toto tempore vitæ tuæ, tibi illud concederem et omnem humanitatem quam pater tenet filio tibi præstarem. At ille: Domine, coram satrapis et nobilibus imperii juramentum præstabo, quod nullum defectum habebitis sed in majori honore quam me ipsum vos habebo. Rex vero credens dictis ejus regnum ei dedit et nihil sibi ipsi retinuit. Cum vero coronatus esset et in solio positus, ultra quam credi potest cor ejus est elevatum; per aliquos annos patrem suum in honore habebat et post hæc ne aliqua bona ei dedit. Ille vero cœpit sapientibus regni conqueri, quod filius ejus pactum non tenebat; sapientes vero, qui semper eum dilexerunt, regem arguebant quod male patrem suum tractaret; rex hoc audiens furore est repletus patrem suum in quodam castro inclusit, ubi nullus accessum habere poterat ad eum, in quo loco famem et multas miserias patiebatur. Accidit eodem tempore, quod rex in eodem castello pernoctabat, pater vero ad eum accessit et ait: O fili, miserere patri tuo seni, qui te genuit et omnia dedit! In hoc

loco famem et sitim patior, jam sum in gravi infirmitate positus et haustus vini me confortaret. Ait rex: Ignoro si sunt vina in castro isto. Ait ille: Imo fili quinque dolia vini sunt in castro et sine scitu vestro senescallus hujus castri non audet perforare ea et mihi haustum dare; rogo fili, des mihi de primo dolio. Ait rex: Non faciam quia mustum est nec valet pro senibus. At ille dixit: Des mihi ergo de secundo dolio! Qui ait: Hoc non faciam; hoc pro corpore meo custodiam et pro juvenibus qui mecum sunt. At ille: Des ergo mihi de tertio! Qui ait: Non faciam quia vinum forte est et tu es debilis et infirmus; posset esse causa mortis tuæ. Ait ille: Des mihi de quarto dolio! Qui ait: Non faciam quia nimis vetus et acetosum est et non multum valet et præcipue pro complexione tua. Ait pater: Fili des ergo mihi de quinto dolio! At ille: Absit a me quod fæces sunt; satrapæ regni mihi imponerent quod te occidissem si fæces tibi dedissem. Pater hæc audiens ab eo tristis recessit, et statim occulte satrapis regni literam scripsit, quomodo filius ejus eum tractabat ut propter deum eum a tali miseria sublevarent. Satrapæ omnes ei compatiebantur, statim regem receperunt et patrem sicut prius regem constituerunt, filium suum in carcerem posuerunt, ubi propter miseriam defunctus est.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est dominus noster Jesus Christus, filius quilibet christianus, quem tenerrime diligit, quamdiu homo in puritate vitæ manet; omnia homini dedit quæ homo habet et ipse factus est pauper secundum quod testatur scriptura: Vulpes foveam habent etc. sed quotidie Christus famem et sitim patitur, hoc est in suis membris scilicet pauperibus et debilibus, unde scriptum est: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; et cum deus petit a nobis haustum vini de primo dolio, dolium id est pueritia nostra quam deus a nobis requirit ut ei serviamus in pueritia; puer vero malus respondit: Mustum est, hoc est puer sum, non possum jejunare, orare, in dei servitio vigilare. Demum deus a nobis requirit, ut demus ei de secundo dolio; respondit malus filius: Non possum dare juventutem meam deo serviendo, quod tunc mundus deridet me dicens: Ecce ille juvenis stultus homo non vult conversari cum hominibus, et sic juventutem meam mecum retinebo. Demum deus requirit a nobis de tertio dolio; respondit malus filius: Vinum forte est, hoc est jam sum in fortitudine mea; si pœnitentiam facerem, fortitudinem meam diminuerem, ad bella et ad hastiludia volo accedere et ea quæ mundi sunt exercere ac post fortitudinem pœnitentiam agere. Deus videns quod de istis tribus dictis doliis nihil potest habere, quærit de quarto dolio haustum vinum. Respondit malus

filius: Vinum nimis vetus et acetosum est, hoc est dictu jam sum senex, jam non possum jejunare, vigilare, quod natura mea est debilis. Demum deus quærit de quinto dolio unum haustum; respondet malus filius: Fæces sunt, hoc est dictu, heu mihi decrepitus sum, defecit salutare meum, dum bona potero facere non feci, modo sum impotens et talis sæpe cadit in desperationem, et sic moritur homo miser. Contra tales erit querimonia gravis et tunc in die judicii deus cum tota curia cœlesti sententiam dabit dicens: Ite maledicti etc. a quo nos liberare dignetur qui etc.

Cap. 73.

Avaritia multos excæcat.

Rex quidam erat in civitate romana, qui statuit quod quilibet cæcus ab imperatore omni anno centum solidos haberet. Accidit casus quod XXIII socii ad civitatem venerunt et quandam tabernam intrabant propter potationem. Isti enim per septem dies stabant bibendo et comedendo, deinde cum volebant cum tabernario computare, quidquid in pecunia haberent tabernario dederunt. At ille: Certe, carissimi, adhuc deficiunt centum solidi; amen dico vobis non exibitis, donec ultimum quadrantem mihi solveritis. Illi hoc audientes adinvicem dixerunt: Quid faciamus? Non habemus solvere. Ait unus: Dabo vobis sanum consilium: per imperatorem lex edita est, quod quicunque est cæcus, centum solidos de ejus thesauro obtinebit; ponamus inter nos sortes, et supra quem sors cadit, ejus oculos eruamus et tunc ille ad palatium poterit accedere et centum solidos obtinere et nos omnes quittare. At illi: Optimum est consilium. Inter se miserunt sortem, et super illum qui consilium dederat cecidit, statim excæcabant eum et duxerunt eum ad palatium; pulsabant ad januam, janitor causam pulsationis quæsivit; at illi: Ecce est unus cæcus, qui beneficium legis petit. Ait janitor: Senescallo hoc dicam. Accessit ad senescallum et ait: Stat unus cæcus ad portam, qui beneficium legis petit. At ille: Vadam ad illum et eum videbo. Cum autem cæcum vidisset, eum intime respexit; quem cum considerasset, ait ei: Carissime, quid petis? Et ille: Centum solidos secundum legem. Qui ait: Amen dico tibi, hesterna die vidi te in taberna et duos oculos satis claros habentem; tu male legem intelligis. Lex est edita quod quicunque fuerit ex infirmitate vel ex casu aliquo cæcus, contra quem casum non poterit se defendere, talis beneficium legis obtinebit, sed tu voluntarie delevisti oculos tuos et in taberna bibisti et consilium dedisti

ut cæcatus esses, quære ergo alibi solatium, quod nullum obulum obtinebis. Ille vero hoc audiens cum confusione recessit.

Moralisatio. Carissimi, talis est lex Dei, quod quicunque ignorater aut ex infirmitate peccaverit, aut tentatione diabolica, si contritus et confessus fuerit (juxta illud, in quacunque hora peccator) deus sibi remittebit, quilibet peccator in quantum peccator est cæcus. Si vero aliquis ex pura malitia sine causa peccaverit, et postea desperationem inciderit vix aut nunquam ei remittetur. Tabernarius est diabolus qui omnes tales ad tabernam infernalem recipit qui sic descendunt, et ideo studeamus etc.

Cap. 74.

De prospectione et providentia.

Erat quidam rex, qui filium tantum unicum habebat, quem tenerrime dilexit. Rex iste unum pomum aureum fieri fecit in sumptibus magnis; pomo fabricato rex usque ad mortem infirmabatur, vocavit filium suum et ait: Carissime, non potero de ista infirmitate evadere, sub benedictione mea post meum decessum vade per regna et castra et pomum aureum quod feci tolle tecum, et quem magis stultum inveneris, pomum istud ex parte mea dabis. Filius vero fideliter adimplere promisit, rex vero vertebat se ad parietem et emisit spiritum, filius vero satis honorifice eum tradidit sepulturæ. Post sepulturam statim pomum accepit et per diversa regna et castra ambulavit, multos stultos invenit et vidit, tamen nulli eorum pomum dedit. Deinde perrexit ad quoddam regnum et ad civitatem principalem illius regni accessit, per medium civitatis regem equitantem cum magno apparatu vidit, conditiones illius regni a quibusdam civibus quæsivit, at illi dixerunt ei: Consuetudo illius regni est talis, quod nunquam rex inter nos regnabit nisi uno anno; finito anno in exilium ponetur, ubi mala morte morietur. Filius regis hæc audiens intra se cogitabat: Jam inveni quem diu quæsivi, accessit ad regem et flexis genibus eum salutavit et ait: Ave rex! pater meus defunctus est, istud pomum aureum in testamentum vobis legavit. Rex vero pomum accepit et ait ei: Carissime, quomodo potest hoc esse? Rex nunquam me vidit nec aliquid boni patri tuo feci; quare ergo tam pretiosum jocale mihi dedit? Ait ille: Domine mi rex, pater meus non plus vobis quam alteri pomum legavit, sed sub benedictione sua mihi præcepit, majori stulto dare, quem potero invenire, et sine dubio circuivi multa regna et castra et non inveni tam magnum stultum et infatuatum, quam vos;

ideo ex præcepto patris mei vobis pomum dedi. Ait rex: Rogo ut mihi dicas, quare me tantum stultum reputas. At ille: Ecce domine, ostendam vobis clare. Est consuetudo illius regni tantum per annum regnare et in fine anni omni honore et divitiis privari et in exilium poni, ubi mala morte moritur. Amen dico vobis, concludo ex dictis meis, quod in toto mundo non est tantus stultus, sicut vos, quia tam breve tempus regnare debetis et post hoc tam miserabiliter vitam finire. Respondit rex: Sine dubio omnia vera sunt, quæ modo mihi dixisti, et ideo dum adhuc fuero in mea potestate, in præsenti anno bona infinita mittam ante me in exilium, ut dum ibi venero de bonis illis vivam quam diu vixero. Et sic factum est; in fine anni regno est privatus et in exilium positus, ibi per multos annos de bonis illis vixit et vitam in pace finivit.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est deus, qui legavit pomum aureum stultis. Per pomum rotundum intelligitur mundus iste, quem deus dat fatuis, qui magis mundum et ea quæ in mundo sunt appetunt quam deum. Rex, qui per unum annum regnavit, potest dici quilibet homo in hoc mundo existens, qui, licet centum annis vivat est tamen quasi una hora respectu vitæ futuræ, et tamen non desistit miser homo die ac nocte laborare et post mortem in exilium i. e. in infernum poni, si cum peccato mortali decedat, ubi mala infinita inveniet. Et pauci sunt, qui de isto exilio cogitant. Faciamus ergo sicut fecit ille rex; dum sumus in nostra potestate in hac vita, ante nos mittamus opera misericordiæ, eleemosynas largas, perpetrare orationes et jejunia facere, et post hanc vitam paradisum poterimus intrare et sine dubio ubi inveniemus opera nostra meritoria, quæ fecimus in hac vita, et sic regnabimus ibi cum gloria. Ad quam etc.

Cap. 75.

De cura mundi non sectanda.

Olim erat quidam rex qui tres filias pulchras habebat, quas tribus ducibus maritavit. Omnes illi tres duces eodem anno mortui sunt. Rex hoc audiens volebat filias suas iterato maritare et vocavit primam filiam et ait: Carissima, vir tuus mortuus est, dabo te alteri viro. At illa: Nullo modo hoc attentabo, et hæc est ratio mea: si deberem alterum virum accipere, oportet ut eum tantum diligerem sicut primum virum, aut plus aut minus diligerem; hoc non potest stare, quia primus virginitatem habebat, ergo non tantum debeo eum diligere; si vero plus, hoc esset majus malum; si vero minus, non

esset vera dilectio inter nos; quare concludo, quod nullo modo volo alium virum accipere. Rex hoc audiens vocavit aliam et ait: Carissima, vir tuus defunctus est, copulabo te alteri viro. At illa: Domine, nullo modo hoc attentabo, quod si virum alium acciperem, reciperem eum aut propter divitias aut fortitudinem aut pulchritudinem; non propter divitias, quia abundo; non propter fortitudinem, quia amicos habeo qui me defendent; non propter pulchritudinem, quia mihi videbatur quod vir meus omnium erat pulchrior in universo mundo; quare concludo, quod nullo modo virum alium accipere volo. Rex hoc audiens vocavit tertiam filiam et ait: Carissima, vir tuus mortuus est, et volo te alteri viro copulari. Ait illa: Nullo modo hoc attentare volo, quia si alium virum acciperem, ille me recipiet aut propter pulchritudinem aut divitias; non propter pulchritudinem, quia non sum pulchra, ergo propter divitias me recipiet, et si propter divitias, nunquam posset esse verus amor, quia destructis divitiis amor transiret; concludo ergo, quod nullo modo alium virum accipere volo. Item doctores sacræ scripturæ dicunt, quod vir et mulier in matrimonio conjuncti sunt unum in corpore et duo in anima; ergo corpus viri mei est corpus meum et e converso; ad hæc omni die possum ad sepulcrum accedere viri mei et ibi ossa videre, ergo virum præsentem habeo, et ideo alium habere nolo. Rex hoc audiens amplius ut virum acciperent non instigabat.

Expositio. Carissimi, rex iste est deus ipse, tres filiæ anima intelligitur, in qua relucet operatio et imago trinitatis juxta illud Genes. II: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Imago vero trinitatis per peccatum primi parentis erat deturpata et tribus viris tradita, scilicet diabolo, mundo et carni. Si vero mortuus est diabolus per Christi passionem, noli amplius talem virum accipere, sed semper sub Christi protectione permanere cupias; si mundus mortuus est per paupertatem voluntariam, noli amplius alium virum accipere, sed permaneas sub Christi protectione; si vero mortua est caro per jejunium et carnis macerationem, noli amplius virum accipere, sed sub Christi protectione permaneas.

Vel aliter potest reduci. Rex iste est deus, tres filiæ tria genera hominum, scilicet potentes ac divites hujus mundi, sicut sunt reges ac mundi potentes, sapientes hujus mundi sicut sunt judices temporales et ecclesiastici viri religiosi, perfecti christiani, sicut sunt qui in omnibus divinis præceptis obediunt. Isti tres erant in baptismo tribus ducibus copulati scilicet patri per potentiam, filio per sapientiam, spiritui sancto per clementiam. Si ergo isti mortui sunt i. e. exstincti et ablati a te per peccatum tuum, nunquam alteri labores

copulari, sed cum omni diligentia fac opera misericordiæ, per quæ poteris ei conciliari, quod nunquam aliquem invenies, qui te tantum diligit. Unde est notandum, quod mulier accipit virum propter quatuor, quia aut propter divitias aut propter pulchritudinem aut fortitudinem aut sapientiam. Si vero vis virum accipere propter divitias, certe non invenies ita divitem sicut dominum nostrum Jesum Christum, qui dominus cœli et terræ est; ergo eum teneas et non alium. Si vero velis virum accipere propter fortitudinem, curre ad dominum nostrum Jesum Christum, qui est fortior omni homine, fortis in cœlo et in terra; in inferno non est aliquis, qui potest ei resistere; ergo illum in virum debes accipere et non alium. Si vero aliquem vis accipere propter pulchritudinem, curre ad dominum nostrum Jesum Christum qui est pulchrior omni homine, unde psal.: speciosus forma præ filiis hominum, ergo illum debes habere et non alium, si vero aliquem vis accipere propter sapientiam, curre ad dominum nostrum Jesum Christum, qui est pulchrior omni homine, unde ps.: Speciosus forma præ filiis hominum. Ergo illum debes habere et non alium. Si vero aliquem vis accipere propter sapientiam, curre ad dominum nostrum Jesum Christum, quia ipse est sapientior omni homine, unde apostolus: O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ dei etc. Ergo illum virum accipere debes et non alium.

Cap. 76.

De concordia.

Accidit in quadam civitate, quod erant duo medici optimi in omni scientia medicinali imbuti, qui omnes ad eos venientes de quacunque infirmitate curabant, ita quod penitus populus ignorabat, quis eorum esset melior. Infra tempus erat inter eos contentio, quis eorum esset major atque perfectior. Ait unus alteri: Carissime, non sit inter nos discordia nec invidia neque contentio, quis nostrum est perfectior, sed unum faciamus, et quicunque ex nobis defecerit, sit ille servus alterius. Ait alter: Dic mihi, quod est illud! Et ille: Ego duos oculos tuos de capite eruam sine gravamine et super mensam tuam ponam, et quando tibi placet, in capite tuo sine læsione tua reponam; si vero mecum hoc idem per omnia feceris, æquales ambo simus et quilibet alterum nutriat sicut fratrem suum; si vero aliquis defecerit, servus alterius erit. At ille: Optima probatio, per omnia mihi bene placet. Ille vero qui quæstionem præposuit, accepit instrumenta sua et infra oculos alius cum quodam unguento nobilissimo

interius et exterius linivit, et cum instrumento suo duos oculos socii extraxit et super mensam posuit, et ait socio suo: Carissime, quomodo tibi videtur? Et ille: Unum scio, quod nihil video, quia oculis careo et tamen nullam læsionem sentio, sed modo vellem, quod oculos meos sicut mihi promisisti restitueres. Et ille: Libenter attentabo. Unguentem accepit et oculos interius et exterius sicut prius inunxit et oculos suos reposuit. Et ille: Carissime, quid jam tibi videtur? Et ille: Optime, quod in extrahendo nullam læsionem sensi. Tunc dixit ille: Jam restat, ut mihi simili modo ministres. Qui ait: Presto sum. Accepit instrumenta sua et ungenta sua sicut ille fecerat, intus et exterius linivit, deinde oculos ejus extraxit et super mensam posuit et ait: Carissime, quid tibi videtur? Et ille: Mihi videtur, quod oculos perdidi, tamen nullum dolorem sensi, sed vellem libentissime quod oculos rehaberem. Cum vero ille parasset instrumenta sua ut oculos restitueret, fenestra domus erat aperta et quidam corvus intravit, vidensque oculos in mensa, subito unum oculum rapuit et avolavit. Medicus hoc percipiens est contristatus totaliter, et ait intra se: Nisi oculos socio meo restituam, servus ejus ero. Respiciens a longe vidensque capram, oculum extraxit et in loco oculi ablati reposuit. Hoc facto dixit socio suo: Carissime, quid tibi videtur? Qui ait: Nec in extrahendo nec in reponendo aliquam læsionem sensi, sed unus ex oculis meis semper sursum ad arbores respicit. Et ille: Ex quo ita perfecte medicinam meam tecum feci, sicut et tu, modo ambo sumus æquales, nec inter nos sit contentio! Et sic ambo post hoc adinvicem sine contentione vixerunt.

Moralisatio. Carissimi, per istos duos medicos intelligere debemus legem novam et antiquam, quæ ambæ curabant quantum ad salutem animæ. Facta est contentio et adhuc est inter Christianos et Judæos, quæ lex est melior et perfectior. Ad probandum veritatem quilibet oculos alius extraxit, hoc est dictu: in lege antiqua multa sunt a quibus deus extraxit sicut decem præcepta in antiqua lege, sicut salvator ait: Non veni solvere legem sed implere; ut si aliquis hominum intendat deum videre, oportet ut ad novam legem recurrat et tunicam baptismi se induat. Corvus venit et rapuit unum oculum Judæorum, ut non possent veritatem videre, et in loco hujus ponebat oculum capræ scilicet quasdam ceremonias, quibus utuntur, per quas credunt deum videre, et ibunt ad tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium.

Cap. 77.

Quod ad divitias non est anhelandum.

Erat quidam rex, qui duas filias habebat; una erat pulcherrima et omnibus amorosa, sed altera nigra et omnibus odiosa. Rex videns filias suas, unam pulchram, aliam nigram, eis nomina imposuit; pulchræ filiæ imposuit nomen scilicet Rosimunda, nigræ filiæ nomen Gratiaplena. Deinde præconem per totum regnum misit promulgando, quod omnes venirent, et filias suas in matrimonium daret illis, qui ad hoc digni essent; quicunque vero pulchram filiam in uxorem accipiet, nihil cum ea nisi pulchritudinem obtineret; sed qui nigram filiam in uxorem acciperet, totum regnum post ejus decessum cum ea obtineret. Multi hoc audientes ad curiam regis venerunt, et cum duas filias viderent, omnes ad pulchram filiam currebant et eam in uxorem petebant. Gratiaplena nigra filia amare flevit. Ait ei rex: O filia, ob quam rem affligitur anima tua? Ait illa: O domine, nullus est, qui me visitet, nec mecum loquitur; omnes ad sororem meam currunt et omnes me despiciunt. Ait pater: O filia, ignoras, quod omnia mea tua sunt, et qui te desponsaverit, regnum meum obtinebit. Illa sic confortata a fletu cessabat. Post hæc venit quidam rex ad curiam regis, et cum vidisset pulchritudinem Rosimundæ, eam in uxorem petiit tantum cum sua pulchritudine. Rex pater puellam ei concessit et cum magno gaudio eam desponsavit. Stabat altera filia per multos annos, antequam esset desponsata; tandem quidam dux nobilis sed pauper inter se cogitabat: Licet puella turpis fuerit, tamen quicunque eam habuerit, regnum cum ea obtinebit. Perrexit ad regem et eam in uxorem petiit. Rex vero gavisus est, eam desponsavit cum magno gaudio et post mortem regis totum regnum cum ea obtinuit.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est dominus noster Jesus Christus, filia Rosimunda tam pulchra est mundus iste, unde pauci inveniuntur, qui non mudum super omnia appetunt, tandem nihil cum ea obtinebunt nisi suam pulchritudinem hoc est vanitatem et divitias; et sicut pulchritudo per infirmitatem, famem et senectutem anihilatur, ita divitiæ hujus mundi transeunt per mortem et sæpe ante, et ideo fatui sunt qui mundum desponsant. Altera filia scilicet Gratiaplena, quæ est turpis et omnibus odiosa, certe est paupertas, quam miro modo deus dilexit, et ideo vocatur Gratiaplena, quia per eam devenitur ad divitias; veruntamen pauci sunt, qui eam desponsare volunt, imo est omnibus odiosa; tamen qui eam desponsavit, vitam æternam habebit.

Cap. 78.

De constantia amoris mutui.

Rex quidam pulchram filiam habebat, quæ erat duci nobilissimo desponsata, cum quo pulchram prolem habebat, et maxima inter eos erat dilectio. Dux vero moritur; de cujus morte factus est planctus magnus in civitate. Domina vero satis honorifice eum sepulturæ tradidit. Post mortem amici ejus ad eam venerunt, ut secundo viro nuberet, allegantes sibi ætatem integram ac pulchritudinem suam. Domina vero respondit: Virum alterum habere nolo, quia vir meus qui mortuus est erat tam bonus dulcis ac dives per omnia, qui me ultra modum dilexit, et propter nimiam dilectionem inter nos ejus mors tantum me affligit, quod ut credo vivere non potero; si vero talem virum ponamus quod invenirem, possibile esset ei ante me mori, et tunc esset mihi gravis afflictio; jam habeo, quod nunquam alium virum capere volo; si malum virum acciperem, esset mihi grave, post bonum habere pessimum.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est deus, filia anima ad dei similitudinem creata, quæ erat nobilissimo viro scilicet domino nostro Jesu Christo per virtutem baptismi desponsata, qui summa dilectione nos dilexit, quod in cruce pro nobis mortuus est; ergo virum alium pro illo non accipias i. e. alium nunquam tantum diligas et sic cum eo regnabis.

Cap. 79.

Quod quis nescit, præsumere non audebit.

Erat quidam rex, qui miro modo duos caniculos dilexerat die ac nocte bene latrentes, intantum quod in gremio suo eos quiescere permisit et ibidem pavit; illi vero sic consueti erant in gremio ejus dormire et comedere, quod vix alibi esse volebant et quandoque circa collum regis pedes ponebant, et sic rex solatium magnum et ludum cum eis habebat. Erat tunc quidam asinus, qui cum omnia ista vidisset, in corde suo cogitabat: Si ego cantarem et ante regem saltarem et circa collum domini mei pedes ponerem, rex mihi daret omnia fercula ad comedendum et gremium suum ad quiescendum. His cogitatis extra stabulum saltavit, aulam intravit et coram rege cantare cepit, deinde hincinde saltavit et post hoc ad regem cucurrit et pedes circa collum ejus posuit. Servi hoc videntes credebant asinum in furia conversum, acceperunt eum et egregie verberaverunt et sic ad stabulum reduxerunt.

Expositio. Carissimi, rex iste est dominus noster Jesus Christus, caniculi bene latrantes sunt prædicatores, qui verbum divinum bene pronunciant, unde digni sunt in gremio cœlesti quiescere. Asinus potest dici, qui præsumit officium prædicatoris assumere, verbum dei pronuntiare, tamen litteraturam nec graciam ad hoc habet, et ideo timendum est, ne talis sit verberatus i. e. a domino et populo repulsus.

Cap. 80.

De versutia diaboli et quomodo judicia dei sunt occulta.

Erat quidam eremita, qui in quadam spelunca jacebat et diebus et noctibus devote deo serviebat. Juxta cellam suam erat quidam pastor ovium, qui pascebat oves. Accidit uno die, quod pastor erat somno oppressus; ipso dormiente quidam latro venit et omnes oves secum abstulit. Superveniens dominus ovium a pastore quærit, ubi oves erant; ille vero incepit jurare quod oves perdidit; sed quomodo, penitus ignorabat. Dominus hoc audiens furore repletus ipsum occidit. Eremita hoc videns ait in corde suo: O deus, ecce homo iste culpam innocenti dedit et ipsum occidit; ex quo ergo permittis talia fieri, ad mundum vadam et sicut ceteri vitam ducam. His cogitatis heremitarium dimisit et ad mundum perrexit; sed deus ipsum perdere nolebat, angelum in forma hominis ad eum misit, ut ei se associaret; quem cum angelus in via euntem invenisset, ait ei: Carissime, quo vadis? At ille: Ad istam civitatem ante me. Angelus dixit ei: Ego in via ero comes tuus, quia angelus dei sum et ad te veni, ut simus socii in hac via. Ambo ambulabant versus civitatem; cum autem intrassent, hospitium a quodam milite propter dei amorem petebant, miles vero satis gratanter eos recepit et honorifice ac splendide cum bona devotione in omnibus ministravit. Miles iste tantum unicum filium habebat in cunabulis jacentem, quem multum dilexerat. Cœna facta camera est aperta et lecti satis honorifice ornati pro angelo et eremita. Media vero nocte surrexit angelus et puerum in cunabulis strangulavit. Hoc videns eremita intra se cogitavit: Numquid iste erat angelus dei bonus? Miles omnia necessaria propter dei amorem ei dedit, et non habuit nisi unicum filium innocentem et iste eum occidit! Sed tamen non audebat ei quidquam dicere. Mane ambo surrexerunt et ad civitatem aliam perrexerunt, in qua in domo unius civis satis honorifice erant recepti et splendide ministrati. Civis iste quendam aureum cyphum, quem miro modo dilexit, habuit, in quo ultra modum gloriabatur. Media nocte surrexit angelus et furatus

est cyphum illum. Eremita hoc videns intra se cogitabat: Iste malus angelus est ut credo, iste civis nobis optime fecit et iste est furatus cyphum suum! Tamen nihil ei loquebatur, quia timuit eum. Mane vero surrexerunt et per viam ambulabant, donec ad quandam aquam pervenerunt, ultra quam erat pons. Pontem ascenderunt et quidam pauper eis obviabat. Ait angelus: Carissime, monstra nobis viam versus talem civitatem. Pauper vertit se et cum digito viam versus civitatem ostendit. Cum vero vertisset, se angelus subito per scapulas eum accepit et ultra pontem projecit et submersus est pauper. Quod cum eremita vidisset, ait in corde suo: Jam scio, quod iste diabolus est, non angelus dei bonus; quid mali fecit pauper iste? Et tamen eum occidit. Ab illo tempore cogitabat ab eo recedere, verumtamen timens nihil loquebatur ei. Cum vero circa horam vespertinam ad civitatem pervenissent, ad domum cujusdam divitis accesserunt et hospitium pro dei amore petebant; ille vero simpliciter eis negavit. Ait angelus dei: Amore dei saltem tectum domus nobis concedatis, ne lupi aut malæ bestiæ hic nos devorent. Ille ait: Ecce domus, ubi porci mei jacent; si placet vobis, cum eis jacere potestis; sin autem, recedatis, quia alium locum vobis non dabo. Ait ei angelus: Si aliud non potest fieri, cum porcis vestris jacebimus. Et sic factum est. Mane vero surrexerunt, angelus hospitem vocavit et ait: Carissime, do tibi cyphum istum. Et dedit ei cyphum, quem furatus fuerat ab illo cive. Eremita hoc videns ait intra se: Jam sum expertus, quod iste est diabolus; bonus homo erat, qui cum omni devotione nos recepit, et furatus est ei cyphum et dedit isti pessimo, qui negavit nobis hospitium. Ait angelo: Nolo vobiscum amplius exspectare; ad deum vos recommendo. Angelus dixit ei: Audito me et tunc recedito! Primo, quando eras in eremitario, dominus ovium pastorem injuste occidit! Scias, quod pastor ille pro tunc mortem non meruit, sed alias commisit, quare mori non deberet; tunc temporis inventus est sine peccato; deus ergo permisit eum occidi, ut pœnam post mortem evaderet propter peccatum, quod alias commisit, pro quo nunquam pœnitentiam faceret. Latro vero qui evasit cum ovibus pœnam æternam sustinebit, et dominus ovium qui pastorem occidit vitam suam emendabit per largas eleemosynas et opera misericordiæ, quæ ignoranter fecit. Demum filium illius militis de nocte strangulavi, qui nobis bonum hospitium dedit. Scias, quod antequam puer ille natus erat, miles optimus eleemosynarius erat et multa opera misericordiæ fecit, sed postquam natus est puer, factus est parcus, cupidus et omnia collegit, ut puerum divitem faciat, sic quod erat causa perditionis ejus, et ideo puerum occidi, et jam, sicut prius, miles factus est bonus christianus.

deinde cyphum illius civis, qui nos cum devotione recepit, furatus fui; scias tu, quod antequam scyphus ille erat fabricatus, non erat sobrior eo in tota terra, sed tantum de cypho gaudebat post fabricationem, quod omni die tantum de eo bibebat, quod bis aut ter omni die fuit inebriatus, et ideo cyphum abstuli et factus est sobrius sicut prius. Deinde pauperem in aquam projeci; scias, quod pauper iste bonus christianus fuit, sed si ad dimidium miliare ambulasset, alium in peccato mortali occidisset, sed jam est salvatus et regnat in cœlesti gloria. Deinde cyphum illius civis dedi illi, qui nobis hospitium negavit; scias, quod nihil in terra fit sine causa; ipse nobis concessit domum porcorum et ideo cyphum ei dedi, et post vitam istam in inferno regnabit. Pone ergo amodo custodiam ori tuo et deo non detrahas; ipse enim omnia novit. Eremita hoc audiens cecidit ad pedes angeli et veniam petiit et ad eremitarium perrexit et factus est bonus christianus.

Cap. 81.

De mirabili divina dispensatione et ortu beati Gregorii papæ.

Marcus regnavit valde qui tantum unicum filium et filiam habebat, quos multum dilexit, cum vero ad senectutem pervenisset, infirmitas gravis eum apprehendit; qui cum vidisset, quod vivere non posset, fecit vocari omnes satrapas imperii et ait: Carissimi, scire debetis, quod hodie spiritum deo debeo reddere; non habeo tantum periculum in anima mea, sicut de filia mea, quod eam matrimonio non tradidi, et ideo tu fili, qui es hæres meus, tibi præcipio sub mea benedictione, ut eam maritari facias tam honorifice, sicut decet, et medio tempore sicut te ipsum omni die eam in honore habeas. His dictis vertit se ad parietem et spiritum emisit. De cujus morte planctus magnus factus est in civitate, satis honorifice eum sepulturæ tradiderunt, post hoc vero filius satis prudenter incepit regnare et sororem suam in omni honore habere, quam miro modo dilexit intantum, quod omni die, licet nobiles secum essent in mensa, in una cathedra ex opposito ejus sedebat et adinvicem comedebant et in eadem camera in lectis separatis jacebant. Accidit una nocte, quod tentatio gravis eum accepit, quod ei videbatur spiritum emittere, nisi cum sorore sua libidinem suam posset implere. De lecto surrexit et ad sororem suam perrexit, quam dormientem invenit et excitavit eam. Illa sic excitata ait: O domine, ad quid venisti ista hora? Qui respondit: Nisi tecum dormiam, amitto vitam meam. Quæ ait: Absit a me tale peccatum perpetrare! Ad memoriam reducito, quomodo pater noster te oneravit sub sua benedictione

mortem suam, quod me haberes in omni honore! Si tale peccatum trares, offensionem dei non evades nec hominum confusionem. Ait Quomodocunque fiat, voluntatem meam adimplebo. Dormivitque ea. Hoc facto ad proprium stratum rediit, puella vero amare flevit, ri nolebat, imperator vero quantum potuit solatium ei præbebat, modo magis eam dilexit. Post hoc vero circa dimidium annum illa thedra sedebat in mensa, frater ejus eam intime adspexit et ait: sima, quid tibi est? Jam facies tua est mutata in colore et oculi tui gredinem mutantur. Ait illa: Mirum non est, quia sum impregnata r consequens confusa. Ille hoc audiens ultra quam credi potest ristatus est flevitque amare et ait: Pereat dies in quo natus sum! l faciam ego, penitus ignoro. Quæ ait: Domine, fac consilium meum et post factum non pœnitebis; nos non sumus primi, qui graviter deum offenderunt. Hic [illegible] est unus miles senex consiliarius patris nostri, de cujus co[illegible] pater noster sæpe est operatus. Vocetur ille et sub sigillo confessionis omnia ei dicemus! Ille vero utile consilium dabit nobis, quod satisfaciemus deo et opprobrium mundanum evadere poterimus. Ait rex: Mihi bene placet, sed primo studeamus deo reconciliari! Confessi sunt ambo corde puro cum contritione magna. Facta confessione miserunt pro milite et totum private cum fletu retulerunt. At ille: Domine, ex quo estis deo reconciliati, audite consilium meum, ut confusionem mundanam evadere possitis! Pro peccatis vestris ac patris vestri terram sanctam debetis visitare et tali die omnes satrapas regni vestri in præsentia vestra convocare, deinde hæc verba per ordinem dicere: Carissimi, terram sanctam visitare volo; nullum heredem præter sororem unam habeo sicut scitis, cui in absentia mea sicut corpori meo debetis obedire et post hoc mihi coram omnibus dicere, et tibi, carissime, dico sub pœna vitæ tuæ, ut sororis meæ custodiam habeas. Ego vero manucapio tam private et secure custodire eam, quod nullus tempore partus nec ante nec post de casu vestro sciet, nisi tantum cum uxore mea, quæ debet ei ministrare cum manibus propriis. Ait rex: Bonum est consilium; omnia adimplebo, quæ mihi dicitis. Statim fecit omnes satrapas convocari et omnia a principio usque ad finem sicut superius est scriptum consilium militis adimplevit. Cum omnia verba consumasset, vale omnibus fecit, ad terram sanctam perrexit, miles vero dominam sororem regis ad castrum suum duxit. Cum autem uxor militis hoc vidisset, domino suo occurrit et ait: Domine mi reverende, qualis domina ista est? Qui ait: Domina nostra soror regis est; jura mihi per deum omnipotentem sub pœna vitæ tuæ, ut quidquid tibi dixero omnia habebis in secreto. Ait illa: Domine, presto

sum. Cum autem jurasset, ait miles: Domina nostra per dominum nostrum regem est imprægnata; quare tibi præcipio, ut nulla creatura ministret ei, excepta tua persona, ita ut principium medium et finis omnia sint secreta. Ait illa: Domine, omnia ista fideliter adimplebo. Domina ad cameram privatam est introducta et satis splendide ei ministrabatur. Cum tempus pariendi esset, filium formosum peperit. Miles cum hoc audisset, ait dominæ: O domina carissima, bonum est ac utile sacerdotem vocari, ut puerum baptizet. Quæ ait: Deo meo voveo, quod ille, qui est inter fratrem et sororem genitus, per me baptismum non habebit. Ait miles: Scitis, grave peccatum est inter vos et dominum meum commissum; nolite propter hoc animam pueri occidere. Ait domina: Votum vovi, quod firmiter tenebo; sed tibi præcipio, ut dolium vacuum mihi apportes. Qui ait: Presto sum. Dolium secum ad cameram portari fecit, ille vero decenter puerum in cunabulo reclinavit et in parvis tabellis hæc, quæ sequuntur scripsit: Carissimi, scire debetis, quod puer iste non est baptizatus, quod inter fratrem et sororem est genitus; ideo propter dei amorem baptizetur, et sub capite ejus pondus thesauri invenietis, cum quo ipsum nutriri faciatis, ad pedes argenti pondus, cum quo studium exerceat. Cum omnia ista erant scripta, tabellas in cunabulo sub latere pueri ponebat, aurum sub capite, argentum ad pedes; deinde cum pannis sericis ac deauratis cunabulum cooperuit. Hoc facto militi præcepit, ut cunabulum infra dolium poneret et in mari projiceret, ut nataret ubicunque deus disponeret. Miles vero omnia adimplevit. Cum dolium projectum in mari fuisset, miles tamdiu juxta mare stetit, quamdiu dolium natare videret; hoc facto ad dominam rediit. Sed cum juxta castrum suum venisset, nuncius regis de terra sancta ei obviabat et ait ei: Carissime, unde venis? Qui ait: De terra sancta venio. Ait ille: Quales rumores habetis? Et ille: Dominus meus rex mortuus est et corpus suum ad unum de castris suis ductum est. Miles hoc audiens flevit amare. Uxor ejus superveniens cum de morte imperatoris audisset, ultra quam credi potest dolebat. Miles surrexit et ait uxori suæ: Nolito flere, ne domina nostra percipiat! Nihil ei dicemus, quousque a puerperio resurgat. Miles post hoc sermones ad dominam intravit. Uxor ejus sequebatur eum. Cum domina eos respexisset et eos desolatos perpendit, ait: Carissimi, propter quam causam estis tristes? Ad illa domina: Non sumus tristes sed potius gaudentes, quod liberata estis a gravi periculo in quo fuistis. At illa: Ita non est! Indicate mihi, nolite aliquid celare a me sive bonum sive malum. Ait miles: Quidam nuntius de terra sancta venit de domino nostro, fratre vestro, qui narrat rumores. Quæ ait: Vocetur nuntius! Qui

cum venisset, ait ei domina: Quomodo est de domino meo? Qui respondit: Dominus vester mortuus est et ejus corpus de terra sancta translatum est ad castrum suum, ut cum patre vestro sepeliretur. Domina cum hoc audisset, ad terram cecidit: Miles videns dolorem dominæ, in terram jacuit, uxor militis cum eis ac nuntius; omnes isti per magnum spatium jacebant, et in eis præ magno dolore non est vox neque sensus. Domina vero post magnum spatium surrexit, crines capitis traxit, faciem usque ad sanguinis effusionem dilaceravit et alta voce clamavit: Heu mihi, pereat dies, in qua concepta eram! Nox illa non numeretur, in qua sum nata! Quantas habeo iniquitates etc. In me sunt completa! Periit spes mea, fortitudo mea, frater meus unicus, dimidium animæ meæ. Quid faciam ego de cetero, penitus ignoro. Surrexit miles et ait: O domina carissima, audite me! Si propter dolorem te ipsam necaveris, totum regnum peribit. Tu sola es derelicta et jure hæreditario regnum tibi debetur; si ergo te ipsam occideris, regnum ac prædium ad extraneos convolabit. Surgamus ergo et ad locum ubi corpus jacet accedamus et honorifice eum sepeliemus, deinde studeamus quomodo imperium regnare debemus. Illa vero ex verbis militis confortata surrexit et cum honesta comitiva ad castrum fratris sui accessit. Cum autem intrasset, corpus regis super feretrum invenit, super corpus cecidit, a planta pedis usque ad verticem osculata est eum. Milites videntes nimium dolorem in ipsa de funere dominam retraxerunt et in cameram introduxerunt et corpus satis honorifice sepulturæ tradiderunt. Post hoc quidam dux Burgundiæ solennes nuntios ad eam misit, ut ei in uxorem consentiret; illa vero statim respondit: Quamdiu vixero, virum non habebo. Nuntii hoc audientes voluntatem ejus domino nuntiabant; dux hoc audiens indignatus est contra eam et ait: Si eam habuissem, rex illius regni fuissem, sed ex quo me vili pendebat, de regno suo parum gaudebit. Exercitum collegit, regnum intravit, comburebat et occidit et infinita mala perpetrabat, et victoriam in omni bello obtinuit. Domina ad quandam civitatem bene muratam fugam petiit, in qua erat castrum fortissimum et in ea per multos annos permansit. Jam ad puerum projectum in mari redeamus. Dolium cum puero per multa regna transiit, quousque juxta cœnobium monachorum pervenit et hoc feria sexta. Eodem die abbas illius monasterii ad litus maris perrexit et piscatoribus suis ait: Carissimi, estote parati ad piscandum! Illi vero retia sua parabant; dum vero præpararent, dolium cum fluctibus maris ad terram pervenit. Ait abbas servis suis: Ecce dolium! Aperiatis et videatis, quid ibi lateat! Illi vero dolium aperuerunt et ecce puer parvus pannis pretiosis involutus abbatem inspexit

et risit, abbas vero totaliter de visu contristratus ait: O deus meus, quid est hoc, quod invenimus puerum in cunabulo? Propriis manibus eum levavit, tabellas sub latere ejus invenit, quas mater ibidem posuit et legit, quod puer ille inter fratrem et sororem esset genitus nec baptizatus, sed propter dei amorem petitur, ut sacramentum baptismi ei daret, deinde cum auro quod ad caput ejus inveniret nutriretur, et ad pedes argentum per quod studium exerceret. Abbas cum hæc legisset et cunabulum pannis pretiosis ornatum vidisset, intellexit quod puer de nobili sanguine esset, statim eum baptizari fecit et ei proprium nomen imposuit, scilicet Gregorius et puerum ad nutriendum uni piscatori tradidit, dansque ei pondus quod invenit; puer vero crescebat et ab omnibus est dilectus, quousque septem annos in ætate complevisset. Abbas statim ad studium eum ordinavit, in quo miro modo profecit, ita quod omnes monachi cœnobii tamquam suum monachum dilexerunt, puer vero infra pauca tempora omnes in scientia transcendit. Accidit quodam die, ut filius piscatoris cum pila quadam luderet et dictum piscatorem patrem suum esse credidit, a casu filium piscatoris cum pila læsit, ille sic percussus amare flevit, domum perrexit et matri conquestus est dicens: Gregorius frater meus me percussit. Mater hæc audiens foras exivit et dure arguebat eum dicens: O Gregori, qua audacia filium meum percussisti, cum tamen qualis es et unde ignoramus. At ille: O mater dulcissima, nonne filius tuus sum ego? Quare talia mihi improperas? Quare ait: Filius meus non es et unde sis ignoro, sed unum scio, quod in quodam die in dolio inventus fuisti; abbas te mihi ad nutriendum dedit. Ille cum hoc audisset, flevit amare, ad abbatem perrexit et ait: O domine mi, diu vobiscum steti, credebam me filium piscatoris fuisse; cum tamen non sum, et ideo parentes meos ignoro, si placet, me ad militiam promoveatis, quia hic non amplius manebo. Ait abbas: O fili, noli talia cogitare! Omnes monachi in domo existentes miro modo te diligunt intantum, quod post discessum meum in abbatem te promovebunt. At ille: Domine, sine dubio non exspectabo, donec ad parentes meos pervenero. Abbas hæc audiens ad thesaurum suum accessit et tabellas, quas in cunabulo suo invenit, ei ostendit dicens: Nunc, fili, lege interius et qualis es clare invenies. Cum vero legisset, quod inter fratrem et sororem esset genitus, ad terram cecidit et ait: Heu mihi, quales parentes habeo? Ad terram sanctam pergam et pro peccatis parentum pugnabo et ibi vitam finiam. Peto ergo domine instanter, ut me ad militiam promoveatis. Quod et fecit. Cum autem licentiam de recessu recepit, factus est planctus magnus in cœnobio, dolor in populo et in circuitu lamentatio, ad mare se

translulit et convenit cum nautis, ut eum ad terram sanctam ducerent. Cum vero navigassent, ventus erat eis oppositus et subito ducti sunt ad eandem civitatem, in qua erat mater ejus in castro; qualis erat civitas aut quod regnum penitus nautæ ignorabant. Cum autem civitatem miles intrasset, quidam civis ei occurrebat et ait ei: Domine, quo tenditis? Et ille: Hospicium quæro. Civis vero ad domum suam eum cum tota familia sua duxit et splendide eis ministravit. Cum vero in mensa sederent, dominus Gregorius hospiti dixit: Domine, qualis est civitas ista et quis dominus istius terræ? At ille: Carissime, unum virum valentem imperatorem habuimus, qui mortuus est in terra sancta, qui nullum heredem præter suam sororem post se reliquit; quidam dux eam in uxorem petiit, quem nullo modo copulari intendit; ille ex hoc indignatus totum regnum istud excepta civitate ista manu forti acquisivit. Ait miles: Numquid secretum cordis mei potero secure propalare? At ille: Domine, etiam, cum omni securitate. Qui ait: Miles sum per gladium; si placet, die crastina ad palatium pergas et cum senescallo sermonem de me facias, quod si salarium mihi dederit, pro justitia dominæ isto anno pugnabo. Ait civis: Non dubito, domine, quin de adventu tuo gaudebit toto corde; die crastina ad palatium pergam et finem hujus rei faciam. Mane surrexit, ad senescallum perrexit et de adventu ejus intimavit. Ille non modicum gaudens pro domino Gregorio nuntium destinavit. Cum eum vidisset, dominæ est præsentatus et multum commendatus. Quem cum vidisset, intime eum respexit; sed quod erat filius ejus penitus ignorabat; ipsa eum submersum a multis annis credidit, senescallus in præsentia dominæ eum conduxit, ut per integrum annum ei ministraret. Die crastina ad bellum se parat, adest dux in campo cum exercitu magno, dominus Gregorius bellum aggreditur, omnes penetravit, quousque ad ducem pervenit, quem in eodem loco occidit et caput ejus amputavit et victoriam obtinuit. Miles vero post hoc de die in diem proficiebat, fama ejus undique circuibat, sic quod antequam annus fuisset completus, totum regnum a manibus inimicorum acquisivit. Deinde ad senescallum venit et ait: Carissime, vobis constat, in quo statu vos inveni et ad quem statum duxi; rogo ergo, trade mihi salarium, quia tendo pergere ad alium regnum. Ait senescallus: Domine, plus meruisti, quam ex conventione tenemur tibi; ideo ad dominam nostram pergam, ut de statu ac mercede finem faciam. Cum autem ad dominam venisset, ait: O domina carissima, dicam vobis aliqua verba proficua, ex defectu capitis omnia mala sustinuimus; ideo bonum est virum accipere, per quem poterimus de cetero securi esse. Regnum vestrum in divitiis abundat, et ideo

virum propter divitias accipere non consulo; unde ignoro, ubi melius ad honorem vestrum et commodum totius populi poteritis virum accipere, quam dominum Gregorium. Illa vero solebat semper respondere: Voveo deo, quod nunquam copulabor viro. Sed ad verbum senescalli diem deliberationis constituit ad respondendum. Adest vero dies, cunctis audientibus domina dixit: Ex quo dominus Gregorius valide nos et regnum nostrum de manibus inimicorum liberavit, eum in virum accipiam. Hæc audientes gavisi sunt valde, diem nuptiarum constituit, ambo cum magno jubilo et consensu totius imperii in matrimonio sunt conjuncti, filius cum matre propria; sed quales essent, uterque ignorabat. Facta est inter eos dilectio magna. Accidit quadam die, quod dominus Gregorius ad venandum perrexit; ait quædam ancilla dominæ: O domina carissima, numquid dominum nostrum regem in aliquo offendistis? Quæ ait: In nullo; credo quod in mundo non inveniuntur duo ad invicem ligati in matrimonio, qui tantum se diligunt mutuo, sicut dominus et ego; sed dic mihi, carissima, quare protulisti talia verba? At illa: Omni die, quando ponitur mensa, dominus noster rex illam cameram privatam intrat lætus; sed cum exierit, lamentationes et fletus emittit; deinde faciem lavat; sed quare hoc fit, penitus ignoro. Domina cum hoc audisset, cameram illam sola intravit, de foramine in foramen intime respexit, donec ad illud foramen venit, in quo tabellæ erant, quas singulis diebus solebat legere, quomodo inter fratrem et sororem genitus esset; tunc amare flevit; illæ enim erant tabellæ, quæ in cunabulo suo erant inventæ. Domina vero cum tabellas invenisset, statim notitiam illarum habebat, aperuit, scripturam legit de manu propria, intra se cogitabat: Nunquam homo iste ad tabellas venisset, nisi filius meus esset. Incepit alta voce clamare ac dicere: Heu mihi, quod sum nata ac in mundo edita! Utinam in die conceptionis meæ mater mea fuisset exstincta! Cum esset in aula clamor, audientes milites dominæ ad dominam cucurrerunt cum ceteris et illam jacentem in terra invenerunt et per longum tempus circa eam steterunt, antequam verba ab ea habere potuerunt; deinde os aperuit et ait: Si diligitis vitam meam, statim dominum meum quærite. Milites hoc audientes statim equos ascenderunt et ad imperatorem equitabant et ei dixerunt: Domine, regina in periculo mortis jacet. Ille hoc audiens lusum dimisit et ad castrum perrexit, cameram, in qua domina jacuit, intravit. Domina cum illum vidisset, ait: O domine, omnes exeant præter vos, ut nullus audiat quæ vobis dixero. Cum autem omnes essent expulsi, ait domina: O carissime, de qua progenie es tu, dicito mihi! Qui ait: Ista est mirabilis quæstio; scias sine dubio, quod de

longinqua terra sum ego. Et illa: Deo voveo, quod nisi dixeris mihi veritatem, me cito morientem videbis. Qui ait: Et ego dico tibi, quod pauper eram, nihil habens præter arma mea, cum quibus vos et totum regnum a servitute liberavi. At illa: Dic mihi modo, de qua terra es oriundus et qui erant parentes tui, et nisi mihi veritatem dixeris, nunquam cibum gustabo. Et ille: Vobis de veritate fateor. Quidam abbas ab infantia me nutrivit et mihi sæpius dixit, quod in quodam dolio me invenit infra cunabulum, et ab illo tempore usque in præsens me nutrivit, quousque ad partes istas veni. Domina cum hoc audisset, tabellas ei ostendit et ait: Nunquid tabellas istas nosti? Ille cum tabellas vidisset, ad terram cecidit; illa vero ait: O fili dulcissime, tu es filius meus unicus, tu es maritus meus et dominus meus, tu es filius fratris mei et meus; o fili dulcissime, in dolio cum istis tabellis posui te postquam peperi te. Heu mihi, quare de vulva eduxisti me, domine deus meus, quia tot mala sunt per me perpetrata! Fratrem meum proprium cognovi et te ex me genui. Utinam consumpta essem ne oculus me videret, et fuissem quasi non essem de utero translatus ad tumulum. Ad murum caput percussit et ait: O domine deus meus, ecce filius meus, maritus meus et filius fratris mei. Ait dominus Gregorius: Credebam me evasisse periculum et jam in rete diaboli cecidi; dimitte me, domina, ut plangam miseriam meam! Væ mihi, væ, ecce mater mea, amica mea, uxor mea! Ecce sic diabolus confudit me. Mater cum in filio tantum dolorem vidisset, ait: O fili dulcissime, pro peccatis nostris peregrinabor toto tempore vitæ meæ, tu vero regnum gubernabis. Qui ait: Non fiet ita; in regno mater exspectabis, ego vero peregrinabor, donec a deo peccata nostra sint dimissa. De nocte surrexit, lanceam suam fregit, vestimentis se induit peregrini, matri valefecit et nudis pedibus ambulavit, quousque extra regnum pervenit, deinde ad quandam civitatem in noctis obscuritate venit ad domum unius piscatoris, a quo hospitium pro dei amore petiit. Piscator eum diligenter respexit et cum membrorum decentiam et corporis dispositionem vidisset, ait ei: Carissime, verus peregrinus non es; hoc bene apparet in tuo corpore. At ille: Licet verus peregrinus non fuero, hospitium tamen dei amore nocte ista peto. Uxor piscatoris, cum eum vidisset, pietate mota preces fundebat pro eo, ut introduceretur. Cum autem introductus fuisset, retro ostium grabatum parari jussit, piscator pisces cum aqua ei dedit et panem, et inter cetera ei dixit: Tu peregrine, si sanctitatem cupis invenire, loca solitaria deberes accedere. At ille: Domine, libenter hoc attentarem, sed locum talem ignoro. Qui ait: Die crastina mecum pergas et ad locum solitarium

te ducam. Et ille: Deus sit tibi merces. Mane vero piscator peregrinum excitavit, intantum enim festinabat, quod tabellas suas parvas retro ostium dimisit. Piscator cum peregrino mare intravit, per XVI miliaria in mari navigabant, donec ad quandam rupem pervenit habens circa pedes ejus compedes, qui sine clave non poterant aperiri; sed postquam compedes serasset, claves in mari projecit, deinde domum rediit. Peregrinus iste per XVII annos in pœnitentia remansit. Accidit quod papa moritur; ipso mortuo venit vox desuper de cœlo dicens: Quærite hominem dei et illum in vicarium meum constituatis nomine Gregorium. Electores hoc audientes gavisi sunt valde, nuntios per diversas partes mundi miserunt, ut eum quærerent. Tandem in domo piscatoris hospitati sunt; cum vero in cœna fuissent, piscatori dixerunt: O carissime, multum vexati sumus per regna et castra quærendo unum sanctum virum nomine Gregorium, quem in summum pontificem constituere debemus et non invenimus. Ille vero cum de peregrino fuisset recordatus, ait: Jam sunt XVII anni, quod unus peregrinus nomine Gregorius in domo ista est hospitatus, quem ad quandam rupem in mari duxi et ibidem dimisi; sed scio, quod a multo tempore mortuus est. Accidit, quod eadem die pisces accepit, et dum unum piscem extraxisset, claves, quas XVII annis in mare projecit, infra piscem invenit. Statim alta voce clamavit; O carissimi, videte claves, quos in mari projeci! Ut spero, de labore vestro non eritis frustrati. Nuntii hoc audientes et videntes gavisi sunt valde, mane vero surrexerunt, piscatorem rogabant, ut eos ad rupem duceret, quod et factum est. Cum autem ibidem venissent et eum vidissent, dixerunt: O Gregori, homo dei, ad nos perge ex parte dei omnipotentis, ad nos ascende, quia dei voluntas est, ut ejus vicarius in terris constitutus sis. At ille: Quod deo placet, ejus voluntas fiat! Illum extra rupem duxerunt; antequam civitatem intravit, omnes campanæ civitatis per se pulsabant. Cives hoc audientes dixerunt: Benedictus altissimus! Jam venit, qui Christi vicarius erit. Omnes ei obviam processerunt et cum magno honore eum receperunt, et Christi vicarium constituerunt. Beatus Gregorius in vicariatu constitutus in omnibus se laudabiliter habebat. Fama ejus per orbem volabat et quod tam sanctus Christi vicarius constitutus erat; multi ex omnibus partibus mundi veniebant, ut ejus consilium et auxilium haberent. Audiens vero mater ejus, quod tam sanctus homo Christi vicarius factus esset, intra se cogitabat: Ubi jam melius potero accedere, quam ad istum sanctum virum et vitam meam ei intimare? Veruntamen quod esset filius ejus et maritus penitus ignorabat; ad Romam perrexit et Christi vicario est confessa. Ante confessionem neuter alium

cognovit, sed postquam confessionem matris audisset, notitiam ejus per omnia habebat et ait: O mater dulcissima, uxor et amica, diabolus credebat nos ducere ad inferna et nos evasimus dei gratia. Illa hoc audiens, ad pedes ejus cecidit et præ gaudio amare flevit, papa vero de terra eam levavit et in ejus nomine monasterium constituit, in quo eam abbatissam fecit et infra pauca tempora ambo animas deo reddiderunt.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est dominus noster Jesus Christus, qui sororem suam i. e. animam fratri i. e. homini, qui homines Christi fideles sumus ejus fratres, et anima est soror et dei filia; sed inquantum anima homini conjungitur, caro dicitur proprie ejus soror. In principio caro habet animam in omni honore; dum contra eam nihil, quod displiceat deo, agit, tenetur eam ex præcepto divino nobili viro maritari scilicet deo per opera misericordiæ. Isti duo, corpus et anima, mutuo se diligunt intantum, quod in una camera jacent, hoc est in uno corde, in una mente, quamdiu dei præcepta perpetrant, et in una scutella comedunt, hoc est in una voluntate se disponunt, quando baptismum receperunt et pompis diaboli renunciabant. Sed heu et proh dolor homo sæpe ex instigatione diaboli sororem violat, hoc est animam cum vitiis et concupiscentiis corrumpit ita quod imprægnatur et parit filium. Per filium istum intelligere debemus totum genus humanum, quod a primo parente procedebat; Adam enim erat filius dei primogenitus, cui debebatur regnum istius mundi, juxta illud psalmistæ: Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas insuper et pecora etc. Sed iste in mandatis habuit filiam dei sororem ejus scilicet animam in omni honore; ille vero per diabolum deceptus corrupit eam quando de pomo comedit, unde filius scilicet totum genus humanum ab eo processit et in dolio ex sensu militis scilicet spiritus sancti missus i. e. in miseriam maris hujus mundi scilicet projectus, ubi natabat per multa tempora. Primus pater mortuus erat et ad infernum descendit, derelicta est anima nuda, et ideo dux, scilicet diabolus, eum invasit, quousque filius dei venit, scilicet deus et homo, et liberavit non solum matrem, sed et totum regnum i. e. genus humanum per suam passionem, quia contra ducem i. e. diabolum pugnavit et victoriam obtinuit et terram amissam scilicet paradisum nobis recuperavit. Post hæc matrem suam i. e. sanctam ecclesiam desponsavit, per quam tabellæ erant scriptæ i. e. decem præcepta, quæ Moyses a deo recepit. Illa singulis diebus debemus videre et in cordibus nostris reprimere et sacram scripturam respicere, legere et intelligere, ubi inveniemus, quomodo iste sanctus Iob terræ loquebatur dicens: Pater meus es et soror mea vermibus. Si istud intime cogitare volumus, materiam

flendi habemus. Sed quærendum nobis est, quis traxit nos de dolio. Certe abbas i. e. deus ipse per filium suum unigenitum quotidie nos trahit per suam gratiam de miseria peccati et dat nos ad nutriendum piscatori. Piscator iste potest dici quilibet prælatus, qui habet peccatorem in bonis operibus nutrire et eum ad Christi militiam promovere; tunc poterit inter monachos scilicet sanctos viros conversari et sanctus esse, juxta psalmistam: Cum sancto sanctus eris etc. deinde per navem ecclesiæ scilicet secundum ejus præcepta transire et viriliter pugnare contra diabolum et per consequens ad magnas divitias pervenire. Divitiæ istæ sunt virtutes, per quas anima ditatur, quæ recipitur in domo civis scilicet prælati, et prælatus eam ducit ad senescallum i. e. confessorem, per quem dirigitur ad viam salutis, et quare? quia pugnat pro domina i. e. anima. Sed sæpe contingit, quod homo recidivat, pergit ad venandum scilicet mundi vanitatem; domina, scilicet anima dolet, quando de tabellis scriptis i. e. de transgressionibus perpetratis recordatur, et ideo milites i. e. omnes sensus tenentur hominem a ludo mundi revocare, imo deus ipsum vocat dicens: Revertere, revertere etc. Sed quando videt homo animam per peccatum prostratam, debet se ad terram projicere, hoc est ad omnem humilitatem se parare, vestimenta i. e. vitia deponere et lanceam malæ vitæ per confessionem frangere et sic peregrinando in bonis virtutibus pergere, donec ad domum piscatoris scilicet prælati perveniat, de cujus consilio ad rupem pœnitentiæ includi debes, quousque nuntii i. e. viri ecclesiastici, cum pœnitentia fuerit consummata, ducent te ad romanam civitatem. Civitas ista est sancta mater ecclesia, in qua debemus permanere, hoc est ejus præcepta adimplere, et campanæ pulsabuntur, scilicet per opera misericordiæ per pœnitentiam recuperata de te laudabile testimonium perhibent et cives gaudebunt i. e. angeli dei de peccatore, sic scriptum est Luc. XV: Gaudium est angelis dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Et tunc poteris dominam i. e. animam ad monasterium regni cœlestis perducere, ad quod etc.

Cap. 82.

De judicio adulterantium.

Quidam miles erat, qui castrum pulcherrimum habebat, super quo duæ ciconiæ nidificabant; sub castro erat fons clarus, in quo ciconiæ solebant se balneare. Accidit quod femella pullos produxit, masculus vero per terram volabat, ut pullis cibum colligeret. Illo abeunte femella est adulterata, sed antequam masculus veniret, ad

fontem descenderat, ut se lavaret, ne masculus fœtorem adulterii sentiret. Miles cum sæpius hoc vidisset, admirabatur, fontem clausit, ne ciconia se lavaret vel balnearet; illa vero cum fontem clausum vidisset et non poterat se lavare, post adulterium commissum ad nidum est reversa. Masculus veniens et sentiens adulterii fœtorem, inde volavit et infra diem naturalem secum multitudinem ciconiarum duxit et in præsentia militis eam occiderunt.

Moralisatio. Carissimi, istæ duæ ciconiæ sunt Christus et anima. anima est Christi sponsa et quotiescunque fuerit per peccatum adulterata, ad fontem confessionis recurrat, ut poterit mundari, ne Christus ejus sponsus fœtorem adulterii sentiat. Miles qui fontem clausit est diabolus, qui cor hominis obturat, qui semper nititur hominem impedire, ne currat ad fontem confessionis et ne homo confiteatur. Unde si Christus in die judicii te invenit non lotum i. e. non confessum, sine dubio contra te veniet cum multitudine angelorum æternaliter te occidentium.

Cap. 83.

De timorosa custodia animæ.

Trajanus regnavit, qui miro modo hortos dilexit. Unde semel, cum quendam hortum construxisset et arbores universi generis in eo plantasset, custodem super hortum constituit, ut fideliter custodiret. Erat autem quidam aper strenuus, qui hortum intravit, arbores confodit et evertit. Hoc percipiens custos nomine Jonathas auriculam ejus sinistram abscidit, aper vero amissa aure clamavit et exivit. altera vero die aper intravit et infinita mala perpetravit in horto. Hoc videns Jonathas aurem ejus dextram abscidit et cum clamore valido aper exivit. Hoc non obstante tertia vice intravit. Quod videns Jonathas caudam ejus abscidit et sic turpiter cum clamore aper exivit. Adhuc quarta vice intravit et multa mala perpetravit. Jonathas illum cum lancea perforavit et mortuus est et coquinario traditus, ut pro mensa regis præpararetur. Rex vero de quolibet animali cor plus dilexit, quam aliquid aliud. Cocus vero cum aprum præparasset et cor pingue vidisset, comedit. Sed cum regi de apro fuisset a servitoribus ministratum, cor quæsivit, servitores vero ad coquinarium redierunt et cor apri appetebant. At ille: Dicite domino meo, quod aper nullum cor habebat, et si non credat, per varias rationes obligo me ostendere. Servi hoc audientes omnia verba regi denunciabant. Ait rex: Quid est hoc, quod audio? Non est animal sine corde; sed ex quo offert

se ad probandum, eum audiemus. Coquinarius erat vocatus ad regem, ut probaret, quod aper cor non haberet. Qui ait: Domine mi, audite me! Omnis cogitatio a corde procedit; bene sequitur, si nulla est cogitatio nec cor ullum; aper iste primo intravit hortum et multa mala commisit, ego vero hoc videns aurem ejus sinistram abscidi; si cor habuisset, de aure abscissa cogitasset; sed hoc non fecit, quia iterato intravit, ergo cor non habebat; item si cor habuisset, quando aurem dextram abscidi, hoc cogitasset, sed non cogitavit de aure dextra amissa, quia post hoc intravit et caudam amisit; ergo si aliquam partem cordis habuisset, de auribus et cauda cogitasset; sed hoc non fecit, quia post omnia ista intravit; ideo eum occidi, et per istas tres rationes ostendo, quod cor non habebat. Rex vero cum hoc audisset, rationes hujus approbavit, et sic coquinarius evasit.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est dominus noster Jesus Christus, qui miro modo hortos et vineas diligit, i. e. status hominum, sicut sunt viri ecclesiastici religiosi et boni Christiani, in quorum cordibus dominus noster plantat quotidie diversa genera arborum, i. e. virtutum, sicut sunt decem præcepta, septem opera misericordiæ, quatuor virtutes cardinales et tres theologicas. Custos est prælatus, qui habet sta custodire, aper est homo dives ac potens hujus sæculi, qui potius sensui proprio credit quam alteri. Iste intrat statum suum, quem accepit in baptismo, et mala infinita committit, quando peccatum mortale perpetrat, quia violat virtutes, quas in baptismo recepit. Hoc videns deus per Jonathan, i. e. per mortem a nobis aufert aurem sinistram, i. e. consanguineum tuum interficit, ut per hoc vitam tuam malam corrigas; sed miser homo ad tempus dolet et cito ad vomitum revertitur et dei præcepta iterato violat. Hoc videns deus aufert ab homine aurem dextram, i. e. filium vel filiam, ut sic te corrigas; sed miser homo per breve tempus mortem eorum dolet et redit ad mala opera; et tunc aufert ab eo caudam, i. e. uxorem, ut sic flagellatus corrigatur; nec per talia emendatur; tunc deus eum interficit et coquinario, i. e. diabolo tradit in die judicii. Non est in homine res quam deus magis diligit quam cor, i. e. animam. Tunc diabolus allegabit, quod animam deo obedientem non habet, et dicet ad Christum: Iste mihi obediens fuit et tibi inobediens fuit; si habuisset animam rectam, nunquam præceptum tuum violasset. Et sic deus privabitur anima, quod est dolendum.

Cap. 84.

De beneficiis dei semper memorandis.

Pompejus regnavit, in cujus regno erat quædam domina nimis pulchra et omnibus amorosa. Juxta eam quidam miles habitabat satis gratiosus et nobilis, qui istam dominam sæpius visitavit et a domina multum erat dilectus. Miles iste cum semel dominam visitasset vidensque falconem super manum ejus, quem miro modo concupivit, ait: O bona, si quidquam pro te feci aut si me diligis, da mihi falconem! Domina ait: Tibi concedo, sed unum est, quod non tantum illum diligas, ut a societate mea te separes. Miles ait: Absit hoc a me, ut propter aliquam rem me separarem a te. Nunc amplius teneor te diligere, quam antea. Domina falconem ei dedit, ille vero ei valefecerat et tantum in falcone delectabatur, quod dominam non visitabat et parum de ea cogitabat, sed singulis diebus cum falcone ludebat. Domina sæpius nuntios ad eum misit et non venit; tandem domina ei scripsit, ut sine dilatione ulteriori ad eam cum falcone veniret, quod et fecit. Qui cum venisset, ait ei domina: Ostende mihi falconem! Quem cum apprehèndisset, coram eo caput a corpore extraxit. Miles non modicum dolens ait: O domina, quid fecisti? Quæ ait: Non doleas, sed potius gaude et lætare, quia falco erat causa, quare me non visitasti, sicut ante fecisti; ideo falconem occidi, ut ad me redeas frequenter, sicut solebas. Miles vero videns, quod ex pia causa domina hoc fecerat, ei placuit et eam sicut prius visitavit.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est pater cœlestis, domina tam pulchra natura humana deitati in Christo conjuncta, miles quilibet christianus, qui dominum deum suum ante omnia tenetur diligere et eum sæpius per opera meritoria visitare, falco sunt bona temporalia, quæ deus dat homini, ut eum probet; sed cum miser homo dives factus fuerit, similis factus est jumentis, quia non recordatur de dei beneficiis, nec eum visitat, sicut solebat. Deus hoc videns aufert ab homine hæc temporalia, sanitatem et prosperitatem, ut priorem amorem habeat, non quod deus odit illum, quem sic castigat, sed quia eum diligit juxta illud: Flagellat deus omnem, quem diligit.

Cap. [illegible]

Quod oratio nostra melodia est coram deo.

Tiberius regnavit, qui miro modo melodiam dilexit audire, unde semel accidit, quod ad venandum perrexit, quandam melodiam citharæ

a parte dextera audivit et in tanta dulcedine delectabatur, quod quasi extra se raptus est, equum pervertebat versus locum melodiæ, ibidem equitavit. Cum autem ad locum venisset, quandam aquam latam a longe prospexit et juxta aquam quidam pauper sedebat, qui citharam in manu tenebat; de ista cithara processit tanta melodia, quod imperator cum gaudio est refocillatus. Ait ei rex: Carissime, dic mihi, quomodo cithara tua ita dulciter sonat? Ait ille: Domine, per triginta annos et ultra juxta istam aquam mansi; dedit mihi deus gratiam talem in cithara, quod quam cito chordas ejus tango, exit tanta melodia, quod pisces istius aquæ ad manum meam veniunt, per quos meipsum et uxorem sustento cum familia; sed heu et proh dolor, jam infra paucos dies ex alia parte aquæ venit quidam sibilator, qui in tanta dulcedine sibilat, quod pisces me dimittunt et ad eum eunt; ideo, domine, quia potens estis et dominus totius imperii, contra sibilatorem præbeatis mihi vestrum auxilium. Ait rex: Carissime, in nullo potero te adjuvare, nisi in uno, et hoc tibi sufficiat! In loculo meo hamum aureum habeo, illum tibi dabo, et in summitate virgæ ligari facias, deinde chordas citharæ tangas, ad cujus tactum pisces movebuntur et statim per hamum eos ad terram trahe, et sic sibilator de loco recedet cum confusione. Pauper vero omnia adimplevit et pisces, antequam ad sibilatorem poterant accedere, per hamum ad se eos traxit. Sibilator hoc videns cum confusione recessit.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est dominus noster Jesus Christus, qui miro modo melodiam, scilicet sanctam orationem, audit et diligit; qui venatur per sua certa animalia, scilicet animas, quas diabolus conabatur auferre. Aqua ista, in qua sunt pisces, est mundus iste, qui est plenus peccatoribus; pauper juxta aquam est prædicator, qui habet citharam, i. e. sacram scripturam, cum qua debet pisces i. e. peccatores ad terram siccam, scilicet ad regnum cœleste, perducere. Ps.: In tympano et choro etc. Sed heu proh dolor, diebus istis, quando prædicator incipit citharam sacræ scripturæ tangere et prædicare, adest statim sibilator, scilicet diabolus, qui sibilat tam dulciter, dum prædicator prædicat, quod homines prædicationem non libenter audiant. Unde est notandum, quod diabolus habet diversas sibilationes; primo facit aliquos dormire, ut verbum dei non audiant, secundo quos ad dormiendum allicere non potest, facit eos garrulare, tertio quos non potest facere garrulare, facit eos locum dimittere vel nihil sapere, quod prædicator prædicat; unde necesse est prædicatori hamum divinæ gratiæ petere, per quam poterit peccatores ad deum ducere, et ut ita sit, semper in principio sermonis pro gratia divina rogatur.

Cap. 86.

Quod peccatoribus gratiam divinam exposcentibus dominus misericorditer concedat.

Erat quidam imperator, qui statuit pro lege, quod si mulier sub viro suo esset adulterata, perpetuo carceri esset mancipanda. Accidit, quod quidam miles mulierem nobilem desponsavit, quam multum dilexit, ille vero ad peregrinandum in partibus longinquis perrexit, uxor vero post ejus recessum adulterata est et de adulterio concepit; cum vero contra eam legitime erat probatum, ex præcepto imperatoris carceri est adjudicata. Quæ in carcere filium pulcherrimum peperit; puer vero crevit et ab omnibus est dilectus, qui eum viderunt; mater vero gemitus et suspiria continue emisit nec consolari poterat. Accidit una die, cum puer matrem flentem vidisset, dixit ei: Ob quam causam, mater carissima, sic affligitur anima tua? Ait mater: O fili dulcissime, multum habeo flere; ultra capita nostra est accessus hominum et sol lucet in claritate sua, nos vero hic sumus in tenebris et nullum lumen habemus. Ait filius: O mater dulcissima, illam lucem, quam dicis, super capita nostra nunquam vidi, quia in isto carcere natus fui. Dummodo copiam cibi et potus habuero, mihi hic placet semper permanere, dum vixero. Dum autem sic loquerentur, adinvicem imperator cum militibus ad ostium carceris stabat. Ait unus miles regi: Domine, non auditis istam lamentationem in carcere inter matrem et filium? At ille: Etiam, optime audio et eis compatior. Milites dixerunt: Domine, rogamus, ut fiat eis gratia et misericordia. Quibus dixit rex: Ad preces vestras concedo. Ambosque de carcere eduxerunt et ab omni pœna liberaverunt.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est pater cœlestis, qui istam legem dedit, quod si mulier i. e. anima sub viro i. e. Christo fuerit per peccatum mortale adulterata, perpetuo carceri infernali adjudicabitur, si sic decedat. Domina ista in carcere flevit amare, et quare? Certe quia violavit animam suam, regnum æternum perdidit, sanctam ecclesiam deprivavit et virtutibus, quas in baptismo recepit, per peccatum spoliavit. Puer, qui dixit: Dum cibum habuero, mihi placet hic permanere, sunt mundi potentes et divites, qui dicunt: Si deus daret eis mundum et pro voluntate carnis delicias, lumen cœli nunquam desiderarent; de talibus valde dolendum est. Miles, qui stetit juxta ostium, potest dici bonus prælatus, qui habet pro peccatoribus intime deum rogare, ut det eis gratiam a carcere peccati resurgere, quod poterunt ad æternum vitam intrare, quam nobis con. etc.

Cap. 87.

Quod Christus se pro nobis morti exposuit.

Quidam imperator, qui in quodam bello mortali expositus fuit mortemque vix potuit evadere, quod percipiens quidam miles strenuus interposuit se inter imperatorem et hostes ejus ita, quod imperator evasit sine læsione, miles autem pro eo diversa vulnera recepit, curatus est cum magna difficultate, tamen cicatrices in eo semper permanserunt; ab omnibus est commendatus, quod tam egregie pro domino suo pugnasset. Accidit postea, quod ille miles debuisset hereditatem suam injuste amittere; accessit ad præfatum imperatorem, rogavit, ut eum juvaret et sententiam pro eo daret. At ille: Carissime, non possum tibi ad præsens attendere, sed dabo tibi judicem, qui causam tuam examinabit et, quod justum fuerit, faciet. At ille: O domine, cur talia dicis? Statim coram omnibus omnia vestimenta sua dilaceravit et usque ad nudam carnem cicatrices vulnerum ei ostendit, dicens: Ecce, quid sustinui pro te, et tu non vis pro me judicare nec me juvare? Estne, inquit, justum, postquam tantum pro te sustinui, ut alius, quam tu ipse, sit in causa mea judex et advocatus pro me? Imperator hoc audiens ait: O carissime, verum dicis, quando in periculo mortis fui, tu et non alius me salvasti. Statim pro tribunali sedebat rex et judicium pro eo dedit.

Moralisatio. Carissime, Christus in bello mortali inter te et diabolum seipsum interposuit et suscepit pro te vulnera mortalia, non solum vulnera, sed morte turpissima mortuus est. Est ergone justum, quod alius quam tu pœnam vel pœnitentiam sustineat pro suo amore? Certe non. Si duo fratres sint heredes alicujus hereditatis, quam hereditatem aliquo casu amiserant, si alter eorum pro hereditate recuperanda pugnaverit, laboravitque alius nihil, sed sine omni labore eam habere vellet, esset hoc justum? Certe non. Sic est de nobis et de Christo; nos amisimus hereditatem regni cœlestis per peccatum, Christus vero per suam mortem acquisivit; ideo justum est, ut nullus alius pro te faciat, quod poteris mereri, quam tu ipse, si desideras vitam æternam obtinere, quam nobis concedat, qui sine fine vivit etc.

Cap. 88.

De cautela diaboli, qui multos ad interitum subducit.

De quodam principe narratur, qui, cum omnibus viribus suis non poterat hostes suos devincere, fecit hanc cautelam: simulavit

fugam et castra sua cum victualibus hostibus dereliquit; in quibus castris dolia multa plena vino infecto dimisit per semen cujusdam herbæ, ita quod homo bibens de vino illo statim obdormiret; scivit etiam hostes famelicos et gulosos, qui super vinum cum gaudio supervenientes ad libitum suum bibentes statimque semimortui dormire compellebantur, super quos princeps rediens omnes ad libitum suum occidit.

Moralisatio. Carissimi, hac cautela utitur diabolus; contra quos vidit non posse superare, simulat se fugere et procul abesse, dum eos sub spe bonæ amicitiæ et solatii diu permittit ad tabernas sedere, ut inebriatos ducat quo voluerit, nunc ad homicidium, nunc ad luxuriam etc. Caveamus ergo a tali potu, si desideramus venire ad æternam vitam.

Cap. 89.

De triplici statu mundi.

Miles quidam erat, qui tres filios habebat, qui cum mori deberet, primogenito suo hereditatem legavit, secundo filio thesaurum suum, tertio filio annulum pretiosum, qui plus valuit quam totum quod legavit aliis; duobus etiam primis dedit annulos duos non tam pretiosos; omnes annuli erant ejusdem virtutis. Post mortem patris dixit primus filius: Ego habeo annulum patris mei pretiosum. Secundus filius dixit: Tu non habes, sed ego habeo. Tertius dixit: Non est justum, quod vos habeatis eo, quod senior habet hereditatem et alius thesaurum; ergo ratio dictat, ut ego annulum pretiosum habeam. Ait primus: Probemus in facto, quis annulus sit pretiosior, et ille est melior. At ille: Mihi placet. Statim adducti sunt infirmi diversi varias infirmitates habentes; primi duo annuli nihil operati sunt, sed annulus junioris omnes curavit.

Moralisatio. Carissimi, miles iste est dominus noster Jesus Christus, qui tres filios habebat, scilicet Judæos, Saracenos et Christianos. Judæis dedit terram promissionis, Saracenis dedit thesaurum hujus mundi quantum ad potentias et divitias, Christianis dedit annulum pretiosum, scilicet fidem, quia per fidem Christiani possunt varias infirmitates ac languores animas curare, sicut scriptum est: Omnia possibilia sunt credenti. Item: Si habueris fidem, sicut granum sinapis etc. Item: Impossibile est sine fide placere deo.

Cap. 90.

De libertate arbitrii.

Lex aliquando erat in quodam regno, quod frater senior hereditatem divideret et junior eligeret; cujus ratio est, quod majoris discretionis est dividere quam eligere, senior autem discretior esse debet. Alia lex fuit, quod liceret filium ex ancilla hereditatem accipere, sicut et filii liberi. Contigit autem, duos fratres, unum de ancilla et unum de libera, hereditatem dividere. Frater enim senior divisit sic: ex una parte totam hereditatem posuit et ex alia parte matrem fratris sui posuit. Frater ejus cogitabat: Matrem meam ante omnia debeo diligere. Et per consequens elegit matrem et hereditatem dimisit, sperans de curialitate fratris sui aliquid obtinere, sed nihil ab eo obtinebat. Adiit judicem, fratrem suum accusavit, quod eum ab hereditate sua exclusit. Respondit frater suus et dixit, quod eum decepit, quia ille, qui elegit, non qui dividit certus est.

Moralisatio. Carissimi, deus pater duos filios habuit, unum de ancilla, alium de libera; de libera habuit Christum, qui est de eadem essentia, de qua pater, et coæternus sibi, de ancilla hominem, quia quoad corpus est de terra, et iste est minor, quod ex tempore productus. Christus filius senior hereditatem divisit; quomodo? Certe matrem i. e. terram et terrena posuit ex una parte, et ex alia posuit cœlum et cœlestia, electionem tamen homini dedit, quod si matrem i. e. terrena eligeret, hereditate cœlesti careret. Sed revera peccans mortaliter hereditate cœlesti spreta matrem elegit, nec Christum poterit accusare, quoniam non qui dividit, sed qui elegit, circumscribit. Patet ergo, quod qui terrenas voluptates præponit et in peccato mortali existens vitam æternam non potest de gratia nec de jure sibi vindicare, seu præsumere de hereditate, sed forte ex quadam pietate. Consulo ergo, ut non eligamus matrem i. e. mundum istum, quia totus mundus in maligno positus est. Studeamus ergo, eligere hereditatem cœlestem.

Cap. 91.

De accidia et pigritia.

Polinius regnavit, qui tres filios legitur habuisse, quos multum dilexit. Unde per se cogitavit, disponere de regno suo, vocavit tres filios suos et ait: Quis vestrum est pigrior, ille regnum post meum

decessum habebit. Tunc ait primus filius patri: Mihi ergo debetur regnum vestrum, quia adeo piger sum, quod ad ignem sedens prius crura permitto comburi, quam inde me retraherem. Secundus filius ait: Pater, mihi debetur regnum vestrum, quia si circa collum meum funem haberem et mox suspendi deberem et gladium in manu mea tenerem, propter magnam pigritiam meam ad scindendam funem manum meam non extenderem. Tertius filius dixit patri: Ego regnare debeo, quia in pigritiis ceteros præcedo; dum superius in lecto jaceo et guttæ aquæ super utrumque oculum cadunt, propter magnam pigritiam caput meum movere nescio ad dextram vel sinistram, nec volo. Rex cum hoc audisset, ei regnum legavit, reputans eum pigriorem.

Expositio. Carissimi, iste rex est diabolus, qui est rex et pater super omnes filios superbiæ, ut Job dicit. Per primum filium bene designantur illi, qui sunt in societate perversa, scilicet in adulterio et fornicatione, per quam ad malum intendunt; tamen magis eligunt in igne peccati cremari vel aduri, quam a tali pravo consortio separari. Secundus filius signat illum, qui liceat peccatorum suorum funibus videat se circumplexum et ligatum, quibus mox suspendendus est ad inferni patibulum, tamen ad eas scindendum manum non extendit, videlicet gladio linguæ suæ per verba confessionis. Tertius filius designat illum, qui doctrinam audit de parapisi gaudio et inferni supplicio, et tamen præ nimia pigritia ducens statum suum pravum, scilicet peccatorum, non deserit ad dextram præmiorum amore et desiderio convertere, nec ad sinistram, ut peccatum dimittat saltem metu et terrore infernalium tormentorum.

Cap. 92.

Christus elegit mori propter vitam nostram.

Legitur de quodam rege, qui habuit uxorem, nomine Cornelia. Accidit quadam vice, quod in castro regis sub quodam muro inventi fuerunt duo serpentes, unus masculus, altera femella. Quod audiens rex interrogavit a suis magistris et doctoribus, quid hoc significaret, et dixerunt, illos serpentes ibidem latere in signum mortis viri vel mulieris, et dixerunt: Si occideretur masculus, vir moreretur, et si occideretur serpens femella, uxor moreretur. Quo audito rex dixit: Occidite masculum serpentem et femella vivat! Quia libentius vellet mortem suam, quam mortem uxoris suæ, et assignans causam dixit: Si uxor mea vivit, posset multos filios producere, qui

possunt in regno meo succedere, quia, si ipsa moreretur, regnum heredem non haberet.

Moralisatio. Carissimi, iste rex est dominus noster Jesus Christus, qui nos regit sicut rex, cujus uxor est humana natura, scilicet in utero virginis copulata. Sed in hoc mundo quasi in hac domo hujus sponsi duo serpentes fuerunt inventi scilicet legis antiquæ. Serpens masculus erat benignitas divinæ misericordiæ. Hæc uxor humana natura vivere per gratiam non potuisset, sed sponsus scilicet Christus elegit sibi mortem in cruce, ut humana natura viveret. Etiam potes hunc sensum applicare de carne et spiritu; ita oportet, quod caro tanquam masculus infructuosus per spiritum occidatur.

Cap. 93.

De hereditate et gaudio fidelis animæ.

Quidam potens dominus duos filios suos misit ad studium, ut studerent et proficerent et ex hoc præbendam obtinerent. Transacto modico tempore misit eis pater literas, ut ad propria remearent. Fratres his auditis ad patriam properaverunt. Unus fratrum valde lætus est de reversione et cum rediit cum lætitia receptus est et in hereditatem constitutus est. Alter frater de reversione turbatus est valde. Qui dum rediit, mater ejus occurrens osculata est eum, et osculando os ejus dentibus ejus abstulit, soror sequens matrem, volens osculari eum, abstulit ei nasum, frater sequens abstulit ei oculos, pater adveniens rapuit eum per capillos et pellem abstraxit.

Moralisatio. Carissimi, iste dives est deus, qui duos filios misit ad studium, scilicet corpus et animam, ut studerent in scholis hujus mundi et in bonis operibus proficerent, et sic æternam vitam scilicet hereditatem possiderent. Literæ sunt mors; hæc litera mittitur, dum homo moritur. Anima gaudens ad eum redit, quæ lætanter recipitur et in hereditatem constituitur. Frater alter, qui invitus redit, est corpus, qui de reversione turbatur, nec mirum, quia miserrime collocatur. Soror et fratres sunt bufones et serpentes, qui nasum et oculos corrodunt. Pater est putredo terræ, quæ capillos et cutem et carnem consumit. De istis parentibus dicit Job. VII: Putredini dixi etc.

Cap. 94.

Quod anima pulchra per peccati lepram infecta pristinam pulchritudinem habere non poterit, nisi per altos gemitus et profunda suspicia.

Erat quidam rex volens peregre proficisci in longinquis partibus et habens unicam filiam formosam sole splendidiorem, nesciens cui fideli mente committeret eam in custodia, tandem commisit uni militi suo secretario, quem tenerrime dilexit, præcipiens ei, ut custodiret eam, ne aggressum haberet ad fontem unum in illa terra vel regione prosilientem; si biberet de ea, efficeretur leprosa; talis naturæ fuerat, tamen amœnissimæ suavitatis. Ut eam miles tam formosam redderet in regressu suæ peregrinationis, sicut jam dictam acceptaverat, perpendens prædictus miles, si ista non faceret, tunc totum servitium suum perderet aususque non esset suum dominum exspectare. Custodia præhabita per aliquod tempus; tandem dicta filia veniens ad fontem occulte bibensque de illo effecta est leprosa. Percipiens hoc miles dolore repletus fugiens cum eadem de regione ad desertum inveniensque ibidem unum reclusorium pulsans manibus intus eremitam quendam inveniens narrans sibi omnia facta prænarrata, dansque eremita dicto militi sanum consilium dicens: Vade ad montem, quem monstravero tibi! Invenies lapidem cum virga quadam; cum dicta virga percuties lapidem acriter, donec habeas de eo humiditatem et liquorem; cum illo lini eam et perunge et fiet sana et pristinam pulchritudinem accipiet. Faciensque prædictus miles sicut sibi dixerat eremita, filia regis pristinam sanitatem et pulchritudinem recepit.

Expositio. Carissimi, iste rex est dominus noster Jesus Christus, qui peregre profectus est, reddere volens patri suo illud, quod de purissima virgine matre sua Maria accepit, videlicet veram humanitatem, quæ in die judicii reversurus est. Per filiam unicam anima nostra, quæ decies clarior sole erit, antequam veniat ad æternam vitam, significatur. Per militem quilibet peccator per omnia delectamenta hujus mundi discurrens, quæ sunt sibi dulcia. Filia effecta est leprosa i. e. peccatis plena. Per egressionem regionis quilibet peccator relinquens secularia et transitoria. Per reclusorium ecclesiam, per eremitam sacerdotem, inveniens ac narrans, sanctam confessionem faciens, dans consilium, pœnitentiam injungens, per montem corpus proprium, per lapidem cor lapideum, per virgam pœnitentiam magnam, videlicet castigationem proprii corporis, orationes eleemosinas jejunia faciens, per humiditatem et liquorem lacrimas oculorum

ac cordis contritiones, sicut in die judicii fiet. Tua unica filia Syon i. e. anima tua salva, formosa ac suo creatori gratiosa etc.

Cap. 95.

Quod Christus restituit nobis hereditatem supernæ patriæ.

Legitur in gestis Romanorum, quod erat quidam tyrannus, Maxentius nomine, qui cives romanos hereditate voluit privare. Incumbente igitur sævitia tyranni fugerunt exterminati ad Constantinum regem in Britanniam. Denique cum multi fluerent, concitaverunt eum adversus tyrannum dicentes: O Constantine rex, restitue nos in regnum nostrum! Ex his verbis commotus est rex Constantinus, armavit se, ascendit equum, et tyrannum prostravit, et sic Romanis hereditatem restituit.

Moralisatio. Carissimi, iste tyrannus diabolus est, qui generi humano fuit crudelis tantum, quod genus humanum cœlesti hereditate privavit. Quod videns genus humanum ad regem Constantinum scilicet ad deum fugit, petens auxilium ab eo, unde Psalm.: Apprehende arma et scutum et exsurge in adjutorium mihi, quia tu es, qui restitues hereditatem meam mihi. His verbis commotus est deus rex et armavit se, cum se divinæ naturæ copulavit, et equum suum ascendit, dum in cruce suspendi voluit, et sic tyrannum prostravit et nobis hereditatem restituit.

Cap. 96.

Quod vita præsens est vita remissionis et gratiæ.

Rex Alexander posuit candelam ardentem in aula sua et misit præcones per totum regnum suum, qui clamaverunt et dixerunt, si aliquis forefecerat contra regem, quod audacter veniret; quamdiu candela arderet, rex forefactum dimitteret; et si quis forefactum haberet et non veniret, candela exstincta morte mala periret. Istud audientibus populis, in regno multi venerunt ad regem et misericordiam petierunt. Rex benigne recepit eos, et multi fuerunt, qui noluerunt venire et neglexerunt; sed quando candela fuit exstincta, rex fecit eos per violentiam afferri et mala morte occidi.

Moralisatio. Carissimi, per regem Alexandrum possumus intelligere Christum, qui est rex regum et dominus dominantium. Posuit candelam ardentem i. e. præsentem vitam, quæ transit tanquam

candela ardens. Præcones missi sunt i. e. prædicatores, qui quotidie clamant, si aliquis forefecerit contra regem i. e. contra Christum, quod audacter veniat quamdiu candela ardet i. e. præsens vita durat, quia Christus est nimis misericors, unde David: Misericordia ejus super omnia opera ejus, sicut pater in latrone etc. Modo aliqui audiunt et veniunt ad regem et misericordiam petunt, ut sunt illi, qui peccata sua dimittunt, mandata dei tenent et vivunt sicut boni Christiani. Illos benigne recipit, et per illos qui noluerunt venire possumus intelligere malos Christianos, scilicet raptores, usurarios et ceteros peccatores. Quando candela est exstincta, i. e. post istam vitam Christus faciet eos venire coram se in die judicii et mala morte occidi i. e. æternam mortem pati, quando dicet eis: Ite maledicti in ignem æternum etc.

Cap. 97.

De morte.

Legitur in chronicis, quod anno XXII ab urbe romana condita populus romanus columnam marmoream in foro romano statuerunt, et ibi imaginem Julii Cæsaris fecerunt et super caput ejus nomen Julii scripserunt, quia in honore ipsius factum fuit. Sed iste Julius Cæsar tria signa in morte vel antequam moreretur accepit; centesimo enim die ante mortem suam cecidit fulmen ante imaginem in foro et in nomine subscripto litteram primam abrasit. Nocte vero procedente diem mortis suæ fenestræ thalami ejus cum tanto strepitu et impetu sunt apertæ, ut domum ruituram æstimaret. Eadem vero die mortis suæ cum ad Capitolium iret, datæ sunt ei literæ indices mortis suæ imminentis, quas si statim legisset, mortem evasisset.

Moralisatio. Carissimi, sic est de nobis et de deo; ut mortem æternam evademus, tria signa nobis deus facit. Primum est deletio litteræ capitalis de nomine; per istam literam, quæ in principio nominis ponitur, intelligitur abundantia divitiarum; hæc enim est, quæ facit hominem habere nomen in terra; nemo enim in istis diebus nominatur in terra, nisi habuerit divitias; hoc patet, nam si quæratur, quis sit melior villæ vel civitatis, statim proponitur, qui plures divitias habet, quamvis sit pessimus. Ecce quomodo divitiæ dant homini nomen, quia si dives non esset, non esset nominatus. Et quia aliquando divitiæ sunt occasio mortis æternæ, ideo deus dat primum signum, quod talem vult salvare, et aufert primam litteram

nominis sui scilicet divitias ab eo et facit eum pauperem, ut sic qui per divitias ab eo recesserat, per paupertatem ad eum redeat. Secundum signum, quod Julius Cæsar accepit, quod juxta cameram suam fuit magnus strepitus. Hæc camera est corpus humanum, quia cum homo videt se esse pulchrum et fortem, statim cadit in peccatum, per quod mors æterna sibi præparatur, et ideo volens eum deus a morte æterna revocare, facit signum, scilicet magnum strepitum circa corpus suum, mittendo scilicet talem et tantam infirmitatem et debilitatem, quod ad mortem creditur ruere et cadere, ut sic qui per pulchritudinem et fortitudinem a deo recesserant, per infirmitatem et debilitatem revocentur et pœniteant. Psalm.: Multiplicatæ sunt infirmitates eorum etc. Exemplum de beato Paulo dicente: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis. Tertium signum, quod Julius Cæsar accepit, fuit, quod litteræ indices mortis imminentis sibi traditæ fuerant, quas si legisset, mortem evasisset. Hoc signum facit deus nobis peccatoribus, qui tunc dicitur tradere litteras indices mortis nostræ, dum sana gratia conscientias nostras illustrat, ut legere possimus peccata nostra, quibus mortem æternam meruimus. Et ideo, dum lucem et gratiam sancti spiritus habemus, literas istas legamus, i. e. peccata nostra referamus bono corde et postea sacerdoti ore, ut sic legendo mortem æternam evadere valeamus, ne literæ clausæ i. e. conscientiæ nostræ non mundatæ post mortem nostram aperiantur et manifestentur toti mundo.

Cap. 98.

Quod deus in hac vita placari potest.

Narratur, quod antiquitus mos erat Romanorum, quod, quando castrum vel aliquam civitatem obsidebant, unam candelam in certa mensura accendebant, et quamdiu candela arderet, parati erant omnes ad pacem recipere, quantumcunque malefactor esset; sed postquam consummata fuerat, omnis justitiæ severitatem exercebant in hostes suos, nec tamen alicui licet daret omnia bona misericordiam facere voluerunt.

Applicatio. Carissimi, sic habet deus se erga peccatores; nam corda nostra civitates animæ sunt obsessa cum vitiis et concupiscentiis per diabolum, mundum et carnem. Deus ex sua misericordia statuit hominibus tempus, in quo, si velint, poterint invenire candelam accensam, i. e. quamdiu vita est in corpore, quantumcunque peccator

misericordiam desideraret, pacem et concordiam dei reciperet. Tota vita nostra est constituta et permissa, ut pœnitentiam faciamus et vivamus, unde salvator dicit: Nolo mortem peccatoris etc. Et ideo, quamdiu anima est in corpore, petamus veniam, et misericordiam obtinebimus. Joh. XVI: Petite et accipietis. Sed certe, cum vita nostra fuerit terminata per mortem, tunc non erit tempus misericordiam petere; et licet petierimus non daretur nobis. Ergo faciamus pœnitentiam, quamdiu sumus in hac vita.

Cap. 99.

De virili pugna Christi et ejus victoria.

Cæsar regnavit, in cujus regno erat quidam miles generosus ac fortis, qui semel per quandam forestam equitabat, bufonem cum serpente vidit pugnare; sed bufo prævaluit et serpentem devicit. Hoc videns miles serpentem juvit, quod bufonem graviter vulneravit, evasit et fugam accepit, tamen per bufonem vulneratus graviter erat miles. Hoc videns miles de equo descendit, sed venenum bufonis in vulnere ejus remansit. Miles domum perrexit et longo tempore in infirmitate vulneris remansit, testamentum suum condidit et ad mortem se paravit. Cum vero semel juxta ignem jacuisset, quasi de vita sua desperatus, serpens, quem a morte salvavit, intravit. Servi videntes serpentem dixerunt: Domine, quidam serpens intravit. Miles cum illum respexit, agnovit eum, quod serpens ille erat, pro cujus defensione vulnera et omnia mala suscepit. Miles ait: Nolite eum impedire. Credo quod nullum malum mihi faciet. Serpens vero coram omnibus ad eum accessit et venenum vulneris cum lingua suxit quousque os plenum habuisset. Statim extra domum cucurrit et venenum extra se projecit, rediit et ad vulnus iterato accessit bis vel ter, quousque totum venenum hausit. Hoc facto miles serpenti lac ad bibendum dedit. Cum vero sic bibisset, bufo a quo miles vulnus recepit intravit et contra serpentem pugnare incepit, ac si esset in vindictam, quod serpens militem sanavit. Miles cum hæc vidisset, ait servis suis: Carissimi, sine dubio iste est bufo, quem vulneravi pro defensione istius serpentis, a quo omnia mala recepi. Si serpentem devincat, me invadet, et ideo, si vitam meam diligitis, illum in continenti occidatis. Servi hoc audientes cum gladiis et fustibus illum occiderunt; serpens vero quasi applaudendo et regratiando hinc inde circa pedes domini se convertit et foras exivit; miles vero perfectam sanitatem recuperavit.

Moralisatio. Carissimi, imperator iste est pater cœlestis, miles est dominus noster Jesus Christus, bufo diabolus, serpens homo, et hoc propter duo. Serpens potest dici homo, primo propter peccati venenum, et propter antidotum ac imaginem Christi, quam homo portat; homo enim contra diabolum habet pugnare, quia dicitur: Non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu deus noster. Quando vero totum genus humanum propter peccatum primi parentis erat suppeditatum, Christus pro nobis pugnavit et diabolum superavit, et ipse graviter vulneratus est, non tantum in uno loco, sed in multis, unde infirmatur, licet non in se, tamen in suis membris. Et ideo, si homo gratus fuerit, debet venenum ab eo extrahere, i. e. infirmitatem et indigentiam a suis expellere per opera misericordiæ, sicut scriptum est Matth. III: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Si vero bufo i. e. diabolus redeat, ut tibi noceat, viriliter contra eum pugnare debes, et servi dei i. e. bonæ virtutes, quas in baptismo recepisti, te juvabunt; et sic diabolum superabis et vitam æternam habebis, ad quam etc.

Cap. 100.

Quod Christus peccatorem non statim per justitiam præcipitat, sed misericorditer eum pœnitentem exspectat.

Diocletianus regnavit, qui statuit pro lege, quod si mulier aliqua sub viro suo esset adulterata, occidi deberet. Accidit casus, quod quidam miles quandam puellam in uxorem duxit et ex ea unum filium genuit; crevit puer et ab omnibus est dilectus. Post hæc pater ejus ad quoddam bellum perrexit et viriliter pugnavit, in quo bello brachium dextrum amisit. Interim eo abeunte uxor ejus est adulterata; redit maritus, adulteratam invenit; unde secundum legem maritus eam occidere deberet; vocavit filium suum et ait: Carissime, mater tua adulterium commisit, unde secundum legem per me mori deberet; sed brachium dextrum amisi, ideo non potero eam occidere; præcipio ergo tibi, ut eam occidas. Ait filius: Lex præcipit, parentes honorare; si ergo deberem propriam matrem occidere, contra legem perpetrarem et matris maledictionem incurrerem; nolo tibi in hoc obedire. Et sic mulier per filium evasit mortem.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est deus pater, miles est dominus Jesus Christus, uxor anima. Deus pater præcepit, si anima

sub Christo adulterata fuerit, occidi deberet æternaliter, scilicet in pœnis permanere, et quotiens anima mortaliter peccat, totiens adulteratur. Deus filius contra diabolum ad bellum perrexit, in quo bello brachium dextrum deposuit, scilicet omnem austeritatem, quod ante incarnationem ejus habuit. Ideo mansuetus factus est, quasi agnus, et non vult nos occidere. Sed deus pater præcepit, ut occidamur; respondit filius: Carnem humanam de matre mea sumpsi, et ideo hominem occidere non potero. Et sic peccator per contritionem et confessionem evadere potest et ad vitam æternam pervenire, ad quam etc.

Cap. 101.

Quod mundus in maligno positus est et undique angustiæ.

Narratur de quodam homine, nomine Ganterus, quod locum gaudendi sine fine optabat; quadam die mane surrexit et solus ad viam ambulabat, quousque ad quoddam regnum pervenit, in quo rex illius regni defunctus nuper erat. Satrapæ regni videntes eum strenuum, illum in regem elegerunt; ille vero sic electus valde est gavisus. Cum autem nox adesset, servi eum in cameram introduxerunt, in quo leonem fortissimum ad caput lecti vidit, ad pedes draconem, ad latus dextrum lecti ursum, ex alio latere serpentes et bufones. Ait Ganterus: Quid est hoc? Numquid me oportet in isto lecto jacere cum istis bestiis? Ajunt: Imo, domine, nam reges ante te in isto lecto jacuerunt et per istas bestias sunt devorati. Ait rex: Mihi omnia bene placent, sed tantum istum lectum cum bestiis abhorreo, quod rex vester esse nolo. Et ab eis recessit et ad aliud regnum pervenit, ubi similiter in regem est electus. Cum nox adesset, cameram intravit, lectum pulcherrimum novaculis acutis plenum vidit. Ait Ganterus: Nonne oportet me in isto lecto jacere? Servi dixerunt: Etiam, domine, nam reges ante te hic jacuerunt et in isto lecto mortui sunt. At ille: Omnia bona sunt, excepto isto lecto, et ideo rex vester esse nolo. Mane surrexit et viam trium dierum solus perrexit. In via quendam senem super fontem invenit sedentem, habentem in manu sua baculum et ait: Gantere carissime, unde venis? At ille: De partibus remotis. Quo pergas? At ille: Tria quæro et invenire non potero. Quæ sunt illa tria? Ganterus respondit: Primum est abundantia sine defectu, secundum est gaudium sine tristitia, tertium est lumen sive lux sine tenebris. Ait senex: Baculum istum accipe et per istam viam perge! Montem altum videbis ante te; ad pedem montis stat una scala habensque sex gradus. Scalam ascende! Cum vero ad

sextum gradum perveneris, in summitate montis palatium pulcherrimum videbis. In janua tres ictus percute! Janitor tibi respondebit. Ostende ei baculum istum et dicas: Qui est dominus istius baculi, tibi præcepit, ut me intrare permittas. Cum vero introitum habueris, ibidem tria quæ quæris invenies. Ille vero omnia adimplevit, sicut ei senex dixerat; cum vero janitor baculum vidisset, ei introitum dedit, ubi illa tria et multa plura invenit et ibidem toto tempore vitæ suæ permansit.

Moralisatio. Carissimi, iste Ganterus potest dici quilibet bonus christianus, qui mundum simpliciter debet spernere et ista tria quærere, scilicet abundantiam sine defectu, gaudium sine tristitia, lumen sine tenebris. Ista non poterunt haberi, nisi in vita æterna et hoc cum magno labore. O homo, fac tu, sicut fecit Ganterus, perge viam trium dierum i. e. per orationem, jejunium et eleemosinam. Si contingat ad quoddam regnum pervenire, i. e. mundana aliqua et cives i. e. mundanæ vanitates te in regem eligunt i. e. cor tuum in superbiam ducunt, respice ad lectum! Lectus iste est vita humana, in qua per breve tempus jacebis. Sed respice ad leonem i. e. diabolum semper contra te paratum, et draconem i. e. mortem, quæ te in omni loco exspectat, et ursum i. e. propriam conscientiam, quæ te condemnabit, et vermes i. e. peccata tua, quæ te accusabunt. Si ista intime cogitaveris, cito de regno hujus mundi te expedire poteris. Deinde ad aliud regnum perrexit etc. Sic homo, si diabolum in una parte superaverit, hominem ad aliud regnum scilicet peccati ducit, scilicet ad regnum carnis, in quo regnant deliciæ carnales et voluptates. Si eis consentires, factus eris filius perditionis; attende ergo ad lectum. Lectus iste est infernus, in quo dives ille jacet plenus novaculis scilicet pœnis gravissimis. Si istum lectum intime recogites, delicias carnis omnino respues. Si velis ergo ista tria invenire, quære senem cum baculo, scilicet dominum nostrum Jesum Christum, qui tibi concedat baculum sanctæ crucis. Baculus iste est pœnitentia, quæ debet ad viam salutis dirigere, unde Psalm.: Virga tua et baculus tuus etc. Sed post hoc oportet te ascendere scalam sanctæ vitæ, in qua sunt gradus VII, scilicet VII opera misericordiæ, per quæ potest ad æternam vitam perveniri. Sed oportet tres ictus facere, scilicet contritionem, confessionem et satisfactionem habere; tunc janitor i. e. bonitas divina te in regnum æternum perducet; ibi abundantiam sine defectu, gaudium sine tristitia, lumen sine tenebris invenies. Ad quod lumen etc.

Cap. 102.

De transgressionibus animæ et vulneribus ejus.

Titus regnavit, in cujus imperio erat quidam miles generosus, deo valde devotus, qui uxorem pulchram habebat, sed sub viro suo adulterata est, nec de adulterio desistere volebat. Miles vero cum hoc vidisset, contristatus est valde; in animo suo cogitabat, terram sanctam visitare. Ait uxori suæ: Carissima, ad terram sanctam pergam, vos discretioni vestræ committo. Cum autem ultra mare perrexit, domina quendam clericum, peritum in nigromantia, dilexit et cum eo dormivit. Accidit semel, quod, cum invicem in stratu jacuissent, dixit domina: Si unam rem mihi perpetrares, me in uxorem ducere posses. Et ille: Quid est hoc, quod tibi placet, quod potero tibi ministrare. Quæ ait: Maritus meus ad terram sanctam perrexit, me non multum diligit; si eum per aliquam artem occidere posses, omnia quæ habeo obtineres. Ait clericus: Tibi concedo, ita tamen, quod me in maritum accipies. Quæ ait: Hoc firmiter promitto. Clericus vero quandam imaginem nomine militis fecerat et in pariete ante oculos suos fixit. Interim miles cum per plateam civitatis Romæ transiret, magister quidam peritus ei obviabat et intime eum respexit, et ait ei: Carissime, secretum habeo tibi dicere. At ille: Magister, quod vobis placet, dicite. Qui ait: Hodie tu es filius mortis, nisi auxilium habueris a me; uxor tua est meretrix et de morte tua ordinavit. Miles audiens, quod verum dixisset de uxore sua, ei adhæsit, credidit atque dixit: O bone magister: Vitam meam salva et mercedem condignam tibi reddam. Qui ait: Libenter te salvabo, si feceris, quæ tibi dixero. Ait miles: Præsto sum. Magister balneum fieri fecit et militem vestimentis exuit et balneum intrare mandavit; deinde speculum politum in manum suam trádidit et ait: In speculo respice diligenter, et mirabilia videbis. Ille cum speculum respexisset et magister juxta eum in libro legisset, ait ei: Dic mihi, quid vides? Ait miles: Quendam clericum in domo mea video, qui unam imaginem de cera ad similitudinem meam in pariete fixit. Ait magister: Quid modo vides? At ille: Jam arcum accipit et sagittam acutam in eo ponit et imaginem incipit sagittare. Ait magister: Sicut vitam tuam diligis, cum sagittam ad imaginem volare videris, totum corpus tuum in balneo volve in aqua, donec tibi dixero. Miles cum hoc audisset et vidisset sagittam moveri, corpus suum sub aquá volvit totaliter. Hoc facto ait magister: Caput tuum eleva et in speculo respice. Qui cum fecisset, dixit ei: Quid jam in speculo vides?

possunt in regno meo succedere, quia, si ipsa moreretur, regnum heredem non haberet.

Moralisatio. Carissimi, iste rex est dominus noster Jesus Christus, qui nos regit sicut rex, cujus uxor est humana natura, scilicet in utero virginis copulata. Sed in hoc mundo quasi in hac domo hujus sponsi duo serpentes fuerunt inventi scilicet legis antiquæ. Serpens masculus erat benignitas divinæ misericordiæ. Hæc uxor humana natura vivere per gratiam non potuisset, sed sponsus scilicet Christus elegit sibi mortem in cruce, ut humana natura viveret. Etiam potes hunc sensum applicare de carne et spiritu; ita oportet, quod caro tanquam masculus infructuosus per spiritum occidatur.

Cap. 93.

De hereditate et gaudio fidelis animæ.

Quidam potens dominus duos filios suos misit ad studium, ut studerent et proficerent et ex hoc præbendam obtinerent. Transacto modico tempore misit eis pater literas, ut ad propria remearent. Fratres his auditis ad patriam properaverunt. Unus fratrum valde lætus est de reversione et cum rediit cum lætitia receptus est et in hereditatem constitutus est. Alter frater de reversione turbatus est valde. Qui dum rediit, mater ejus occurrens osculata est eum, et osculando os ejus dentibus ejus abstulit, soror sequens matrem, volens osculari eum, abstulit ei nasum, frater sequens abstulit ei oculos, pater adveniens rapuit eum per capillos et pellem abstraxit.

Moralisatio. Carissimi, iste dives est deus, qui duos filios misit ad studium, scilicet corpus et animam, ut studerent in scholis hujus mundi et in bonis operibus proficerent, et sic æternam vitam scilicet hereditatem possiderent. Literæ sunt mors; hæc litera mittitur, dum homo moritur. Anima gaudens ad eum redit, quæ lætanter recipitur et in hereditatem constituitur. Frater alter, qui invitus redit, est corpus, qui de reversione turbatur, nec mirum, quia miserrime collocatur. Soror et fratres sunt bufones et serpentes, qui nasum et oculos corrodunt. Pater est putredo terræ, quæ capillos et cutem et carnem consumit. De istis parentibus dicit Job. VII: Putredini dixi etc.

Cap. 94.

Quod anima pulchra per peccati lepram infecta pristinam pulchritudinem habere non poterit, nisi per altos gemitus et profunda suspicia.

Erat quidam rex volens peregre proficisci in longinquis partibus et habens unicam filiam formosam sole splendidiorem, nesciens cui fideli mente committeret eam in custodia, tandem commisit uni militi suo secretario, quem tenerrime dilexit, præcipiens ei, ut custodiret eam, ne aggressum haberet ad fontem unum in illa terra vel regione prosilientem; si biberet de ea, efficeretur leprosa; talis naturæ fuerat, tamen amœnissimæ suavitatis. Ut eam miles tam formosam redderet in regressu suæ peregrinationis, sicut jam dictam acceptaverat, perpendens prædictus miles, si ista non faceret, tunc totum servitium suum perderet aususque non esset suum dominum exspectare. Custodia præhabita per aliquod tempus; tandem dicta filia veniens ad fontem occulte bibensque de illo effecta est leprosa. Percipiens hoc miles dolore repletus fugiens cum eadem de regione ad desertum inveniensque ibidem unum reclusorium pulsans manibus intus eremitam quendam inveniens narrans sibi omnia facta prænarrata, dansque eremita dicto militi sanum consilium dicens: Vade ad montem, quem monstravero tibi! Invenies lapidem cum virga quadam; cum dicta virga percuties lapidem acriter, donec habeas de eo humiditatem et liquorem; cum illo lini eam et perunge et fiet sana et pristinam pulchritudinem accipiet. Faciensque prædictus miles sicut sibi dixerat eremita, filia regis pristinam sanitatem et pulchritudinem recepit.

Expositio. Carissimi, iste rex est dominus noster Jesus Christus, qui peregre profectus est, reddere volens patri suo illud, quod de purissima virgine matre sua Maria accepit, videlicet veram humanitatem, quæ in die judicii reversurus est. Per filiam unicam anima nostra, quæ decies clarior sole erit, antequam veniat ad æternam vitam, significatur. Per militem quilibet peccator per omnia delectamenta hujus mundi discurrens, quæ sunt sibi dulcia. Filia effecta est leprosa i. e. peccatis plena. Per egressionem regionis quilibet peccator relinquens secularia et transitoria. Per reclusorium ecclesiam, per eremitam sacerdotem, inveniens ac narrans, sanctam confessionem faciens, dans consilium, pœnitentiam injungens, per montem corpus proprium, per lapidem cor lapideum, per virgam pœnitentiam magnam, videlicet castigationem proprii corporis, orationes eleemosinas jejunia faciens, per humiditatem et liquorem lacrimas oculorum

ac cordis contritiones, sicut in die judicii fiet. Tua unica filia Syon i. e. anima tua salva, formosa ac suo creatori gratiosa etc.

Cap. 95.

Quod Christus restituit nobis hereditatem supernæ patriæ.

Legitur in gestis Romanorum, quod erat quidam tyrannus, Maxentius nomine, qui cives romanos hereditate voluit privare. Incumbente igitur sævitia tyranni fugerunt exterminati ad Constantinum regem in Britanniam. Denique cum multi fluerent, concitaverunt eum adversus tyrannum dicentes: O Constantine rex, restitue nos in regnum nostrum! Ex his verbis commotus est rex Constantinus, armavit se, ascendit equum, et tyrannum prostravit, et sic Romanis hereditatem restituit.

Moralisatio. Carissimi, iste tyrannus diabolus est, qui generi humano fuit crudelis tantum, quod genus humanum cœlesti hereditate privavit. Quod videns genus humanum ad regem Constantinum scilicet ad deum fugit, petens auxilium ab eo, unde Psalm.: Apprehende arma et scutum et exsurge in adjutorium mihi, quia tu es, qui restitues hereditatem meam mihi. His verbis commotus est deus rex et armavit se, cum se divinæ naturæ copulavit, et equum suum ascendit, dum in cruce suspendi voluit, et sic tyrannum prostravit et nobis hereditatem restituit.

Cap. 96.

Quod vita præsens est vita remissionis et gratiæ.

Rex Alexander posuit candelam ardentem in aula sua et misit præcones per totum regnum suum, qui clamaverunt et dixerunt, si aliquis forefecerat contra regem, quod audacter veniret; quamdiu candela arderet, rex forefactum dimitteret; et si quis forefactum haberet et non veniret, candela exstincta morte mala periret. Istud audientibus populis, in regno multi venerunt ad regem et misericordiam petierunt. Rex benigne recepit eos, et multi fuerunt, qui noluerunt venire et neglexerunt; sed quando candela fuit exstincta, rex fecit eos per violentiam afferri et mala morte occidi.

Moralisatio. Carissimi, per regem Alexandrum possumus intelligere Christum, qui est rex regum et dominus dominantium. Posuit candelam ardentem i. e. præsentem vitam, quæ transit tanquam

candela ardens. Præcones missi sunt i. e. prædicatores, qui quotidie clamant, si aliquis forefecerit contra regem i. e. contra Christum, quod audacter veniat quamdiu candela ardet i. e. præsens vita durat, quia Christus est nimis misericors, unde David: Misericordia ejus super omnia opera ejus, sicut pater in latrone etc. Modo aliqui audiunt et veniunt ad regem et misericordiam petunt, ut sunt illi, qui peccata sua dimittunt, mandata dei tenent et vivunt sicut boni Christiani. Illos benigne recipit, et per illos qui noluerunt venire possumus intelligere malos Christianos, scilicet raptores, usurarios et ceteros peccatores. Quando candela est exstincta, i. e. post istam vitam Christus faciet eos venire coram se in die judicii et mala morte occidi i. e. æternam mortem pati, quando dicet eis: Ite maledicti in ignem æternum etc.

Cap. 97.

De morte.

Legitur in chronicis, quod anno XXII ab urbe romana condita populus romanus columnam marmoream in foro romano statuerunt, et ibi imaginem Julii Cæsaris fecerunt et super caput ejus nomen Julii scripserunt, quia in honore ipsius factum fuit. Sed iste Julius Cæsar tria signa in morte vel antequam moreretur accepit; centesimo enim die ante mortem suam cecidit fulmen ante imaginem in foro et in nomine subscripto litteram primam abrasit. Nocte vero procedente diem mortis suæ fenestræ thalami ejus cum tanto strepitu et impetu sunt apertæ, ut domum ruituram æstimaret. Eadem vero die mortis suæ cum ad Capitolium iret, datæ sunt ei literæ indices mortis suæ imminentis, quas si statim legisset, mortem evasisset.

Moralisatio. Carissimi, sic est de nobis et de deo; ut mortem æternam evademus, tria signa nobis deus facit. Primum est deletio litteræ capitalis de nomine; per istam literam, quæ in principio nominis ponitur, intelligitur abundantia divitiarum; hæc enim est, quæ facit hominem habere nomen in terra; nemo enim in istis diebus nominatur in terra, nisi habuerit divitias; hoc patet, nam si quæratur, quis sit melior villæ vel civitatis, statim proponitur, qui plures divitias habet, quamvis sit pessimus. Ecce quomodo divitiæ dant homini nomen, quia si dives non esset, non esset nominatus. Et quia aliquando divitiæ sunt occasio mortis æternæ, ideo deus dat primum signum, quod talem vult salvare, et aufert primam litteram

nominis sui scilicet divitias ab eo et facit eum pauperem, ut sic qui per divitias ab eo recesserat, per paupertatem ad eum redeat. Secundum signum, quod Julius Cæsar accepit, quod juxta cameram suam fuit magnus strepitus. Hæc camera est corpus humanum, quia cum homo videt se esse pulchrum et fortem, statim cadit in peccatum, per quod mors æterna sibi præparatur, et ideo volens eum deus a morte æterna revocare, facit signum, scilicet magnum strepitum circa corpus suum, mittendo scilicet talem et tantam infirmitatem et debilitatem, quod ad mortem creditur ruere et cadere, ut sic qui per pulchritudinem et fortitudinem a deo recesserant, per infirmitatem et debilitatem revocentur et pœniteant. Psalm.: Multiplicatæ sunt infirmitates eorum etc. Exemplum de beato Paulo dicente: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis. Tertium signum, quod Julius Cæsar accepit, fuit, quod litteræ indices mortis imminentis sibi traditæ fuerant, quas si legisset, mortem evasisset. Hoc signum facit deus nobis peccatoribus, qui tunc dicitur tradere litteras indices mortis nostræ, dum sana gratia conscientias nostras illustrat, ut legere possimus peccata nostra, quibus mortem æternam meruimus. Et ideo, dum lucem et gratiam sancti spiritus habemus, literas istas legamus, i. e. peccata nostra referamus bono corde et postea sacerdoti ore, ut sic legendo mortem æternam evadere valeamus, ne literæ clausæ i. e. conscientiæ nostræ non mundatæ post mortem nostram aperiantur et manifestentur toti mundo.

Cap. 98.

Quod deus in hac vita placari potest.

Narratur, quod antiquitus mos erat Romanorum, quod, quando castrum vel aliquam civitatem obsidebant, unam candelam in certa mensura accendebant, et quamdiu candela arderet, parati erant omnes ad pacem recipere, quantumcunque malefactor esset; sed postquam consummata fuerat, omnis justitiæ severitatem exercebant in hostes suos, nec tamen alicui licet daret omnia bona misericordiam facere voluerunt.

Applicatio. Carissimi, sic habet deus se erga peccatores; nam corda nostra civitates animæ sunt obsessa cum vitiis et concupiscentiis per diabolum, mundum et carnem. Deus ex sua misericordia statuit hominibus tempus, in quo, si velint, poterint invenire candelam accensam, i. e. quamdiu vita est in corpore, quantumcunque peccator

misericordiam desideraret, pacem et concordiam dei reciperet. Tota vita nostra est constituta et permissa, ut pœnitentiam faciamus et vivamus, unde salvator dicit: Nolo mortem peccatoris etc. Et ideo, quamdiu anima est in corpore, petamus veniam, et misericordiam obtinebimus. Joh. XVI: Petite et accipietis. Sed certe, cum vita nostra fuerit terminata per mortem, tunc non erit tempus misericordiam petere; et licet petierimus non daretur nobis. Ergo faciamus pœnitentiam, quamdiu sumus in hac vita.

Cap. 99.

De virili pugna Christi et ejus victoria.

Cæsar regnavit, in cujus regno erat quidam miles generosus ac fortis, qui semel per quandam forestam equitabat, bufonem cum serpente vidit pugnare; sed bufo prævaluit et serpentem devicit. Hoc videns miles serpentem juvit, quod bufonem graviter vulneravit, evasit et fugam accepit, tamen per bufonem vulneratus graviter erat miles. Hoc videns miles de equo descendit, sed venenum bufonis in vulnere ejus remansit. Miles domum perrexit et longo tempore in infirmitate vulneris remansit, testamentum suum condidit et ad mortem se paravit. Cum vero semel juxta ignem jacuisset, quasi de vita sua desperatus, serpens, quem a morte salvavit, intravit. Servi videntes serpentem dixerunt: Domine, quidam serpens intravit. Miles cum illum respexit, agnovit eum, quod serpens ille erat, pro cujus defensione vulnera et omnia mala suscepit. Miles ait: Nolite eum impedire. Credo quod nullum malum mihi faciet. Serpens vero coram omnibus ad eum accessit et venenum vulneris cum lingua suxit quousque os plenum habuisset. Statim extra domum cucurrit et venenum extra se projecit, rediit et ad vulnus iterato accessit bis vel ter, quousque totum venenum hausit. Hoc facto miles serpenti lac ad bibendum dedit. Cum vero sic bibisset, bufo a quo miles vulnus recepit intravit et contra serpentem pugnare incepit, ac si esset in vindictam, quod serpens militem sanavit. Miles cum hæc vidisset, ait servis suis: Carissimi, sine dubio iste est bufo, quem vulneravi pro defensione istius serpentis, a quo omnia mala recepi. Si serpentem devincat, me invadet, et ideo, si vitam meam diligitis, illum in continenti occidatis. Servi hoc audientes cum gladiis et fustibus illum occiderunt; serpens vero quasi applaudendo et regratiando hinc inde circa pedes domini se convertit et foras exivit; miles vero perfectam sanitatem recuperavit.

Moralisatio. Carissimi, imperator iste est pater cœlestis, miles est dominus noster Jesus Christus, bufo diabolus, serpens homo, et hoc propter duo. Serpens potest dici homo, primo propter peccati venenum, et propter antidotum ac imaginem Christi, quam homo portat; homo enim contra diabolum habet pugnare, quia dicitur: Non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu deus noster. Quando vero totum genus humanum propter peccatum primi parentis erat suppeditatum, Christus pro nobis pugnavit et diabolum superavit, et ipse graviter vulneratus est, non tantum in uno loco, sed in multis, unde infirmatur, licet non in se, tamen in suis membris. Et ideo, si homo gratus fuerit, debet venenum ab eo extrahere, i. e. infirmitatem et indigentiam a suis expellere per opera misericordiæ, sicut scriptum est Matth. III: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Si vero bufo i. e. diabolus redeat, ut tibi noceat, viriliter contra eum pugnare debes, et servi dei i. e. bonæ virtutes, quas in baptismo recepisti, te juvabunt; et sic diabolum superabis et vitam æternam habebis, ad quam etc.

Cap. 100.

Quod Christus peccatorem non statim per justitiam præcipitat, sed misericorditer eum pœnitentem exspectat.

Diocletianus regnavit, qui statuit pro lege, quod si mulier aliqua sub viro suo esset adulterata, occidi deberet. Accidit casus, quod quidam miles quandam puellam in uxorem duxit et ex ea unum filium genuit; crevit puer et ab omnibus est dilectus. Post hæc pater ejus ad quoddam bellum perrexit et viriliter pugnavit, in quo bello brachium dextrum amisit. Interim eo abeunte uxor ejus est adulterata; redit maritus, adulteratam invenit; unde secundum legem maritus eam occidere deberet; vocavit filium suum et ait: Carissime, mater tua adulterium commisit, unde secundum legem per me mori deberet; sed brachium dextrum amisi, ideo non potero eam occidere; præcipio ergo tibi, ut eam occidas. Ait filius: Lex præcipit, parentes honorare; si ergo deberem propriam matrem occidere, contra legem perpetrarem et matris maledictionem incurrerem; nolo tibi in hoc obedire. Et sic mulier per filium evasit mortem.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est deus pater, miles est dominus Jesus Christus, uxor anima. Deus pater præcepit, si anima

sub Christo adulterata fuerit, occidi deberet æternaliter, scilicet in pœnis permanere, et quotiens anima mortaliter peccat, totiens adulteratur. Deus filius contra diabolum ad bellum perrexit, in quo bello brachium dextrum deposuit, scilicet omnem austeritatem, quod ante incarnationem ejus habuit. Ideo mansuetus factus est, quasi agnus, et non vult nos occidere. Sed deus pater præcepit, ut occidamur; respondit filius: Carnem humanam de matre mea sumpsi, et ideo hominem occidere non potero. Et sic peccator per contritionem et confessionem evadere potest et ad vitam æternam pervenire, ad quam etc.

Cap. 101.

Quod mundus in maligno positus est et undique angustiæ.

Narratur de quodam homine, nomine Ganterus, quod locum gaudendi sine fine optabat; quadam die mane surrexit et solus ad viam ambulabat, quousque ad quoddam regnum pervenit, in quo rex illius regni defunctus nuper erat. Satrapæ regni videntes eum strenuum, illum in regem elegerunt; ille vero sic electus valde est gavisus. Cum autem nox adesset, servi eum in cameram introduxerunt, in quo leonem fortissimum ad caput lecti vidit, ad pedes draconem, ad latus dextrum lecti ursum, ex alio latere serpentes et bufones. Ait Ganterus: Quid est hoc? Numquid me oportet in isto lecto jacere cum istis bestiis? Ajunt: Imo, domine, nam reges ante te in isto lecto jacuerunt et per istas bestias sunt devorati. Ait rex: Mihi omnia bene placent, sed tantum istum lectum cum bestiis abhorreo, quod rex vester esse nolo. Et ab eis recessit et ad aliud regnum pervenit, ubi similiter in regem est electus. Cum nox adesset, cameram intravit, lectum pulcherrimum novaculis acutis plenum vidit. Ait Ganterus: Nonne oportet me in isto lecto jacere? Servi dixerunt: Etiam, domine, nam reges ante te hic jacuerunt et in isto lecto mortui sunt. At ille: Omnia bona sunt, excepto isto lecto, et ideo rex vester esse nolo. Mane surrexit et viam trium dierum solus perrexit. In via quendam senem super fontem invenit sedentem, habentem in manu sua baculum et ait: Gantere carissime, unde venis? At ille: De partibus remotis. Quo pergas? At ille: Tria quæro et invenire non potero. Quæ sunt illa tria? Ganterus respondit: Primum est abundantia sine defectu, secundum est gaudium sine tristitia, tertium est lumen sive lux sine tenebris. Ait senex: Baculum istum accipe et per istam viam perge! Montem altum videbis ante te; ad pedem montis stat una scala habensque sex gradus. Scalam ascende! Cum vero ad

sextum gradum perveneris, in summitate montis palatium pulcherrimum videbis. In janua tres ictus percute! Janitor tibi respondebit. Ostende ei baculum istum et dicas: Qui est dominus istius baculi, tibi præcepit, ut me intrare permittas. Cum vero introitum habueris, ibidem tria quæ quæris invenies. Ille vero omnia adimplevit, sicut ei senex dixerat; cum vero janitor baculum vidisset, ei introitum dedit, ubi illa tria et multa plura invenit et ibidem toto tempore vitæ suæ permansit.

Moralisatio. Carissimi, iste Ganterus potest dici quilibet bonus christianus, qui mundum simpliciter debet spernere et ista tria quærere, scilicet abundantiam sine defectu, gaudium sine tristitia, lumen sine tenebris. Ista non poterunt haberi, nisi in vita æterna et hoc cum magno labore. O homo, fac tu, sicut fecit Ganterus, perge viam trium dierum i. e. per orationem, jejunium et eleemosinam. Si contingat ad quoddam regnum pervenire, i. e. mundana aliqua et cives i. e. mundanæ vanitates te in regem eligunt i. e. cor tuum in superbiam ducunt, respice ad lectum! Lectus iste est vita humana, in qua per breve tempus jacebis. Sed respice ad leonem i. e. diabolum semper contra te paratum, et draconem i. e. mortem, quæ te in omni loco exspectat, et ursum i. e. propriam conscientiam, quæ te condemnabit, et vermes i. e. peccata tua, quæ te accusabunt. Si ista intime cogitaveris, cito de regno hujus mundi te expedire poteris. Deinde ad aliud regnum perrexit etc. Sic homo, si diabolum in una parte superaverit, hominem ad aliud regnum scilicet peccati ducit, scilicet ad regnum carnis, in quo regnant deliciæ carnales et voluptates. Si eis consentires, factus eris filius perditionis; attende ergo ad lectum. Lectus iste est infernus, in quo dives ille jacet plenus novaculis scilicet pœnis gravissimis. Si istum lectum intime recogites, delicias carnis omnino respues. Si velis ergo ista tria invenire, quære senem cum baculo, scilicet dominum nostrum Jesum Christum, qui tibi concedat baculum sanctæ crucis. Baculus iste est pœnitentia, quæ debet ad viam salutis dirigere, unde Psalm.: Virga tua et baculus tuus etc. Sed post hoc oportet te ascendere scalam sanctæ vitæ, in qua sunt gradus VII, scilicet VII opera misericordiæ, per quæ potest ad æternam vitam perveniri. Sed oportet tres ictus facere, scilicet contritionem, confessionem et satisfactionem habere; tunc janitor i. e. bonitas divina te in regnum æternum perducet; ibi abundantiam sine defectu, gaudium sine tristitia, lumen sine tenebris invenies. Ad quod lumen etc.

Cap. 102.

De transgressionibus animæ et vulneribus ejus.

Titus regnavit, in cujus imperio erat quidam miles generosus, deo valde devotus, qui uxorem pulchram habebat, sed sub viro suo adulterata est, nec de adulterio desistere volebat. Miles vero cum hoc vidisset, contristatus est valde; in animo suo cogitabat, terram sanctam visitare. Ait uxori suæ: Carissima, ad terram sanctam pergam, vos discretioni vestræ committo. Cum autem ultra mare perrexit, domina quendam clericum, peritum in nigromantia, dilexit et cum eo dormivit. Accidit semel, quod, cum invicem in stratu jacuissent, dixit domina: Si unam rem mihi perpetrares, me in uxorem ducere posses. Et ille: Quid est hoc, quod tibi placet, quod potero tibi ministrare. Quæ ait: Maritus meus ad terram sanctam perrexit, me non multum diligit; si eum per aliquam artem occidere posses, omnia quæ habeo obtineres. Ait clericus: Tibi concedo, ita tamen, quod me in maritum accipies. Quæ ait: Hoc firmiter promitto. Clericus vero quandam imaginem nomine militis fecerat et in pariete ante oculos suos fixit. Interim miles cum per plateam civitatis Romæ transiret, magister quidam peritus ei obviabat et intime eum respexit, et ait ei: Carissime, secretum habeo tibi dicere. At ille: Magister, quod vobis placet, dicite. Qui ait: Hodie tu es filius mortis, nisi auxilium habueris a me; uxor tua est meretrix et de morte tua ordinavit. Miles audiens, quod verum dixisset de uxore sua, ei adhæsit, credidit atque dixit: O bone magister: Vitam meam salva et mercedem condignam tibi reddam. Qui ait: Libenter te salvabo, si feceris, quæ tibi dixero. Ait miles: Præsto sum. Magister balneum fieri fecit et militem vestimentis exuit et balneum intrare mandavit; deinde speculum politum in manum suam trádidit et ait: In speculo respice diligenter, et mirabilia videbis. Ille cum speculum respexisset et magister juxta eum in libro legisset, ait ei: Dic mihi, quid vides? Ait miles: Quendam clericum in domo mea video, qui unam imaginem de cera ad similitudinem meam in pariete fixit. Ait magister: Quid modo vides? At ille: Jam arcum accipit et sagittam acutam in eo ponit et imaginem incipit sagittare. Ait magister: Sicut vitam tuam diligis, cum sagittam ad imaginem volare videris, totum corpus tuum in balneo volve in aqua, donec tibi dixero. Miles cum hoc audisset et vidisset sagittam moveri, corpus suum sub aquâ volvit totaliter. Hoc facto ait magister: Caput tuum eleva et in speculo respice. Qui cum fecisset, dixit ei: Quid jam in speculo vides?

At ille: Imaginem non percussam, sed a latere sagitta abiit, et de hoc clericus multum dolet. Ait magister: Jam in speculo quid facit? Respice! Et ille: Jam magis prope pergit ad imaginem et sagittam in arcum ad percutiendum ponit, ut imaginem percutiat. Qui ait: Sicut prius fecisti, et modo facias, si vitam tuam diligis. Miles vero cum per speculum vidisset, quod clericus arcum tenderet, totum corpus suum volvit in aqua. Hoc facto ait magister: Respice, quid modo est? Quod cum fecisset, dixit: Miro modo dolet clericus, quod imaginem non percussit, et uxori meæ dicit: Si tertia vice imaginem non percutiam, perdam vitam meam prope imaginem. Modo pergit ita, quod mihi videtur; quod non poterit decipi, quin imaginem percutiat. Ait magister: Sicut vitam tuam diligis, jam curam habeas, ut cum arcum videris trahi, totum corpus tuum sub aqua involvas, donec tibi dixero. Miles semper in speculo respiciebat, et cum clericum arcum extendere ad percutiendum vidisset, corpus suum in aqua involvit, donec magister ei dixit: Surge velociter et in speculo respice. Quod cum vidisset miles, ridebat. Ait magister: Carissime, dic mihi, quare rides? At ille: Clare in speculo video quod clericus imaginem non percussit et sagitta est reversa et eum inter pulmonem et stomachum percussit, et mortuus est. Uxor mea sub lecto meo foveam fecit et eum ibi sepelivit. Ait magister: Surge velociter et vestimenta indue, et ora deum pro me. Ille vero ei de vita sua gratias reddidit, factaque peregrinatione ad suam terram miles perrexit. Cum vero domum venisset, uxor ejus obviam ei venit, et cum gaudio eum recepit. Miles vero per plures dies dissimulabat; tandem pro parentibus uxoris misit et eis ait: Carissimi, hæc est causa, quare misi pro vobis: hæc est filia vestra, uxor mea, quæ adulterium sub me commisit et, quod pejus est, in mortem meam machinata est. Illa vero cum juramento negavit. Miles vero incepit et totum processum clerici recitavit. Quod si non creditis, venite et videte locum, ubi clericus sepultus est. Eos ad cameram suam duxit et corpus clerici sub lecto ejus invenerunt. Judex est vocatus, et sententiam dedit, ut ipsa igni combureretur; et sic factum est, et pulvis corporis post per aerem dispergitur. Deinde miles sibi virginem pulchram in uxorem accepit et ex ea prolem genuit et in pace vitam finivit.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est dominus noster Jesus Christus, miles vero homo, uxor caro, quæ totiens adulteratur, quotiens peccatum mortale committit; homo hoc percipiens debet ad terram sanctam i. e. ad regnum cœleste per opera meritoria adire; in via occurrit ei magister i. e. discretus confessor, qui peccatorem

habet informare; clericus est diabolus, qui hominem tenet per carnales voluptates in potestate sua; erigit imaginem i. e. animam per humanam superbiam et vanitatem; accipit arcum cum sagitta; arcus est mundus iste, cujus cornua sunt superbia vitæ et concupiscentia oculorum; arcum istum tenet avarus; sagitta acuta est superbia, per quam multi occiduntur, sicut patet de Lucifero et primo parente Adam. Lucifer dicebat: Ascendam super astra cœli et similis ero altissimo. Et econverso sagitta rediit et eum occidit. Adam concupivit, quod non debuit et ideo occidetur; imago animæ bene poterit esse de cera, quia sicut cera perit i. e. fluit a facie ignis, sic pereunt peccatores a facie dei. Quid ergo est faciendum, ne diabolus nos sagittet et occidat? Certe balneum intremus; istud balneum est confessio, in qua et per quam lavari debemus ab omni sorde peccati; sed oportet speculum politum tenere i. e. sacram scripturam in manu tua, i. e. debes libenter sermones audire et verba ædificatoria, in quibus poteris pericula præcavere et sagittas diaboli expellere. Sed dic mihi, quomodo? Ecce viam! Cum arcus diabolicus contra animam tuam per aliquam tentationem tetenditur, involve totum corpus tuum i. e. quidquid fecisti cogitando, delectando, consentiendo in balneo confessionis et peccatum evanescet; cum vero mundatus fueris, et diabolus occisus i. e. devictus, indue te vestimentis tuis, i. e. bonis virtutibus, quas in baptismo recepisti, et perge ad domum conscientiæ tuæ et extrahe corpus defuncti i. e. in quibus peccatis caro tua a via veritatis deviabat, et tunc carnem igne pœnitentiæ combure et ossa i. e. peccata inveterata annihilentur et sic per ventum i. e. cordis amaritudinem expellantur, et poteris virginem ducere i. e. carnem a vitiis purgatam per ignem divinæ misericordiæ et gratiæ et prolem i. e. bonas virtutes per consequens generare, per quam poteris ad æternum bravium pervenire, quod nobis concedat etc.

Cap. 103.

De omnibus rebus cum consensu et providentia semper agendis.

Domitianus regnavit, prudens valde et per omnia justus, quoniam nulli parcebat, quin per viam justitiæ transiret. Accidit semel, dum in mensa sederet, venit quidam mercator et ad januam pulsavit; janitor vero portam aperuit et, quid ei placeret, quæsivit. At ille: Mercator sum, aliqua habeo ad vendendum utilia pro persona im-

peratoris. Janitor hoc audiens eum introduxit; ille vero imperatorem satis humiliter salutavit. Ait ei imperator: Carissime, quale mercatorium ad vendendum habes? Et ille: Domine, tres sapientias. Qui ait: Et quomodo mihi dabis quamlibet sapientiam? Et ille: Pro mille florenis. Ait rex: Et si sapientiæ tuæ mihi non prosunt, pecuniam meam perdo. Ait mercator: Domine, si sapientiæ meæ in vobis locum non obtinent, pecuniam reddam. Ait imperator: Optime dicis, dic modo mihi sapientias, quas mihi vendere velis. Et ille: Domine, prima sapientia est ista:

Quidquid agas, prudenter agas, et respice finem.

Secunda est ista: Nunquam viam publicam dimittas propter semitam. Tertia sapientia est ista: Nunquam hospitium ad manendum de nocte in domo alicujus accipias, ubi dominus domus est senex et uxor juvencula. Hæc tria custodias, et bene tibi erit. Rex dedit ei pro qualibet sapientia mille florenos; et primam sapientiam, scilicet: Quidquid agas etc., fecit scribi in aula, in camera et in omnibus locis, in quibus ambulare solebat, et in mappis, in quibus comedebat. Post hæc cito, quia tam justus erat, multi de imperio contra eum conspirabant, ut eum occiderent, et quia per viam potentiæ hoc adimplere non poterant, cum barbitonsore ejus loquebantur, ut, cum barbam ejus raderet, guttur ejus scinderet, et mercedem haberet. Barbitonsor vero, accepta ab eis pecunia, fideliter adimplere promisit. Cum vero imperator radi deberet, barbitonsor barbam lavit, et dum incepit radere, respexit inferius, vidit manutergium circa collum ejus, in quo erat scriptum:

Quidquid agas, prudenter agas, et respice finem.

Cum barbitonsor scripturam legisset, intra se cogitabat: Hodie sum conductus, ut istum hominem occidam; si hoc fecero, finis meus erit pessimus, nam morte turpissima ero condemnatus, quia, quidquid agas, bonum est, respicere finem, ut dicit ista scriptura. Statim manus ejus inceperunt tremere ita, quod novacula de manibus ejus cecidit. Hoc percipiens rex ait: Dic mihi, quid tibi est? Et ille: O domine, miserere mei, hodie sum conductus propter pretium te occidere; a casu sicut deus voluit scripturam manutergii legi, scilicet: Quidquid agas etc.; statim consideravi, quod finis meus esset mors turpissima, ideo manus meæ tremebant. Imperator cum hoc audisset, intra se cogitabat: Prima sapientia vitam meam salvavit, bona hora pretium pro ea dedi. Et ait barbitonsori: Amodo sis fidelis, tibi remitto. Satrapæ imperii hoc videntes, quod non poterant per illam viam eum occidere, intra se tractabant, quomodo eum occiderent, ad invicem dixerunt: Tali die recedet versus illam civitatem; simus illo die in semita abscond

per quam transitum faciet, et eum occidamus. At illi: Bonum est consilium. Rex eodem tempore versus civitatem præparabat se, et quum equitasset usque ad semitam illam, dixerunt ei sui milites: Domine, bonum est, per istam semitam transire, quam per latam viam, quia propinquius est. Rex intra se cogitabat: Secunda sapientia erat, quod nunquam viam publicam propter semitam dimitterem. Sapientiam meam tenebo. Dixitque militibus suis: Nolo viam publicam dimittere, vos ergo, qui vultis per semitam pergere, ite et omnia in adventu meo præparate. Illi vero per semitam perrexerunt et inimici regis cum essent in semitis credebant, quod rex inter eos esset, omnes surrexerunt et quotquot venerunt, occiderunt. Rex cum hoc audisset, ait intra se: Jam secunda sapientia mea vitam meam salvavit. Illi de imperio videntes, quod per illam astutiam eum occidere non poterant, intra se conspirabant, quomodo eum necarent, dixeruntque intra se: Tali die manebit in domo illius, in qua omnes nobiles hospitantur, quia aliud non est pro eo hospitium. Conveniamus pretio cum hospite et uxore, et cum imperator in stratu suo jacuerit, eum occidamus. At illi: Bonum est consilium. Cum vero rex ad illam civitatem venerat, in eadem domo hospitatus erat, fecit ad se vocari hospitem domus; cum eum vidisset, apparuit senex valde. Ait imperator: Numquid uxorem habes? Et ille: Etiam, domine. Qui ait: Ostende mihi eam! Quam cum rex vidisset, apparuit juvencula, habensque XVIII annos in ætate. Ait rex camerario suo: Perge cito et lectum meum alibi præparabo, quia hic non manebo. At ille: Etiam, domine; sed jam parata sunt omnia, ideo non est bonum, alibi jacere, eo quod in tota civitate non est pro nobis hospitium utilius. Et ille: Ego dico tibi, quod alibi jacere volo. Statim camerarius omnia movebat, et rex occulte ad alium locum accessit et militibus suis dixit: Vos, qui vultis hic manere, potestis, sed mane ad me accedatis. Cum omnes dormirent, senex cum uxore sua surrexit, quia pretio conducti erant, ut regem dormientem occiderent, et omnes milites occiderunt. Mane vero surrexit rex et milites suos occisos invenit. Ait in corde suo: O si hic jacuissem, cum aliis necatus fuissem. Jam tertia sapientia vitam meam salvavit. Senem cum uxore sua et tota familia in patibulo suspendi fecit et quamdiu rex vixit, istas tres sapientias secum retinuit et vitam beatam finivit.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator potest dici quilibet bonus christianus, qui habet imperium corporis sui et animæ suæ, suam animam regere; janitor in porta est voluntas libera; nullum est peccatum, nisi sit voluntarium; mercator, qui venit ad portam, est dominus noster Jesus Christus, juxta illud apocalyps.: Ego sto ad

ostium et pulso; si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum et cœnabo cum eo. Unde quotidie vendit tibi pro anima tua tres sapientias. Floreni sunt virtutes animæ; prima sapientia, scilicet Quidquid agas etc., hoc est, quidquid facis, primo et principaliter debet esse propter deum, et in omni actu sive temporali sive spirituali finem respicias, juxta illud proverb.: Memorare novissima tua et in æternum non peccabis. Secunda sapientia: Nolite viam publicam dimittere propter semitam. Via publica est via decem præceptorum, quæ debes semper tenere usque ad mortem et nunquam per semitam malæ vitæ ambulare, sicut hæretici faciunt. Tertia sapientia est: Nunquam hospicium ad manendum de nocte in domo alicujus accipias etc. Senex iste est mundus iste, qui habet juvenculam in uxorem i. e. vanitatem. De die in diem oritur immunda et nova vanitas, unde, si in mundo hospitatus fueris, sine dubio timendum est tibi de morte, quia nemo potest deo et mundo servire. Satrapæ, qui contra regem conspiraverant, dæmones sunt, qui semper nituntur, homihem spiritualiter occidere, et si non possunt per se, loquuntur cum barbitonsore i. e. carne, quæ ad modum barbitonsoris radit omnes pilos. Caro per voluntatem suam radit virtutes, quas in baptismo homo recepit. Sed si homo ad finem suum respiceret, scilicet ad mortem, qua morte debemus mori, vel ubi, vel quando, recederet a nobis omnis malus actus. Studeamus ergo, tenere istas tres virtutes, et sic poterimus ad æternum bravium pervenire.

Cap. 104.

De beneficiorum memoria.

Quidam miles erat, qui super omnia venari dilexit. Accidit uno dierum, quod ad venandum perrexit. Occurrit leo claudicans et pedem militi ostendit. Miles vero de equo descendit et spinam acutam de ejus pede extraxit et unguentum vulneri apposuit; et sanatus est leo. Post hoc vero rex illius regni in eodem nemore a casu venabatur et illum leonem accepit et multis annis secum nutrivit. Miles ille contra regem forefecit et ad eandem forestam fugam petiit, ubi omnes transeuntes spoliavit et occidit. Rex vero illum captivavit et contra eum sententiam dedit, ut leoni daretur ad devorandum, et quod nihil aliud ad comedendum ei daretur ad hoc, ut militem devoraret. Miles vero, cum in foveam esset projectus, multum timuit exspectansque horam, quando devoraretur; leo vero eum

intime respexit et cum notitiam ejus haberet, applausum ei fecit et septem diebus sine cibo remansit. Rex vero cum hoc audisset, admirabatur, fecit militem de fovea extrahi et ait ei: Dic mihi, o carissime, quomodo hoc poterit esse, quod leo tibi non nocuit? Qui ait: Domine, a casu per forestam equitavi, leo iste claudicans mihi occurrebat, ego vero spinam de pede ejus extraxi et vulnus sanavi, et ideo ut credo mihi pepercit. Ait rex: Ex quo leo non nocuit tibi, ego tibi parcam, amodo studeas vitam tuam corrigere. Ille vero gratias regi reddidit et post hoc in omnibus est emendatus et finivit vitam suam in pace.

Moralisatio. Carissimi, miles iste, qui venatus est, est homo mundanus, qui quotidie studet, quomodo bona mundana poterit acquirere. Leo claudicans est totum genus humanum, quod per peccatum primi parentis claudicabat, antequam spina i. e. peccatum originale per baptismum erat extractum et cum unguento bonarum virtutum salvatum. Post hoc miles contra regem deum omnipotentem surgit, quotiens mortaliter peccat et virtutibus spoliatur, quas in baptismo recepit, sed leo scilicet genus humanum capitur, quotiens divinis præceptis obligatur et in foveam pœnitentiæ projicitur; si vero miles homo peccator in eadem fovea projicitur, malum corporis ei evenire potest et etiam bonum, quia salutem animæ potest promereri. Quam nobis etc.

Cap. 105.

De vicissitudine cujuslibet boni et præsertim recte judicantium.

Theodosius regnavit prudens valde, qui lumen oculorum amiserat, qui quandam legem dedit, quod quædam campana in palatio esset posita, et quicunque causam aliquam tractare haberet, cordam campanæ propriis manibus pulsaret, ad cujus pulsationem judex, qui ad hoc esset constitutus, descenderet et unicuique justitiam faceret. Erat autem serpens, qui sub corda campanæ nidum fecerat, et infra tempus breve pullos produxit, et cum pulli ambulare peterant, perrexit quodam die ad spaciandum cum pullis extra civitatem. Cum vero serpens absens esset, bufo nidum ejus intravit et occupavit; serpens cum pullis rediens et bufonem nidum occupantem videns contra eum pugnavit, sed bufonem devincere non poterat, et sic bufo nidum occupavit. Serpens cum hoc vidisset, caudam suam circa cordam campanæ involvit et fortiter traxit ac pulsavit ac si diceret: Descende, judex, et fac mihi justitiam, quia injuste bufo nidum meum occupat. Judex cum campanam audisset, descendit, neminem videns, iterato

ascendit; hoc videns serpens iterum pulsavit; judex hoc audiens descendit, et cum serpentem cordam trahentem vidisset, et bufonem locum ejus occupantem, ascendit, et totum regi denunciavit. Ait ei rex: Descende et non tantum bufonem expelle, sed illum occide, ut serpens locum suum occupet! Quod et factum est per omnia. Post hæc vero uno dierum cum rex in stratu suo jacuisset serpens cameram suam intravit portansque in ore suo lapidem pretiosum. Hoc cum vidissent servi, regi dixerunt de introitu serpentis, ac ille: Nolite eum impedire! Credo quod nullum malum mihi faciet. Serpens super lectum ejus ascendit et versus faciem ejus perrexit; cum vero ad oculos venisset, lapidem super os cadere permisit et statim cameram exivit; cum vero lapis duos oculos ejus tetigisset, rex clarum visum recepit; non modicum gaudens, serpentem requiri fecit, sed non est inventus; lapidem secum custodivit et vitam in pace finivit.

Moralisatio. Carissimi, rex iste potest dici quilibet homo mundanus, qui tenetur regere se ipsum, et tamen cæcus est quantum ad spiritualia, sed videns clare quantum ad temporalia. Campana suspensa est lingua prædicatoris, quæ certis temporibus debet pulsari. Corda campanæ est sacra scriptura, per quam prædicator habet descendere, et virtutes atque vitia intimare, quomodo peccatores per virtutes poterunt cœlum ascendere, et per peccata infernum introire. Serpens, qui fecit nidum sub corda campanæ, est discretus confessor, qui habet se ponere sub sacra scriptura et in nido i. e. in corde peccatoris pullos i. e. bonas virtutes producere. Si vero aliquis sensus per peccatum sit inviciatus, habet cordam sacræ scripturæ pulsare, tunc judex i. e. ratis debet descendere, et omnia per veram confessionem excutere et corrigere; sed sæpe contingit, quod prælati et confessores sunt tepidi et negligentes et pergunt extra ad mundana et sic subditi manent in periculo, quia bufo i. e. diabolus locum occupat. Quid ergo est faciendum? Certe ut confessor redeat ad peccatorem ducendo secum pullos i. e. bonas virtutes. Serpens habet duo, portat venenum pœnitentiæ et antidotum absolutionis salutis animæ et debet contra diabolum pugnare informando peccatorem quomodo diabolo est resistendum, et sic eum de corde peccatoris expelles. Deinde serpens lapidem portavit; sic discretus confessor per sacram scripturam debet peccatori lapidem i. e. Christum dare, de cujus virtute visum spiritualem potest recipere et per consequens vitam æternam obtinere.

Cap. 106.

Quod est vigilandum contra fraudes diaboli, ne nos decipiat.

Olim erant tres socii, qui ad peregrinandum pergebant. Accidit, quod cibaria præter unum panem invenire non poterant, et erant famelici valde et dixerunt ad invicem: Si iste panis in tres partes dividatur, unicuique pars non sufficeret ex nostris ad saturandum; habeamus ergo sanum consilium, quomodo debeamus de isto pane disponere. Ait unus: Hic in via dormiemus et quilibet somnium habeat, et qui majus mirabile viderit, ille totum panem habeat. Responderunt alii duo: Bonum est consilium. Et inceperunt dormire. Ille, qui consilium dederat, surrexit et ipsis dormientibus panem totaliter comedit, nec unicam micam sociis suis dimisit. Hoc facto socios suos excitavit dicens: Surgite velociter! Tempus est, ut quilibet somnium suum dicat. Ait primus: Carissimi, mirabile somnium vidi, scilicet unam scalam auream de cœlo descendentem, per quam angeli descenderunt et ascenderunt et animam meam usque ad cœlum de corpore meo extraxerunt. Quando ibi eram, patrem et filium et spiritum sanctum vidi, et tantum gaudium circa animam meam erat, quod oculus non vidit, nec auris audivit, quod ibidem percepi; et istud est somnium meum. Ait secundus: Et ego vidi, quod dæmones cum instrumentis ferreis ac igneis animam meam de corpore meo traxerunt et ibidem me male tractaverunt et dixerunt: Quamdiu deus regnat in cœlo, permanebis in isto loco. Ait tertius: Audite somnium meum! Mihi videbatur, quod quidam angelus ad me venit et ait: Carissime, vis videre, ubi sunt socii tui? Respondi: Etiam, domine, quia inter nos habemus unum panem dividere; timeo, quod cum pane recesserint. At ille: Non est ita; sed panis juxta vos jacet; sequere me. Duxit me ad portam cœli, caput meum tamen secundum præceptum suum infra portam posui, et vidi te; et videbatur mihi, quod ad cœlum raptus fuisti et sederes in throno aureo et multa cibaria ac vina opposita ante te; dixitque angelus mihi: Ecce, socius tuus abundat in omni gaudio et in cibariis, et ibidem in æternum permanebit, quia, qui semel regnum cœleste intraverit, exire non poterit. Jam mecum veni, et ostendam, ubi alius socius tuus est. Cum vero post hoc secutus illum fuissem, duxit me ad portas inferni, et ibi vidi te, sicut dixisti, in pœnis gravissimis, et cum tibi quotidie ministrabatur panis ac vinum infernale in magna copia; tunc a te quæsivi: O carissime socie, mihi displicet, quod in istis pœnis jaces; tu vero respondisti mihi, quod, quamdiu deus regnat

in cœlo, hic permanebo, quia hoc merui; surge ergo cito et totum panem comede, quia ammodo nec me, nec socium nostrum videbis. Ego vero cum hoc vidi, surrexi et, sicut dixisti, totum panem comedi.

Moralisatio. Carissimi, per istos tres socios tria genera hominum intelligere debemus. Per primum Saracenos et Judæos; per secundum divites ac potentes hujus mundi; per tertium viros perfectos, sicut sunt religiosi ac ceteri homines deum timentes; per panem rotundum regnum cœleste intelligere debemus. Panis iste, scilicet regnum cœleste, dividitur inter tria genera hominum, secundum merita sua aliqui majus, aliqui minus recipiunt. Primi, scilicet Saraceni ac Judæi, dormiunt in peccatis suis et credunt, cœlum habere, Saraceni per promissionem Mahomedi, cujus legem tenent, qui eis promisit, in cœlo regnare; Judæi etiam credunt per legem mosaicam illud obtinere. Ista creditio est quasi somnium. Secundus socius, qui somniavit, se esse in inferno, sunt isti divites ac hujus mundi potentes, qui sine aliqua dubitatione per prædicatores ac confessores sciunt, quod si in peccatis sine contritione decedunt, quod ad infernum descendunt et ibi æternaliter puniantur, et hoc non obstante die ac nocte peccata super peccata accumulant; et ideo de divitibus scribitur: Ubi sunt potentes mundi hujus, qui cum canibus et avibus ludebant? Mortui sunt et ad infernum descenderunt. Tertius socius, scilicet bonus christianus, qui nec in peccatis nec in mala fide dormit, sed in bonis operibus vigilat, per consilium angeli i. e. spiritus sancti dona, vitam suam sic diriget, ut panem scilicet regnum cœleste habeat.

Cap. 107.

De memoria mortis et non delectando in temporalibus.

Erat quædam imago in civitate romana, quæ rectis pedibus stabat habebatque manum dextram extensam, et super medium digitum erat superscriptio: Percute hic! Imago ista a longo tempore sic stabat eo, quod nullus sciebat, quid hoc significaret: Percute hic! Multi admirati sunt et sæpius ad imaginem venerunt titulum respiciendo, et sic recesserunt, quod superscriptionem penitus ignorabant. Erat quidam clericus subtilis, qui, cum de imagine audisset, multum sollicitus erat eam videre; dum autem eam vidisset et superscriptionem legisset: Percute hic! vidensque solem super imaginem per solis umbram digitum discernebat, per quem dicebat: Percute hic! Statim ligonem accepit et vix per distantiam trium pedum fodiebat

et quosdam gradus descendentes inveniebat. Clericus non modicum gaudens super gradum descendit, quousque sub terra nobile palatium invenit, aulam intravit, videnque regem et reginam et multos nobiles in mensa sedentes respexit et circumquaque totam aulam plenam hominibus et omnes erant vestibus pretiosis induti, nullus ex omnibus unicum verbum ei loquebatur, respexitque ad unum angulum et vidit lapidem politum, qui vocatur carbunculus, a quo tota domus lucem recepit, et ex opposito carbunculi in angulo hominem stantem habentemque in manu sua arcum paratum cum sagitta ad percutiendum et in fronte ejus erat scriptum: Ego sum qui sum, nullus arcum meum vitare potest et præcipue carbunculus ille, qui relucet tam splendide. Clericus cum hoc vidisset, admirabatur, cameram intravit et mulieres pulcherrimas in purpura et pello operantes invenit et nullum verbum ei dixerunt. Deinde stabulum equorum intravit et optimos equos et asinos et sic de ceteris invenit, eos tetigit, et ad tactum suum lapides apparuerunt. Hoc facto omnia habitacula palatii visitavit, et quidquid cor ejus desiderabat, hoc invenit; deinde sicut prius aulam intravit et de recessu cogitabat et in corde suo dicebat: Mirabilia vidi hodie, et quidquid cor desiderat, hoc poterat invenire; verumtamen nullus dictis meis credet de istis quæ vidi; et ideo bonum est, in signum veritatis aliquid mecum portare. Ad mensam superiorem respexit, ciphos aureos ac cultellos optimos vidit; ad mensam accessit, unum ciphum cum cultello de mensa levavit, ut secum portaret. Cum vero in sinu suo collocasset, imago, quæ in angulo cum arcu et sagitta stabat, ad carbunculum sagittam direxit et illum percussit et in multas partes divisit. In continenti tota aula facta est sicut nox tenebrosa; clericus videns totaliter est contristatus; viam exeundi propter nimiam obscuritatem invenire non poterat; et sic in eodem palatio misera morte mortuus est.

Moralisatio. Carissimi, ista imago, quæ dicit: Percute hic, est diabolus, qui circuit quærens, quem devoret, qui habet manum extensam, i. e. potentem super peccatores decipiendos, qui dicit: Percute hic, i. e. homini avaro dicit: Percute hic, in terra bona mundana appetendo, cor tuum in terrenis ponendo. Clericus, qui venerat, postquam alii recesserunt, est homo cupidus sive avarus, qui sicut bonus clericus die ac nocte studet, ut scientiam sibi ipsi imprimat et alios doceat, nec satiari poterit, quin semper nova inveniet; eodem modo homo cupidus die ac nocte studet in terra et mari, quomodo poterit bona mundana acquirere, nec oculi ejus satiantur; et ideo contra tales dicit Seneca: Cum omnia peccata senescunt, sola cupiditas juvenescit. Illi, qui venerunt ad imaginem, sunt boni christiani

et præcipue religiosi, qui mundum respiciunt, quantum ad victum et vestitum, et sic recedunt, nec superscriptionem diaboli curant; tales pericula evadent. Clericus vero per umbram digiti in terram percussit; sic avarus per umbram scilicet mundi vanitatem, quæ est quasi umbra transiens, accipit ligonem i. e. corpus condensum et assensum ac intellectum, per quæ divitias mundi incipit fodere; tum vero gradus invenit, descendit, primus gradus est superbia, secundus concupiscentia oculorum, tertius concupiscentia carnis. Per istos gradus et alios diversos cupidus descendit, et pulchrum palatium, ut ei videtur, plenum hominibus ac vanitatibus invenit, scilicet mundum istum, in quo et in quibus miser homo miro modo delectatur. Imago, quæ cum arcu stabat, est mors, quæ semper est parata, quemlibet nostrum percutere, sicut dicit scriptura in fronte: Ego sum, scilicet mors, quia multo tempore in mundo isto introducta sum per peccatum primi parentis; et nullus poterit, quantumcunque dives, generosus aut fortis, arcum meum evadere. Carbunculus est vita hominis; quamdiu vita in eo manet, dat ei lumen carbunculus i. e. vitam potest habere, sed tamen avarus melius credit et sperat vivere, et bona mundana, quæ intelliguntur per ciphum et cultellum in sinu suo scilicet in archa sua, credit includere; venit mors et percutiet cum sagitta i. e. cum gravi infirmitate vitam suam, et statim fit obscuritas in tantum, quod omnes sensus lumen suum ac virtutem amittunt; et jacet corpus ibi mortuum et miserabiliter, quod infra triduum incipit fœtere; tunc diabolus animam rapit, amici et consanguinei bona sua, quæ cum maledictione dei acquisivit, obtinebunt; cadaver terra ac vermes corpus occupabunt; et sic nihil peccatori relinquitur, nisi pœna æterna. Studeamus etc.

Cap. 108.

De promissionis fideli constantia.

Erat quidam imperator, in cujus imperio erant duo latrones, ad invicem confœderati juramento, ut nullus alium dimitteret in necessitate, sed quilibet pro altero vitam poneret. Multa mala ad invicem perpetraverunt, scilicet furtum et homicidium. Accidit semel, quod unus sine altero et eo absente cum furto captus erat et in carcerem cum compedibus positus. Quod audiens socius ejus, alter latro ad eum venit et dixit: Carissime socie, dic mihi, in fide ligati sumus. At ille: Ut mihi videtur, mori debeo, quia comprehensus sum cum

furto; si velles tamen facere istud, quod tibi dixero, semper essem tibi obligatus. Uxorem et parvulos ac familiam habeo, de eis nihil ordinavi, nec de bonis meis; si in loco meo posses exspectare in carcere, et hoc poteris a judice inquirere, domum vadam et de uxore et familia et de bonis meis ordinabo et tempore debito revertar et liberabo te. Ait ille: Istud satis fideliter adimplebo. Perrexit ad judicem et ait: Domine mi, amicus meus captus est et in carcere positus; mortem, ut credo, evadere non potest; si placet, tantum unam petitionem a vobis peto, ut eum licentietis, quod ad domum propriam accedere possit, ut ante mortem suam de uxore et familia poterit disponere; ego vero, ut de eo sis securus, loco suo in carcere remanebo, donec venerit. Ait judex: Tali die judicium de eo ac de aliis fiet; si vero eodem die non venerit, quid ad hoc respondebis? At ille: Domine, omnem securitatem, quæ tibi placet, adimplebo; quod si non venerit, pro ejus amore mortem sustinebo. Ait judex: Petitionem tuam exaudiam, ita tamen, quod te in vinculis habeam, quousque ipse redierit. Et ille: Bene placet mihi. Tunc judex istum posuit in carcerem et alium libere misit abire. Ille vero domum recessit, de uxore et prole et familia ordinavit, et tamdiu moram fecit, quod ad tertium diem judicii, in quo omnes malefactores coram judice sunt præsentati. Inter alios ille, qui prompte se carceri obtulit, pro amico suo est præsentatus. Ait ei judex: Ubi est amicus tuus, qui hodie deberet redire et te liberare ac salvare? At ille: Domine, spero, quod non deficiet. Judex verò diu exspectabat, si veniret, et nondum venit. Statim dedit pro sententia, ut ad patibulum duceretur; et sic factum est. Cum vero ad patibulum venisset, ait ei judex: Carissime, imputes tibi et non mihi, quod nunc morieris. Dixisti, quod amicus tuus veniret et te liberaret. Ait ille: Domine, ex quo mori debeo, instanter peto, ut ante mortem meam pulsare potero. Ait judex: Cujusmodi pulsatio erit illa? Qui ait: Ante mortem meam tribus vicibus clamare. Et ille: Mihi placet. Ille incepit alta voce clamare primo, secundo, tertio, respexit circumquaque, et hominem agili cursu venientem vidit a longe et ait judici: Mortem meam differas; ecce, hominem venientem video; forte ipse est socius meus, qui me hodie liberabit. Judex vero cum ipsum venientem audisset, exspectavit; et ecce, socius ejus venit et ait: O domine, ego sum ille, qui de bonis meis, uxore et amicis meis disposui; et amicus meus interim in periculo mortis pro me stetit; illum liberum permittas abire, quia paratus sum, pro peccatis meis mortem sustinere. Judex respexit eum et ait: O carissime, dic mihi causam, quare ad invicem estis tam fideles? Et ille: Domine, a-

pueritia quilibet alteri fidem dedit, ut in omnibus fideles essemus; et hæc est causa, quare ipse in loco meo se posuit, quousque de domo mea ordinassem. Judex ait: Ex quo ita est, tibi mortem remitto, et sitis mihi fideles; de cetero mecum manebitis, et de præbenda necessaria vobis providebo per omnia. At ille: Domine, omnem fidelitatem amodo promittimus vobis. Judex igitur eos recepit ad gratiam, et omnes judicem laudabant, qui fecit eis talem misericordiam.

Moralisatio. Carissime, rex iste imperator est pater cœlestis duo latrones anima et corpus, qui facti sunt per peccatum socii, scilicet in baptismo ad invicem uniti, ita, quod quilibet alteri fidem dedit, alium in necessitate non deficere, quando dixerunt: Abrenuncio diabolo et pompis ejus. Et post hoc facti sunt socii in omnibus operibus, sed unus sine altero est captus et fortiter advinculatus. Quando homo mortaliter peccat, anima sub jugo diaboli manet. Alter socius, scilicet corpus hinc inde in deliciis suis vacat. Sed bonus christianus, deo dilectus, cum intelligit, quod anima in peccatis jacet, et per consequens in carcere diaboli, habet se offerre loco ejus, hoc est, in loco pœnitentiæ permanere, quousque anima ad uxorem i. e ad conscientiam pergat et cum ea disponit de prole et familia i. e de divinis præceptis et peccatis, quot et quantum contra divina præcepta deliquit et quamdiu in peccatis permansit, et pro quolibet peccato debet satisfacere deo. Sed dic mihi, quomodo? Certe per orationem, jejunium et eleemosinam. Interim corpus debet clamare tria, videlicet, prima vox est amara contritio, secunda integra confessio, tertia plena satisfactio. Statim ad istos clamores anima, quæ jam domum conscientiæ disposuit, ad te veniet in forma debita, et ambo, scilicet corpus et anima, regnabunt in æterna tabernacula, ad quæ nos ducat dominus noster Jesus Christus.

Cap. 109.

Quos ditat diabolus per avaritiam, in fine decipit ad gehennam.

Quidam faber dives, juxta mare in quadam civitate manens, valde avarus et malus erat, multam pecuniam collegit et unum truncum implevit et ipsum juxta ignem posuit in conspectu omnium, ut nullus de eo suspicionem haberet, quod pecunias contineret. Accidit semel, cum omnes essent somno oppressi, quod mare domum intravit in tantum, quod truncus cum pecunia natabat, et quando mare

recessit, truncum secum abstulit; et sic truncus natabat per mare multa miliaria, quousque pervenerat ad unam civitatem, in qua erat quidam homo, qui commune hospicium habebat. Homo ille mane surrexit, videns truncum natare, ad terram duxit, credens nihil aliud esse, quam quoddam lignum ab aliquo projectum vel derelictum. Ille homo erat valde liberalis et largus erga pauperes et peregrinos. Accidit uno dierum, quod peregrini in ejus domo hospitati sint, et erat tempus frigidissimum; hospes cum securi lignum scindit, et post tres vel quatuor ictus sonitum audivit; deinde scindens et pecuniam inveniens gavisus est et sub custodia posuit, si aliquis veniret, cujus esset, reddere vellet. Faber vero de civitate in civitatem ivit, quærendo pecunias suas, venit ad civitatem et ad domum hospitis, qui truncum invenit. Cum mentionem de trunco perdito faceret, audiens hospes intellexit, quod pecunia ejus fuit, cogitavit inter se: Jam probabo, si voluntas dei fuerit, ut pecuniam ei reddam. Fecit fieri hospes tres pastillos de pane; primum implevit terra, secundum ossibus mortuorum, tertium cum pecunia, quam invenit in trunco. Hoc facto dixit fabro: Volumus comedere tres bonos pastillos de optimis carnibus, quos habeo; quemcunque elegeris sufficientem habebis. Faber vero unum post alium levavit, pastillum plenum terra magis ponderantem invenit et illum elegit, et ait hospiti: Si plus indiguero, illum secundum eligo. Ponens manum super pastillum plenum de ossibus mortuorum. Tertium pastillum tibi habeas. Hospes hoc videns in corde suo dicebat: Jam clare video, quod voluntas dei non est, quod ille miser pecuniam habeat. Statim pauperes ac debiles, cœcos et claudos vocavit, et in præsentia fabri pastillum aperuit et ait: Ecce, miser, pecuniam tuam, quam manibus tuis tradidi, tu potius pastillos de terra et de ossibus mortuorum elegisti, et bene, quia deo non placuit, ut pecuniam illam rehaberes. Hospes statim coram suis oculis totam pecuniam inter pauperes divisit; et sic faber cum confusione magna recessit.

Moralisatio. Carissimi, faber iste potest dici quilibet homo mundanus, qui potius nititur mundo servire, quam creatori nostro. Per truncum istum undique clausum cor cujuscunque avari intelligitur, quod semper est clausum quoad cœlestia; pecunia inclusa sunt quædam opera meritoria, quæ aliquando miser homo committit, et timore dei compulsus; mare, quod fluit et refluit, est mundus iste, qui rapit de corde avari, quidquid boni commiserat, non tamen virtutes, quas in baptismo recepit, sed etiam bonas cogitationes cordis. Matth. VI: Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Hospes, qui truncum invenit, est bonus prælatus vel confessor discretus, qui

tenetur circa peccatores diligentiam habere et eorum corda et facta scrutari et investigare, quomodo poterint ad viam rectitudinis duci; unde homo tenetur sequi viam, per quam poterit salutem invenire, scilicet ad confessionem currere et in domo ecclesiæ hospitari et ejus præceptis obedire; tunc confessor debet ipsi tres pastillos ostendere, ut unum eligat de istis, per quem famem peccati exstinguere possit. Primus enim pastillus erat plenus terra, et designat mundum; quem si mundanus homo elegerit, in vita ista nihil aliud inveniret, nisi terram puram i. e. sepulchrum vix septem pedes continens, quia omne, quod est in mundo, aut est superbia vitæ aut concupiscentia oculorum aut concupiscentia carnis; imo totus mundus est in maligno positus; ergo væ illis, qui mundana eligunt! Memento ergo, homo, quia cinis es et in cinerem reverteris. Secundus pastillus erat plenus ossibus mortuorum et designat carnem i. e. carnales homines, ut sunt otiosi, gulosi, luxuriosi, qui cum omni studio intendunt, carni placere; contra tales dicit apostolus: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Tunc invenietis opera vestra quasi ossa arida, quæ nihil aliud valent, nisi ut comburantur; væ ergò illis, qui illum pastillum, scilicet carnales delicias, eligunt! Tertius pastillus erat plenus argento et auro puro, et ille designat cœlum empireum, in quo est thesaurus infinitus. Pauci sunt respective, qui manum ad illum pastillum ponant, unde Matth. VII: Lata est via, quæ ducit ad inferos; stricta, quæ ducit ad cœlum; ideo pauci per eam ambulant. Quid ergo est faciendum? Certe vocandi sunt pauperes et debiles i. e. justi atque sancti, qui in vita ista per tribulationes multas propter deum transierunt; talibus dicetur illud Math. XXV: Venite, benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est. Ad quod nos perducat Jesus etc.

Cap. 110.

De mirabili errantium revocatione et afflictorum pia consolatione.

Trajanus imperator regnavit, in cujus imperio erat quidam miles, nomine Placidus, qui erat magister militiæ ex parte imperatoris. Iste erat in operibus misericordiæ valde assiduus, sed tamen idolorum cultui deditus. Habebat autem uxorem ejusdem ritus et misericordiæ existentem; duos filios ex ea procreavit, quos juxta suam nobilitatem magnifice educari fecit, et quia misericordiæ operibus sedule insistebat, ad viam veritatis meruit illustrari. Quadam enim die,

cum venationi insisteret, gregem cervorum reperiit, inter quos unum ceteris speciosiorem et majorem conspexit, qui ab aliorum societate discedens in silvam vastiorem prosiliit, unde cum alii milites circa reliquos cervos occupati essent, Placidus illum toto nisu insequebatur et ipsum capere nitebatur. Quem cum totis viribus insequeretur, cervus tandem super quandam rupis altitudinem conscendit et Placidus appropinquans, qualiter eum capere posset, in animo sedule cogitavit. Qui cum cervum diligenter inspiceret, et vidit inter cornua ejus formam sanctæ crucis supra solis claritatem fulgentem et imaginem Jesu Christi, qui per os cervi sicut olim per asinam Balaam, sic ei locutus est, dicens: O Placide, quid me insequeris? Ego tui gratia in hoc animali apparui tibi; ego sum Christus, quem tu ignorans colis; eleemosinæ tuæ coram me ascenderunt, et ob hoc veni, ut per hunc cervum, quem venabaris, ego quoque venarer te ipsum. Alii tamen dicunt, quod ipsa imago, quæ inter cornua cervi apparuit, hæc verba protulit. Hoc audiens Placidus nimio terrore correptus est, de equo in terram cecidit et post unam horam ad se rediens de terra surrexit et ait: Revela mihi, quod loqueris, sic credam in te. Et ait Christus: Ego sum Christus, Placide, qui cœlum et terram creavi, qui lucem oriri feci et a tenebris divisi, qui tempora, dies et annos constitui, qui hominem de limo terræ formavi, qui propter salutem humani generis in terris in carne apparui, qui crucifixus et sepultus et tertia die resurrexi. Audiens hæc Placidus iterum in terram cecidit et ait: Credo, domine, quod tu es, qui omnia fecisti et qui errantes convertis. Et dixit ad eum dominus: Si credis, vade ad episcopum civitatis et facias te baptizari. Cui Placidus: Vis, domine, ut hæc eadem uxori meæ nuntiem et filiis, ut et ipsi pariter in te credant? Cui dominus: Nuntia illis, ut et ipsi pariter tecum mundentur; tu quoque die crastina huc venias, ut tibi rursum appaream et, quæ futura sunt, plenius pandam. Cum ergo Placidus domum venisset et hæc uxori in lecto renuntiasset, exclamavit uxor ejus, dicens: Domine mi, et ego alia nocte transacta vidi dicentem mihi: Cras tu et vir tuus et filii tui ad me venietis. Et nunc cognovi, quod ipse est Christus. Perrexerunt ergo media nocte ad episcopum civitatis Romæ, qui eos cum gaudio magno baptizavit, et Placidum vocavit Eustachium, uxorem Theosbitam, et filios ejus Theosbitum et Agapitum. Mane facto Eustachius, sicut consueverat, ad venationem processit et prope locum veniens milites suos quasi sub obtentu investigandæ venationis dispersit; statimque in loco formam primæ visionis aspexit, cadensque in terram in faciem suam dixit: Supplico, domine, ut manifestes, quæ promiseras servo tuo. Cui

dominus: Beatus es, Eustachi, qui accepisti lavacrum gratiæ meæ, quod modo diabolum superasti, et modo eum, qui te deceperat, conculcasti; modo apparebit fides tua; diabolus enim, quod ipsum dereliquisti, contra te sæviet et variis modis armabitur; oportet enim te multa sustinere, ut accipias coronam victoriæ; oportet te multa pati, ut de alta sæculi vanitate humilieris et rursus spiritualibus divitiis exalteris; tu ergo nec deficias nec ad gloriam pristinam respicias, quod per tentationes oportet te alterum Job demonstrari; sed cum humilitatus fueris, veniam ad te et in gloriam pristinam te restituam; dic ergo mihi, si tentationes modo vis sustinere, aut in fine vitæ tuæ? Dicit ei Eustachius: Domine, si oportet ita fieri, modo jube tentationem accedere, sed virtutem patientiæ tribue. Cui dominus: Fortis estote, quia gratia mea custodiet animas vestras. Sicque dominus in cœlum ascendit, et Eustachius domum rediens hæc uxori suæ nunciavit. Post paucos igitur dies mors pestifera cunctos servos et ancillas ejus invasit et universos occidit; deinde post alios dies omnes equi, omnia pecora subito interierunt. Quidam autem sceleste ejus deprædationem videntes per noctem in domum ejus irruentes cuncta, quæ rapuerunt, asportaverunt et totam domum auro et argento et rebus aliis spoliaverunt, et ipse cum uxore sua et filiis gratias deo agens nocte nudus aufugit. Qui ruborem verentes Aegyptum pergebant, totaque ejus possessio per rapinam malorum ad nihilum est redacta. Rex autem totusque senatus pro magistro militum tam strenuo multum dolebant eo, quod nullum indicium de eo reperire poterant. Cum autem iter agerent, appropinquaverunt mari et invenientes navem in ea navigare cœperunt. Videns autem dominus navis uxorem Eustachii, quod pulchra esset, nimis ipsam habere desideravit. Cum vero transfretassent, naulum ab eis exigebat; non habentibus illis, unde solverent, jussit pro naulo retinere uxorem volensque eam secum habere. Quod ut Eustachius audivit, nullatenus consentire voluit; eo contradicente innuit dominus nautis suis, ut eum in mare præcipitarent, ut sic uxorem suam habere possit. Quod cum Eustachius comperisset, uxorem eis tristis reliquit et duos infantes accipiens ingemiscens ibat dicens: Væ mihi et vobis, quia mater vestra alienigenæ marito tradita est; perveniensque ad quendam fluvium propter aquarum abundantiam non est ausus cum duobus filiis flumen pertransire, sed uno circa ripam fluminis relicto alterum transportabat. Qui cum fluvium transfretasset, illum infantem, quem bajulaverat, super terram posuit et ad accipiendum alium festinavit. Cum autem circa medium fluminis pervenisset, ecce, lupus citus venit et infantem, quem deposuerat, rapiens in silvam fugit. Qui de

eo desperavit ad alium festinavit; sed cum abiret, leo advenit et alterum infantem rapuit et abscessit, unde eum sequi non volens, cum esset in medio fluminis, cœpit plangere et capillos suos evellere, volens se in aquam projicere, nisi ipsum divina providentia conservasset Pastores autem videntes leonem puerum unum portantem eum cum canibus insecuti sunt, per divinam autem dispensationem leo puerum illæsum abjiciens recessit. Quidam insuper aratores post lupum clamantes de ejus faucibus alium puerum incolumem liberaverunt. Utrique vero pastores et aratores de uno vico fuerunt et penes se pueros nutrierunt. Hoc autem Eustachius nesciebat, sed mœrens ac plorans ibat, dicens: Heu mihi, quia ante ut arbor pollebam, sed modo penitus nudatus sum! Heu mihi, quia multitudine militum circumdari solebam, sed modo solus remanens nec filios sum concessus habere! Memini, domine, te mihi dixisse, quia oportet me tentari, sicut Job; ecce, plus quam Job aliquid in me fieri vides; ille enim etsi omnibus nudatus fuerit, tamen stercus habuit, super quo sedere potuit; mihi autem nihil horum remansit; ille amicos sibi compatientes habuit; ego feros habui in amicos, qui filios meos rapuerunt; illi uxor est relicta, a me vero ablata. Da requiem, domine, tribulationibus meis et pone custodiam ori meo, ne declinet cor meum in verba malitiæ et ejiciar a facie tua. His dictis cum lacrimis ad quendam vicum abiit et data sibi mercede agros illorum hominum per annos quindecim custodivit. Filii autem ejus in altero vico sunt educati, nec se fratres esse sciebant. Dominus autem navis uxorem Eustachii conservavit, nec eam ille alienigena cognovit, sed potius eam intactam dimittens vitam finivit. Imperator autem et populus romanus plurimum ab hostibus molestebatur, et recordatus Placidi, quod strenue contra eos dimicasset, de ejus subita mutatione pluries tristabatur; dixeritque multos milites per diversas mundi partes, promittens omnibus, qui eum invenirent, multas divitias et honores. Quidam autem ex militibus, qui aliquando Placido ministraverant, ad ipsum vicum, in quo degebat, venerunt, quos Placidus de agro venit considerans, eos ex incessu protinus recognovit et ingemiscendo perturbari cœpit, cogitans dignitatem, quam olim habuit, et in corde suo dixit: Domine, sicut istos, qui aliquando mecum fuerunt, præter spem nunc vidi, da, ut conjugem meam videre possim, nam de filiis scio, quod a feris comesti sunt. Venit enim ad eum vox, dicens: Confide, Eustachi, quod cito honorem tuum recuperabis et filios et uxorem recipies. Cum igitur militibus obviasset, ipsi eum minime cognoverunt. Cumque eum salutassent, quæsierunt, si aliquem peregrinum, nomine Placidum, cum uxore et cum duobus filiis cognosceret?

ascendit; hoc videns serpens iterum pulsavit; judex hoc audiens descendit, et cum serpentem cordam trahentem vidisset, et bufonem locum ejus occupantem, ascendit, et totum regi denunciavit. Ait ei rex: Descende et non tantum bufonem expelle, sed illum occide, ut serpens locum suum occupet! Quod et factum est per omnia. Post hæc vero uno dierum cum rex in stratu suo jacuisset serpens cameram suam intravit portansque in ore suo lapidem pretiosum. Hoc cum vidissent servi, regi dixerunt de introitu serpentis, ac ille: Nolite eum impedire! Credo quod nullum malum mihi faciet. Serpens super lectum ejus ascendit et versus faciem ejus perrexit; cum vero ad oculos venisset, lapidem super os cadere permisit et statim cameram exivit; cum vero lapis duos oculos ejus tetigisset, rex clarum visum recepit; non modicum gaudens, serpentem requiri fecit, sed non est inventus; lapidem secum custodivit et vitam in pace finivit.

Moralisatio. Carissimi, rex iste potest dici quilibet homo mundanus, qui tenetur regere se ipsum, et tamen cæcus est quantum ad spiritualia, sed videns clare quantum ad temporalia. Campana suspensa est lingua prædicatoris, quæ certis temporibus debet pulsari. Corda campanæ est sacra scriptura, per quam prædicator habet descendere, et virtutes atque vitia intimare, quomodo peccatores per virtutes poterunt cœlum ascendere, et per peccata infernum introire. Serpens, qui fecit nidum sub corda campanæ, est discretus confessor, qui habet se ponere sub sacra scriptura et in nido i. e. in corde peccatoris pullos i. e. bonas virtutes producere. Si vero aliquis sensus per peccatum sit inviciatus, habet cordam sacræ scripturæ pulsare, tunc judex i. e. ratis debet descendere, et omnia per veram confessionem excutere et corrigere; sed sæpe contingit, quod prælati et confessores sunt tepidi et negligentes et pergunt extra ad mundana et sic subditi manent in periculo, quia bufo i. e. diabolus locum occupat. Quid ergo est faciendum? Certe ut confessor redeat ad peccatorem ducendo secum pullos i. e. bonas virtutes. Serpens habet duo, portat venenum pœnitentiæ et antidotum absolutionis salutis animæ et debet contra diabolum pugnare informando peccatorem quomodo diabolo est resistendum, et sic eum de corde peccatoris expelles. Deinde serpens lapidem portavit; sic discretus confessor per sacram scripturam debet peccatori lapidem i. e. Christum dare, de cujus virtute visum spiritualem potest recipere et per consequens vitam æternam obtinere.

Cap. 106.

Quod est vigilandum contra fraudes diaboli, ne nos decipiat.

Olim erant tres socii, qui ad peregrinandum pergebant. Accidit, quod cibaria præter unum panem invenire non poterant, et erant famelici valde et dixerunt ad invicem: Si iste panis in tres partes dividatur, unicuique pars non sufficeret ex nostris ad saturandum; habeamus ergo sanum consilium, quomodo debeamus de isto pane disponere. Ait unus: Hic in via dormiemus et quilibet somnium habeat, et qui majus mirabile viderit, ille totum panem habeat. Responderunt alii duo: Bonum est consilium. Et inceperunt dormire. Ille, qui consilium dederat, surrexit et ipsis dormientibus panem totaliter comedit, nec unicam micam sociis suis dimisit. Hoc facto socios suos excitavit dicens: Surgite velociter! Tempus est, ut quilibet somnium suum dicat. Ait primus: Carissimi, mirabile somnium vidi, scilicet unam scalam auream de cœlo descendentem, per quam angeli descenderunt et ascenderunt et animam meam usque ad cœlum de corpore meo extraxerunt. Quando ibi eram, patrem et filium et spiritum sanctum vidi, et tantum gaudium circa animam meam erat, quod oculus non vidit, nec auris audivit, quod ibidem percepi; et istud est somnium meum. Ait secundus: Et ego vidi, quod dæmones cum instrumentis ferreis ac igneis animam meam de corpore meo traxerunt et ibidem me male tractaverunt et dixerunt: Quamdiu deus regnat in cœlo, permanebis in isto loco. Ait tertius: Audite somnium meum! Mihi videbatur, quod quidam angelus ad me venit et ait: Carissime, vis videre, ubi sunt socii tui? Respondi: Etiam, domine, quia inter nos habemus unum panem dividere; timeo, quod cum pane recesserint. At ille: Non est ita; sed panis juxta vos jacet; sequere me. Duxit me ad portam cœli, caput meum tamen secundum præceptum suum infra portam posui, et vidi te; et videbatur mihi, quod ad cœlum raptus fuisti et sederes in throno aureo et multa cibaria ac vina opposita ante te; dixitque angelus mihi: Ecce, socius tuus abundat in omni gaudio et in cibariis, et ibidem in æternum permanebit, quia, qui semel regnum cœleste intraverit, exire non poterit. Jam mecum veni, et ostendam, ubi alius socius tuus est. Cum vero post hoc secutus illum fuissem, duxit me ad portas inferni, et ibi vidi te, sicut dixisti, in pœnis gravissimis, et cum tibi quotidie ministrabatur panis ac vinum infernale in magna copia; tunc a te quæsivi: O carissime socie, mihi displicet, quod in istis pœnis jaces; tu vero respondisti mihi, quod, quamdiu deus regnat

in cœlo, hic permanebo, quia hoc merui; surge ergo cito et totum panem comede, quia ammodo nec me, nec socium nostrum videbis. Ego vero cum hoc vidi, surrexi et, sicut dixisti, totum panem comedi.

Moralisatio. Carissimi, per istos tres socios tria genera hominum intelligere debemus. Per primum Saracenos et Judæos; per secundum divites ac potentes hujus mundi; per tertium viros perfectos, sicut sunt religiosi ac ceteri homines deum timentes; per panem rotundum regnum cœleste intelligere debemus. Panis iste, scilicet regnum cœleste, dividitur inter tria genera hominum, secundum merita sua aliqui majus, aliqui minus recipiunt. Primi, scilicet Saraceni ac Judæi, dormiunt in peccatis suis et credunt, cœlum habere, Saraceni per promissionem Mahomedi, cujus legem tenent, qui eis promisit, in cœlo regnare; Judæi etiam credunt per legem mosaicam illud obtinere. Ista creditio est quasi somnium. Secundus socius, qui somniavit, se esse in inferno, sunt isti divites ac hujus mundi potentes, qui sine aliqua dubitatione per prædicatores ac confessores sciunt, quod si in peccatis sine contritione decedunt, quod ad infernum descendunt et ibi æternaliter puniantur, et hoc non obstante die ac nocte peccata super peccata accumulant; et ideo de divitibus scribitur: Ubi sunt potentes mundi hujus, qui cum canibus et avibus ludebant? Mortui sunt et ad infernum descenderunt. Tertius socius, scilicet bonus christianus, qui nec in peccatis nec in mala fide dormit, sed in bonis operibus vigilat, per consilium angeli i. e. spiritus sancti dona, vitam suam sic diriget, ut panem scilicet regnum cœleste habeat.

Cap. 107.

De memoria mortis et non delectando in temporalibus.

Erat quædam imago in civitate romana, quæ rectis pedibus stabat habebatque manum dextram extensam, et super medium digitum erat superscriptio: Percute hic! Imago ista a longo tempore sic stabat eo, quod nullus sciebat, quid hoc significaret: Percute hic! Multi admirati sunt et sæpius ad imaginem venerunt titulum respiciendo, et sic recesserunt, quod superscriptionem penitus ignorabant. Erat quidam clericus subtilis, qui, cum de imagine audisset, multum sollicitus erat eam videre; dum autem eam vidisset et superscriptionem legisset: Percute hic! vidensque solem super imaginem per solis umbram digitum discernebat, per quem dicebat: Percute hic! Statim ligonem accepit et vix per distantiam trium pedum fodiebat

et quosdam gradus descendentes inveniebat. Clericus non modicum gaudens super gradum descendit, quousque sub terra nobile palatium invenit, aulam intravit, videnque regem et reginam et multos nobiles in mensa sedentes respexit et circumquaque totam aulam plenam hominibus et omnes erant vestibus pretiosis induti, nullus ex omnibus unicum verbum ei loquebatur, respexitque ad unum angulum et vidit lapidem politum, qui vocatur carbunculus, a quo tota domus lucem recepit, et ex opposito carbunculi in angulo hominem stantem habentemque in manu sua arcum paratum cum sagitta ad percutiendum et in fronte ejus erat scriptum: Ego sum qui sum, nullus arcum meum vitare potest et præcipue carbunculus ille, qui relucet tam splendide. Clericus cum hoc vidisset, admirabatur, cameram intravit et mulieres pulcherrimas in purpura et pello operantes invenit et nullum verbum ei dixerunt. Deinde stabulum equorum intravit et optimos equos et asinos et sic de ceteris invenit, eos tetigit, et ad tactum suum lapides apparuerunt. Hoc facto omnia habitacula palatii visitavit, et quidquid cor ejus desiderabat, hoc invenit; deinde sicut prius aulam intravit et de recessu cogitabat et in corde suo dicebat: Mirabilia vidi hodie, et quidquid cor desiderat, hoc poterat invenire; verumtamen nullus dictis meis credet de istis quæ vidi; et ideo bonum est, in signum veritatis aliquid mecum portare. Ad mensam superiorem respexit, ciphos aureos ac cultellos optimos vidit; ad mensam accessit, unum ciphum cum cultello de mensa levavit, ut secum portaret. Cum vero in sinu suo collocasset, imago, quæ in angulo cum arcu et sagitta stabat, ad carbunculum sagittam direxit et illum percussit et in multas partes divisit. In continenti tota aula facta est sicut nox tenebrosa; clericus videns totaliter est contristatus; viam exeundi propter nimiam obscuritatem invenire non poterat; et sic in eodem palatio misera morte mortuus est.

Moralisatio. Carissimi, ista imago, quæ dicit: Percute hic, est diabolus, qui circuit quærens, quem devoret, qui habet manum extensam, i. e. potentem super peccatores decipiendos, qui dicit: Percute hic, i. e. homini avaro dicit: Percute hic, in terra bona mundana appetendo, cor tuum in terrenis ponendo. Clericus, qui venerat, postquam alii recesserunt, est homo cupidus sive avarus, qui sicut bonus clericus die ac nocte studet, ut scientiam sibi ipsi imprimat et alios doceat, nec satiari poterit, quin semper nova inveniet; eodem modo homo cupidus die ac nocte studet in terra et mari, quomodo poterit bona mundana acquirere, nec oculi ejus satiantur; et ideo contra tales dicit Seneca: Cum omnia peccata senescunt, sola cupiditas juvenescit. Illi, qui venerunt ad imaginem, sunt boni christiani

et præcipue religiosi, qui mundum respiciunt, quantum ad victum et vestitum, et sic recedunt, nec superscriptionem diaboli curant; tales pericula evadent. Clericus vero per umbram digiti in terram percussit; sic avarus per umbram scilicet mundi vanitatem, quæ est quasi umbra transiens, accipit ligonem i. e. corpus condensum et assensum ac intellectum, per quæ divitias mundi incipit fodere; tum vero gradus invenit, descendit, primus gradus est superbia, secundus concupiscentia oculorum, tertius concupiscentia carnis. Per istos gradus et alios diversos cupidus descendit, et pulchrum palatium, ut ei videtur, plenum hominibus ac vanitatibus invenit, scilicet mundum istum, in quo et in quibus miser homo miro modo delectatur. Imago, quæ cum arcu stabat, est mors, quæ semper est parata, quemlibet nostrum percutere, sicut dicit scriptura in fronte: Ego sum, scilicet mors, quia multo tempore in mundo isto introducta sum per peccatum primi parentis; et nullus poterit, quantumcunque dives, generosus aut fortis, arcum meum evadere. Carbunculus est vita hominis; quamdiu vita in eo manet, dat ei lumen carbunculus i. e. vitam potest habere, sed tamen avarus melius credit et sperat vivere, et bona mundana, quæ intelliguntur per ciphum et cultellum in sinu suo scilicet in archa sua, credit includere; venit mors et percutiet cum sagitta i. e. cum gravi infirmitate vitam suam, et statim fit obscuritas in tantum, quod omnes sensus lumen suum ac virtutem amittunt; et jacet corpus ibi mortuum et miserabiliter, quod infra triduum incipit fœtere; tunc diabolus animam rapit, amici et consanguinei bona sua, quæ cum maledictione dei acquisivit, obtinebunt; cadaver terra ac vermes corpus occupabunt; et sic nihil peccatori relinquitur, nisi pœna æterna. Studeamus etc.

Cap. 108.

De promissionis fideli constantia.

Erat quidam imperator, in cujus imperio erant duo latrones, ad invicem confœderati juramento, ut nullus alium dimitteret in necessitate, sed quilibet pro altero vitam poneret. Multa mala ad invicem perpetraverunt, scilicet furtum et homicidium. Accidit semel, quod unus sine altero et eo absente cum furto captus erat et in carcerem cum compedibus positus. Quod audiens socius ejus, alter latro ad eum venit et dixit: Carissime socie, dic mihi, in fide ligati sumus. At ille: Ut mihi videtur, mori debeo, quia comprehensus sum cum

furto; si velles tamen facere istud, quod tibi dixero, semper essem tibi obligatus. Uxorem et parvulos ac familiam habeo, de eis nihil ordinavi, nec de bonis meis; si in loco meo posses exspectare in carcere, et hoc poteris a judice inquirere, domum vadam et de uxore et familia et de bonis meis ordinabo et tempore debito revertar et liberabo te. Ait ille: Istud satis fideliter adimplebo. Perrexit ad judicem et ait: Domine mi, amicus meus captus est et in carcere positus; mortem, ut credo, evadere non potest; si placet, tantum unam petitionem a vobis peto, ut eum licentietis, quod ad domum propriam accedere possit, ut ante mortem suam de uxore et familia poterit disponere; ego vero, ut de eo sis securus, loco suo in carcere remanebo, donec venerit. Ait judex: Tali die judicium de eo ac de aliis fiet; si vero eodem die non venerit, quid ad hoc respondebis? At ille: Domine, omnem securitatem, quæ tibi placet, adimplebo; quod si non venerit, pro ejus amore mortem sustinebo. Ait judex: Petitionem tuam exaudiam, ita tamen, quod te in vinculis habeam, quousque ipse redierit. Et ille: Bene placet mihi. Tunc judex istum posuit in carcerem et alium libere misit abire. Ille vero domum recessit, de uxore et prole et familia ordinavit, et tamdiu moram fecit, quod ad tertium diem judicii, in quo omnes malefactores coram judice sunt præsentati. Inter alios ille, qui prompte se carceri obtulit, pro amico suo est præsentatus. Ait ei judex: Ubi est amicus tuus, qui hodie deberet redire et te liberare ac salvare? At ille: Domine, spero, quod non deficiet. Judex verò diu exspectabat, si veniret, et nondum venit. Statim dedit pro sententia, ut ad patibulum duceretur; et sic factum est. Cum vero ad patibulum venisset, ait ei judex: Carissime, imputes tibi et non mihi, quod nunc morieris. Dixisti, quod amicus tuus veniret et te liberaret. Ait ille: Domine, ex quo mori debeo, instanter peto, ut ante mortem meam pulsare potero. Ait judex: Cujusmodi pulsatio erit illa? Qui ait: Ante mortem meam tribus vicibus clamare. Et ille: Mihi placet. Ille incepit alta voce clamare primo, secundo, tertio, respexit circumquaque, et hominem agili cursu venientem vidit a longe et ait judici: Mortem meam differas; ecce, hominem venientem video; forte ipse est socius meus, qui me hodie liberabit. Judex vero cum ipsum venientem audisset, exspectavit; et ecce, socius ejus venit et ait: O domine, ego sum ille, qui de bonis meis, uxore et amicis meis disposui; et amicus meus interim in periculo mortis pro me stetit; illum liberum permittas abire, quia paratus sum, pro peccatis meis mortem sustinere. Judex respexit eum et ait: O carissime, dic mihi causam, quare ad invicem estis tam fideles? Et ille: Domine, a-

pueritia quilibet alteri fidem dedit, ut in omnibus fideles essemus; et hæc est causa, quare ipse in loco meo se posuit, quousque de domo mea ordinassem. Judex ait: Ex quo ita est, tibi mortem remitto, et sitis mihi fideles; de cetero mecum manebitis, et de præbenda necessaria vobis providebo per omnia. At ille: Domine, omnem fidelitatem amodo promittimus vobis. Judex igitur eos recepit ad gratiam, et omnes judicem laudabant, qui fecit eis talem misericordiam.

Moralisatio. Carissime, rex iste imperator est pater cœlestis duo latrones anima et corpus, qui facti sunt per peccatum socii, scilicet in baptismo ad invicem uniti, ita, quod quilibet alteri fidem dedit, alium in necessitate non deficere, quando dixerunt: Abrenuncio diabolo et pompis ejus. Et post hoc facti sunt socii in omnibus operibus, sed unus sine altero est captus et fortiter advinculatus. Quando homo mortaliter peccat, anima sub jugo diaboli manet. Alter socius, scilicet corpus hinc inde in deliciis suis vacat. Sed bonus christianus, deo dilectus, cum intelligit, quod anima in peccatis jacet, et per consequens in carcere diaboli, habet se offerre loco ejus, hoc est, in loco pœnitentiæ permanere, quousque anima ad uxorem i. e ad conscientiam pergat et cum ea disponit de prole et familia i. e de divinis præceptis et peccatis, quot et quantum contra divina præcepta deliquit et quamdiu in peccatis permansit, et pro quolibet peccato debet satisfacere deo. Sed dic mihi, quomodo? Certe per orationem, jejunium et eleemosinam. Interim corpus debet clamare tria, videlicet, prima vox est amara contritio, secunda integra confessio, tertia plena satisfactio. Statim ad istos clamores anima, quæ jam domum conscientiæ disposuit, ad te veniet in forma debita, et ambo, scilicet corpus et anima, regnabunt in æterna tabernacula, ad quæ nos ducat dominus noster Jesus Christus.

Cap. 109.

Quos ditat diabolus per avaritiam, in fine decipit ad gehennam.

Quidam faber dives, juxta mare in quadam civitate manens, valde avarus et malus erat, multam pecuniam collegit et unum truncum implevit et ipsum juxta ignem posuit in conspectu omnium, ut nullus de eo suspicionem haberet, quod pecunias contineret. Accidit semel, cum omnes essent somno oppressi, quod mare domum intravit in tantum, quod truncus cum pecunia natabat, et quando mare

recessit, truncum secum abstulit; et sic truncus natabat per mare multa miliaria, quousque pervenerat ad unam civitatem, in qua erat quidam homo, qui commune hospicium habebat. Homo ille mane surrexit, videns truncum natare, ad terram duxit, credens nihil aliud esse, quam quoddam lignum ab aliquo projectum vel derelictum. Ille homo erat valde liberalis et largus erga pauperes et peregrinos. Accidit uno dierum, quod peregrini in ejus domo hospitati sint, et erat tempus frigidissimum; hospes cum securi lignum scindit, et post tres vel quatuor ictus sonitum audivit; deinde scindens et pecuniam inveniens gavisus est et sub custodia posuit, si aliquis veniret, cujus esset, reddere vellet. Faber vero de civitate in civitatem ivit, quærendo pecunias suas, venit ad civitatem et ad domum hospitis, qui truncum invenit. Cum mentionem de trunco perdito faceret, audiens hospes intellexit, quod pecunia ejus fuit, cogitavit inter se: Jam probabo, si voluntas dei fuerit, ut pecuniam ei reddam. Fecit fieri hospes tres pastillos de pane; primum implevit terra, secundum ossibus mortuorum, tertium cum pecunia, quam invenit in trunco. Hoc facto dixit fabro: Volumus comedere tres bonos pastillos de optimis carnibus, quos habeo; quemcunque elegeris sufficientem habebis. Faber vero unum post alium levavit, pastillum plenum terra magis ponderantem invenit et illum elegit, et ait hospiti: Si plus indiguero, illum secundum eligo. Ponens manum super pastillum plenum de ossibus mortuorum. Tertium pastillum tibi habeas. Hospes hoc videns in corde suo dicebat: Jam clare video, quod voluntas dei non est, quod ille miser pecuniam habeat. Statim pauperes ac debiles, cœcos et claudos vocavit, et in præsentia fabri pastillum aperuit et ait: Ecce, miser, pecuniam tuam, quam manibus tuis tradidi, tu potius pastillos de terra et de ossibus mortuorum elegisti, et bene, quia deo non placuit, ut pecuniam illam rehaberes. Hospes statim coram suis oculis totam pecuniam inter pauperes divisit; et sic faber cum confusione magna recessit.

Moralisatio. Carissimi, faber iste potest dici quilibet homo mundanus, qui potius nititur mundo servire, quam creatori nostro. Per truncum istum undique clausum cor cujuscunque avari intelligitur, quod semper est clausum quoad cœlestia; pecunia inclusa sunt quædam opera meritoria, quæ aliquando miser homo committit, et timore dei compulsus; mare, quod fluit et refluit, est mundus iste, qui rapit de corde avari, quidquid boni commiserat, non tamen virtutes, quas in baptismo recepit, sed etiam bonas cogitationes cordis. Matth. VI: Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Hospes, qui truncum invenit, est bonus prælatus vel confessor discretus, qui

tenetur circa peccatores diligentiam habere et eorum corda et facta scrutari et investigare, quomodo poterint ad viam rectitudinis duci; unde homo tenetur sequi viam, per quam poterit salutem invenire, scilicet ad confessionem currere et in domo ecclesiæ hospitari et ejus præceptis obedire; tunc confessor debet ipsi tres pastillos ostendere, ut unum eligat de istis, per quem famem peccati exstinguere possit. Primus enim pastillus erat plenus terra, et designat mundum; quem si mundanus homo elegerit, in vita ista nihil aliud inveniret, nisi terram puram i. e. sepulchrum vix septem pedes continens, quia omne, quod est in mundo, aut est superbia vitæ aut concupiscentia oculorum aut concupiscentia carnis; imo totus mundus est in maligno positus; ergo væ illis, qui mundana eligunt! Memento ergo, homo, quia cinis es et in cinerem reverteris. Secundus pastillus erat plenus ossibus mortuorum et designat carnem i. e. carnales homines, ut sunt otiosi, gulosi, luxuriosi, qui cum omni studio intendunt, carni placere; contra tales dicit apostolus: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Tunc invenietis opera vestra quasi ossa arida, quæ nihil aliud valent, nisi ut comburantur; væ ergò illis, qui illum pastillum, scilicet carnales delicias, eligunt! Tertius pastillus erat plenus argento et auro puro, et ille designat cœlum empireum, in quo est thesaurus infinitus. Pauci sunt respective, qui manum ad illum pastillum ponant, unde Matth. VII: Lata est via, quæ ducit ad inferos; stricta, quæ ducit ad cœlum; ideo pauci per eam ambulant. Quid ergo est faciendum? Certe vocandi sunt pauperes et debiles i. e. justi atque sancti, qui in vita ista per tribulationes multas propter deum transierunt; talibus dicetur illud Math. XXV: Venite, benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est. Ad quod nos perducat Jesus etc.

Cap. 110.

De mirabili errantium revocatione et afflictorum pia consolatione.

Trajanus imperator regnavit, in cujus imperio erat quidam miles, nomine Placidus, qui erat magister militiæ ex parte imperatoris. Iste erat in operibus misericordiæ valde assiduus, sed tamen idolorum cultui deditus. Habebat autem uxorem ejusdem ritus et misericordiæ existentem; duos filios ex ea procreavit, quos juxta suam nobilitatem magnifice educari fecit, et quia misericordiæ operibus sedule insistebat, ad viam veritatis meruit illustrari. Quadam enim die,

cum venationi insisteret, gregem cervorum reperiit, inter quos unum ceteris speciosiorem et majorem conspexit, qui ab aliorum societate discedens in silvam vastiorem prosiliit, unde cum alii milites circa reliquos cervos occupati essent, Placidus illum toto nisu insequebatur et ipsum capere nitebatur. Quem cum totis viribus insequeretur, cervus tandem super quandam rupis altitudinem conscendit et Placidus appropinquans, qualiter eum capere posset, in animo sedule cogitavit. Qui cum cervum diligenter inspiceret, et vidit inter cornua ejus formam sanctæ crucis supra solis claritatem fulgentem et imaginem Jesu Christi, qui per os cervi sicut olim per asinam Balaam, sic ei locutus est, dicens: O Placide, quid me insequeris? Ego tui gratia in hoc animali apparui tibi; ego sum Christus, quem tu ignorans colis; eleemosinæ tuæ coram me ascenderunt, et ob hoc veni, ut per hunc cervum, quem venabaris, ego quoque venarer te ipsum. Alii tamen dicunt, quod ipsa imago, quæ inter cornua cervi apparuit, hæc verba protulit. Hoc audiens Placidus nimio terrore correptus est, de equo in terram cecidit et post unam horam ad se rediens de terra surrexit et ait: Revela mihi, quod loqueris, sic credam in te. Et ait Christus: Ego sum Christus, Placide, qui cœlum et terram creavi, qui lucem oriri feci et a tenebris divisi, qui tempora, dies et annos constitui, qui hominem de limo terræ formavi, qui propter salutem humani generis in terris in carne apparui, qui crucifixus et sepultus et tertia die resurrexi. Audiens hæc Placidus iterum in terram cecidit et ait: Credo, domine, quod tu es, qui omnia fecisti et qui errantes convertis. Et dixit ad eum dominus: Si credis, vade ad episcopum civitatis et facias te baptizari. Cui Placidus: Vis, domine, ut hæc eadem uxori meæ nuntiem et filiis, ut et ipsi pariter in te credant? Cui dominus: Nuntia illis, ut et ipsi pariter tecum mundentur; tu quoque die crastina huc venias, ut tibi rursum appaream et, quæ futura sunt, plenius pandam. Cum ergo Placidus domum venisset et hæc uxori in lecto renuntiasset, exclamavit uxor ejus, dicens: Domine mi, et ego alia nocte transacta vidi dicentem mihi: Cras tu et vir tuus et filii tui ad me venietis. Et nunc cognovi, quod ipse est Christus. Perrexerunt ergo media nocte ad episcopum civitatis Romæ, qui eos cum gaudio magno baptizavit, et Placidum vocavit Eustachium, uxorem Theosbitam, et filios ejus Theosbitum et Agapitum. Mane facto Eustachius, sicut consueverat, ad venationem processit et prope locum veniens milites suos quasi sub obtentu investigandæ venationis dispersit; statimque in loco formam primæ visionis aspexit, cadensque in terram in faciem suam dixit: Supplico, domine, ut manifestes, quæ promiseras servo tuo. Cui

dominus: Beatus es, Eustachi, qui accepisti lavacrum gratiæ meæ, quod modo diabolum superasti, et modo eum, qui te deceperat, conculcasti; modo apparebit fides tua; diabolus enim, quod ipsum dereliquisti, contra te sæviet et variis modis armabitur; oportet enim te multa sustinere, ut accipias coronam victoriæ; oportet te multa pati, ut de alta sæculi vanitate humilieris et rursus spiritualibus divitiis exalteris; tu ergo nec deficias nec ad gloriam pristinam respicias, quod per tentationes oportet te alterum Job demonstrari; sed cum humilitatus fueris, veniam ad te et in gloriam pristinam te restituam; dic ergo mihi, si tentationes modo vis sustinere, aut in fine vitæ tuæ? Dicit ei Eustachius: Domine, si oportet ita fieri, modo jube tentationem accedere, sed virtutem patientiæ tribue. Cui dominus: Fortis estote, quia gratia mea custodiet animas vestras. Sicque dominus in cœlum ascendit, et Eustachius domum rediens hæc uxori suæ nunciavit. Post paucos igitur dies mors pestifera cunctos servos et ancillas ejus invasit et universos occidit; deinde post alios dies omnes equi, omnia pecora subito interierunt. Quidam autem sceleste ejus deprædationem videntes per noctem in domum ejus irruentes cuncta, quæ rapuerunt, asportaverunt et totam domum auro et argento et rebus aliis spoliaverunt, et ipse cum uxore sua et filiis gratias deo agens nocte nudus aufugit. Qui ruborem verentes Aegyptum pergebant, totaque ejus possessio per rapinam malorum ad nihilum est redacta. Rex autem totusque senatus pro magistro militum tam strenuo multum dolebant eo, quod nullum indicium de eo reperire poterant. Cum autem iter agerent, appropinquaverunt mari et invenientes navem in ea navigare cœperunt. Videns autem dominus navis uxorem Eustachii, quod pulchra esset, nimis ipsam habere desideravit. Cum vero transfretassent, naulum ab eis exigebat; non habentibus illis, unde solverent, jussit pro naulo retinere uxorem volensque eam secum habere. Quod ut Eustachius audivit, nullatenus consentire voluit; eo contradicente innuit dominus nautis suis, ut eum in mare præcipitarent, ut sic uxorem suam habere possit. Quod cum Eustachius comperisset, uxorem eis tristis reliquit et duos infantes accipiens ingemiscens ibat dicens: Væ mihi et vobis, quia mater vestra alienigenæ marito tradita est; perveniensque ad quendam fluvium propter aquarum abundantiam non est ausus cum duobus filiis flumen pertransire, sed uno circa ripam fluminis relicto alterum transportabat. Qui cum fluvium transfretasset, illum infantem, quem bajulaverat, super terram posuit et ad accipiendum alium festinavit. Cum autem circa medium fluminis pervenisset, ecce, lupus citus venit et infantem, quem deposuerat, rapiens in silvam fugit. Qui de

eo desperavit ad alium festinavit; sed cum abiret, leo advenit et alterum infantem rapuit et abscessit, unde eum sequi non volens, cum esset in medio fluminis, cœpit plangere et capillos suos evellere, volens se in aquam projicere, nisi ipsum divina providentia conservasset Pastores autem videntes leonem puerum unum portantem eum cum canibus insecuti sunt, per divinam autem dispensationem leo puerum illæsum abjiciens recessit. Quidam insuper aratores post lupum clamantes de ejus faucibus alium puerum incolumem liberaverunt. Utrique vero pastores et aratores de uno vico fuerunt et penes se pueros nutrierunt. Hoc autem Eustachius nesciebat, sed mœrens ac plorans ibat, dicens: Heu mihi, quia ante ut arbor pollebam, sed modo penitus nudatus sum! Heu mihi, quia multitudine militum circumdari solebam, sed modo solus remanens nec filios sum concessus habere! Memini, domine, te mihi dixisse, quia oportet me tentari, sicut Job; ecce, plus quam Job aliquid in me fieri vides; ille enim, etsi omnibus nudatus fuerit, tamen stercus habuit, super quo sedere potuit; mihi autem nihil horum remansit; ille amicos sibi compatientes habuit; ego feros habui in amicos, qui filios meos rapuerunt; illi uxor est relicta, a me vero ablata. Da requiem, domine, tribulationibus meis et pone custodiam ori meo, ne declinet cor meum in verba malitiæ et ejiciar a facie tua. His dictis cum lacrimis ad quendam vicum abiit et data sibi mercede agros illorum hominum per annos quindecim custodivit. Filii autem ejus in altero vico sunt educati, nec se fratres esse sciebant. Dominus autem navis uxorem Eustachii conservavit, nec eam ille alienigena cognovit, sed potius eam intactam dimittens vitam finivit. Imperator autem et populus romanus plurimum ab hostibus molestebatur, et recordatus Placidi, quod strenue contra eos dimicasset, de ejus subita mutatione pluries tristabatur; dixeritque multos milites per diversas mundi partes, promittens omnibus, qui eum invenirent, multas divitias et honores. Quidam autem ex militibus, qui aliquando Placido ministraverant, ad ipsum vicum, in quo degebat, venerunt, quos Placidus de agro venit considerans, eos ex incessu protinus recognovit et ingemiscendo perturbari cœpit, cogitans dignitatem, quam olim habuit, et in corde suo dixit: Domine, sicut istos, qui aliquando mecum fuerunt, præter spem nunc vidi, da, ut conjugem meam videre possim, nam de filiis scio, quod a feris comesti sunt. Venit enim ad eum vox, dicens: Confide, Eustachi, quod cito honorem tuum recuperabis et filios et uxorem recipies. Cum igitur militibus obviasset, ipsi eum minime cognoverunt. Cumque eum salutassent, quæsierunt, si aliquem peregrinum, nomine Placidum, cum uxore et cum duobus filiis cognosceret?

Ille autem se nescire professus est; ad preces tamen ejus in hospitium diverterunt, et Eustachius eis serviebat, et recolens pristinum statum suum lacrimas continere non poterat; egressus autem foras faciem suam lavit, et iterum rediens eis serviebat. Illi vero considerantes ad invicem dixerunt: Quod similis est hic homo illi, quem quærimus. Et respondens alter dixit: Valde similis est; consideremus igitur, si habet signum cicatricis in capite, quod sibi in bello accidit, ipse vero est. Et respicientes et signum videntes ipsum esse, quem quærebant, protinus cognoverunt, et insilientes et osculantes eum de uxore sua et filiis siscitati sunt; qui dixit eis, quod filii mortui essent, et uxor detenta. Vicini autem omnes ad spectaculum concurrebant, dum milites virtutem et primam gloriam narrabant; tunc præceptum imperatoris milites ei exposuerunt, et optimis vestimentis ipsum induerunt. Post iter quindecim dierum ad imperatorem venerunt; qui ejus adventum audiens eidem protinus occurrit et in oscula pacifica ejus ruit. Narravit omnibus per ordinem cuncta, quæ sibi acciderant; statim ad magisterium militiæ trahitur et idem officium, quod habuerat prius, exercere compellitur; qui numeratis militibus et paucos contra hostes esse cognoscens jussit tirones colligere per omnes civitates et vicos; contigit autem et illam terram describi, in qua filii sui educati fuerant, ut darent duos tirones. Universi autem ejus loci incolæ illos duos juvenes tanquam præ ceteris aptiores magistro militum consignaverunt. Videns ergo illos duos juvenes elegantes et morum honestate compositos, cum sibi plurimum placuissent, inter primos in acie ordinavit, et sic profectus ad bellum, subjectis hostibus exercitum suum tribus diebus in quodam loco, ubi uxor sua hospita manebat, requiescere fecit, ubi hospitati sunt; ignorantes tamen, quod mater sua esset, et sedentes circa meridiem et mutuo confabulantes exponebant sibi invicem de infantia sua. Mater vero e contra sedens, quæ ipsi referebant, attentius audiebat. Dixit major minori: Ego dum infans essem, nihil recolo, nisi quod pater meus magister militum erat et mater mea valde speciosa, duosque filios habuit, scilicet me et alium minorem me, qui etiam ipse valde speciosus erat; accipientesque nos parentes nostri egressi sunt de domo nocte ingressique navem, nescio quo euntes. Cumque autem de navi egrederemur, mater nostra, quomodo nescio, in mari relicta est; pater noster portans nos duos, pergebat flens, perveniensque ad quendam fluvium transivit cum fratre meo minori, et me super ripam fluminis reliquit. Cum autem reverteretur, ut me acciperet, lupus venit et illum infantem rapuit; et antequam ad me appropinquaret, leo de silva exiens me rapuit et in silvam duxit. Pastores vero me de ore

leonis eripuerunt, et nutritus sum in illa possessione, in qua et ipse scis, et non potui scire, quod factum sit de patre meo, neque de fratre. Audiens hæc minor frater, cœpit flere et dicere: Per deum, ut audio, frater tuus ego sum, quoniam, qui me educaverunt, mihi dixerunt, quomodo me eruerunt de faucibus lupi. Et in amplexibus ruentes osculabantur se invicem et fleverunt. Audiens hæc mater eorum et considerans, quod eventum suum ita seriatim dixissent, diu apud se tractavit, si filii sui essent. Altera autem die magistrum militum adiit et interpellavit, dicens: Deprecor te, domine, ut me ad patriam tuam perduci jubeas; ego sum de terra Romanorum et hic peregrina sum. Hæc dicens vidit in eo signa mariti sui, et eum cognoscens, cum se jam continere non posset, procidit ad pedes ejus et ait: Precor te, domine, ut mihi exponas pristinam vitam tuam; puto enim, quod tu sis Placidus, magister militum, qui alio nomine Eustachius nuncupatur, quem salvator convertit, qui talem et talem tentationem sustinuit. Cui uxor: Quæ ego sum, in mari ablata fuit, quæ tamen ab omni correptione servata sum, quæ et duos filios, Agapitum et Theosbitum, habuit. Audiens hoc Eustachius et ipsam diligenter considerans, uxorem suam esse recognovit et lacrimas præ gaudio fudit. Ipsam osculatus est; glorificans deum, qui consolatur afflictos. Tunc dixit ei uxor sua: Domine, ubi sunt filii nostri? Qui respondit: A feris capti sunt. Et exposuit ei, quomodo eos perdidit. Et illa: Gratias agamus domino; puto enim, ut, quemadmodum deus donavit nobis, ut inveniremus nos invicem, dabit etiam recognoscere nobis filios nostros. At ille: Dixi tibi, quod a feris devorati sunt. Cui illa: Hesterna die sedens in horto audivi duos juvenes sic et sic suam infantiam exponentes; credo, quod sint filii nostri; interroga eos, et dicent tibi. Convocans autem Eustachius eos et audiens ab eis infantiam suam recognovit, quod filii sui erant; et amplectens eos ipse, et mater super eorum colla plurimum fleverunt, et crebrius eos osculabantur. Omnis autem exercitus plurimum gaudebat de inventione eorum et de victoria barbarorum. Cum igitur redirent, contigit, Trajanum jam obiisse, et successisse ei pejorem in sceleribus, nomine Hadrianus, qui pro victoria obtenta et inventione uxoris et filiorum magnifice eos suscepit et magnum convivium præparavit. Altera autem die ad templum idolorum processit, ut ibi sacrificaret pro victoria barbarorum. Videns autem imperator, quod Eustachius nec pro victoria, nec pro inventione suorum sacrificare vellet, hortabatur, ut sacrificium immolaret. Cui Eustachius: Ego Christum deum colo, et illi soli servio et sacrifico. Tunc imperator ira repletus ipsum cum uxore et filiis in arena statuit et

leonem ferocem ad eos dimitti fecit. Occurrens vero leo et dimisso capite quasi eos adorans ab eis humiliter recessit. Tunc imperator bovem æreum incendi fecit et eos ibidem vivos immitti mandavit. Orantes igitur sancti et se domino commendantes, bovem intrantes ibidem domino spiritum reddiderunt. Tertia autem die de bove sunt coram imperatore extracti, ita penitus intacti inventi sunt, quod nec capillos, nec quidquam eorum vapores incendii aliquatenus contigerunt. Christiani vero eorum corpora tulerunt et in loco celeberrimo recondentes ibidem oratorium construxerunt. Passi sunt autem sub Hadriano, qui regnare cœpit circa annos domini XX Calendas Novembris, vel secundum quosdam XII Calendas Octobris.

Expositio. Carissimi, iste imperator est dominus noster Jesus Christus; Placidus potest dici quilibet homo mundanus, in vanitatibus sæculi occupatus, qui pergit ad venandum ea, quæ sunt mundana, cum militibus suis i. e. quinque sensibus. Tandem venit ad gregem cervorum, in quibus multum delectatur; cervi isti, qui sunt inventi, sunt visus, auditus etc., verba detractoria et vana et sic de aliis sensibus exterioribus. Sed attendatis, quod cervus pulchrior cucurrit et recessit a societate aliorum, quem toto conamine insequebatur Placidus. Cervus ille est ratio, quæ est optima potentia animæ, quam homo tenetur toto conamine in omnibus operibus sequi, si desiderat habere vitam beatam. Cervus ille ascendit ripam; ripa est justitia sive rectitudo, quam ratio semper diligit, et infra cornua rationis vidit imaginem crucifixi. Cornua sunt lex antiqua et nova; in lege antiqua bene prophetisatum erat a multis de adventu Christi et de ejus morte; in lege nova clare videre possumus, quomodo et qua morte pro nostra salute mortuus est; ideo cervus ille bene dicit, ut mundum despiciamus et ea, quæ in mundo sunt; ut sequamur vestigia Christi, sicut fecit Placidus. Sed posses dicere: Libenter essem instructus, quomodo vestigia Christi debeam sequi; ecce exemplum in isto beato Eustachio. Primo renuntia uxori et filiis. Uxor illa, quæ est valde speciosa, est anima tua, ad dei similitudinem creata, quæ semper est parata, Christo obedire, si caro ei consentiat; duo filii parvuli sunt voluntas et opus, qui sunt parvuli, quamdiu homo permanet deo contrarius; unde primo oportet per pœnitentiam in terram cadere, deinde omnia temporalia a te repellere, si non opere, tamen voluntate; hoc est sic intelligendum, quod semper deum omnibus præponas. Post hoc Placidus surrexit et cum uxore et filiis nocte navem intravit. Sic tu, carissime, surge per contritionem cum bona voluntate et bonis operibus et intra navem santæ ecclesiæ, et deus in omnibus erit tibi propitius.

Magister navis est prælatus, qui libenter nos retineret, sed uxorem nostram i. e. animam habet tenere in divinis præceptis; et si contingat, hominem vagari extra navem ecclesiæ, amittere potest duos filios, scilicet voluntatem bonam et bonum opus, quæ prius habuit erga deum, sicut Placidus fecit. Placidus intravit fluvium et infantes portavit, et lupus unum cepit et leo alium. Per fluvium mundum intelligere debemus, per leonem diabolum et per lupum propriam carnem. Diabolus rapit a corde hominis bonam voluntatem, caro bonum opus. Ratio dicit, bonum esse jejunare et in bonis operibus vigilare; caro dicit: Melius est, bene comedere et suaviter dormire. Quid ergo est faciendum? Si illa duo ablata fuerint ab homine, scilicet bona voluntas et opus meritorium, certe pastores et aratores habent cum canibus viriliter sequi. Pastores isti sunt confessores discreti, qui habent nos dirigere, et a via perditionis deducere; aratores sunt prædicatores, qui habent terram cordis nostri per sacram scripturam arare, spinas peccatorum evellere, et virtutes inserere, vitia exstirpare, et per consequens hominem in servitio dei nutrire, ita quod sint in una civitate, scilicet in una dilectione et concordia et caro spiritui non contradicat. Tunc rex misit ad quærendum Placidum; sic deus misit primo patriarchas ad hominem, secundo prophetas, sed homo nolebat fateri eos cognoscere, donec venit filius dei et nos suo pretioso sanguine redemit; ideo justum est, ut hospitium domus nostræ sit mundum per opera meritoria, in quo non sit peccatum. Et sic apparebit uxor munda et speciosa, scilicet anima cum duobus filiis i. e. cum voluntate propria deo semper serviendo per opera misericordiæ. Et videas, quod signum habeas, per quod poteris cognosci, sicut Placidus habuit. Signum illud debet esse dilectio dei et proximi, ut deum super omnia diligas et proximum, sicut te ipsum; et sic poteris fieri magister, scilicet omnium sensuum, eos recte dirigendo, et sic per martyrium macerationis ad vitam æternam pervenire. Quod nobis etc.

Cap. 111.

De custodia et circumspectione habenda ad gregem commissum.

Quidam nobilis quandam vaccam candidam habuit, quam multum dilexit propter duo; primum quod candida erat, secundo quod in dando lac abundavit. Nobilis ille præ nimio amore ordinavit, quod avcca duo cornua aurea habuit; et inter se cogitavit, cui posset

vaccam ad custodiendum dimittere. Erat enim tunc temporis quidam homo, nomine Argus, qui verax in omnibus erat et centum oculos habebat. Nobilis iste nuntium ad Argum misit, ut sine dilatione ulteriori ad eum veniret. Qui cum venisset, ait: Vaccam meam cum cornibus aureis tuæ custodiæ committo, et si bene custodieris, te ad magnas divitias promovebo; si vero cornua fuerint ablata, morte morieris. Argus vero vaccam cum cornibus recepit et secum duxit; singulis diebus cum ea ad pascua perrexit et eam diligenter custodivit et de nocte eam domum reduxit. Erat quidam homo cupidus, nomine Mercurius, subtilis valde in arte musicali, qui miro modo vaccam habere cupiebat; semper ad Argum venit, ut prece vel pretio cornua ab eo obtineret. Argus tenens in manibus baculum pastoralem, quem in terram fixit, et ait baculo in persona domini sui: Tu es dominus meus, nocte ista ad castrum tuum veniam. Tu dicis mihi: Ubi est vacca cum cornibus? Ego respondeo: Ecce vacca sine cornibus; me enim dormiente latro quidam cornua abstulit. Tu dicis: O miser, nonne centum oculos habes? Quomodo erat, quod omnes dormirent et latro cornua abstulit? Hoc est mendacium, et sic ero filius mortis. Si dicam: Vendidi, filius ero domino meo. Deinde ait Mercurio: Perge viam tuam, quia nihil obtinebis. Mercurius recessit, et altera die cum arte musicali et suo instrumento venit. Qui cum venisset, incepit cum Argo more histrionico fabulas dicere et plerumque cantare, quousque duo oculi Argi inceperunt dormire; deinde ad cantum illius duo alii oculi dormitaverunt, et sic deinceps, donec universi somnum caperent. Quod cernens Mercurius caput Argi amputavit et vaccam cum cornibus aureis rapuit.

Moralisatio. Carissimi, nobilis ille est dominus noster Jesus Christus; vacca candida anima ad dei similitudinem creata, quæ, dum manet in puritate vitæ, dat lac invocationis et orationis, propter quæ duo multum a deo diligitur, et ideo dedit ei cornua aurea, quia per utrumque salvati sunt plures homines post mortem Christi. Vacca illa cum cornibus traditur Argo i. e. prælato, unde Argus cum centum oculis claris virum providum et discretum ac undique circumspectum significat, qui semper habet vigilare juxta gregem sibi commissum; unde Ezech. III dicitur prælato: Si non annunciaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, ut vivat, et ipse impius in iniquitate sua moreretur, sanguinem ejus de manu tua requiram; si autem annunciaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua et a via sua pessima, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. Sed heu! multi baculum pastoralem i. e. potestatem suam ante oculos hominum

ostendunt, ut videantur et ut ab hominibus honorentur; sed sæpe contigit, cum venerit aliqua tentatio diabolica, scilicet audiendo cantus musicales, i. e. mulierem, qui cum sæpe ab hominibus libenter audiuntur et in illis delectantur, intantum quod a suæ circumspectionis vigilantia cadunt et dormiente ipsius prudentia spiritualiter pereant et vaccam i. e. animam, quam diligenter servare debent, per peccatum amittunt, unde caput a talibus amputatur, i. e. beata vita quam deo promiserunt per opera meritoria servare. Mercurius i. e. diabolus aufert ab eis vitam æternam ducendo vaccam i. e. animam ad infernum.

Cap. 112.

De curatione animæ per medicinam supercœlestis medici qua quidam curantur et quidam non.

Gorgonius regnavit qui uxorem pulchram accepit quæ concepit et peperit filium. Puer crevit et ab omnibus est dilectus; cum autem decem annos in ætate habuit, mortua est mater ejus et tradita honorifice sepulturæ. Post hoc ex consilio multorum rex aliam uxorem duxit, quæ filium primæ uxoris non dilexit, sed opprobria multa sibi intulit; rex autem hoc percipiens, volens placere uxori, filium suum extra imperium ordinavit, filius sic expulsus artem medicinæ studuit et intantum profecit, quod factus est magnus et perfectus medicus. Audiens rex, quod filius suus in studio profecit, gavisus est valde. Accidit infra tempus breve, quod rex in gravem infirmitatem cecidit, literas pro filio destinavit, ut ad eum sine ulteriori dilatione veniret et eum ab infirmitate liberaret; filius vero, ut voluntatem patris intellexit, ad patrem venit et eum perfecte curavit, unde fama ejus per totum regnum volavit. Post hæc regina mater ejus usque ad mortem infirmabatur, et medici ex omni parte sunt adducti, qui omnes eam ad mortem judicabant. Hoc percipiens rex constristatus est valde, rogavit filium, ut eam curaret; at filius ait: Petitionem vestram implere nolo. Cui pater: Extra regnum meum te expellam. Cui filius: Si sic agitis, injuste mecum facitis, pater! Bene constat vobis, quod me extra regnum expulistis propter ejus suggestionem; unde mea absentia fuit causa vestri doloris ac infirmitatis, et mea præsentia est causa doloris et infirmitatis reginæ, et ideo nolo eam curare, sed ab ea recedere. Ait pater: Eundem morbum habet quem ego habui; me perfecte curasti, sic et eam cura. Respondit filius: Pater mi, licet sit eadem infirmitas, non tamen eadem

complexio est tibi et sibi; quidquid ergo tibi feci, gratum et ratum habuisti; quando palatium intravi et me vidisti, curatus fuisti; noverca mea, quando me videt, gravatur; si loquor, intenditur dolor; si tangam eam, extra se ipsam rapitur; et ideo nihil magis expedit ægris curandis nisi dare eis quod volunt et quod desiderant. Et sic per tales allegationes filius evasit et noverca defuncta est.

Moralisatio. Carissimi, rex iste potest dici primus parens Adam, qui locum et imperium habebat, scilicet paradisum, quem deus dominum totius mundi constituit. Psal.: Omnia subjecisti sub pedibus ejus etc. Qui desponsavit pulchram uxorem i. e. animam ad dei similitudinem creatam, ex qua genuit filium i. e. Christum sua progenie productum quantum ad humanitatem. Uxor i. e. anima moritur spiritualiter per peccatum, quod commisit; statim duxit aliam uxorem, scilicet iniquitatem et miseriam in quam cecidit, per quam paradiso privabatur et in isto mundo ponebatur, ubi in sudore et labore vixit. Filius dei, qui erat de sua progenie, secundum carnem de imperio cœlesti propter nostram infirmitatem et iniquitatem descendit, per qui factus est noster medicus, omnes infirmitates curat, intantum quod fama ejus in cœlo et in terra et in inferno volavit. Sed pater noster Adam graviter infirmabatur per peccatum commissum tam in corpore quam in anima; in corpore perdidit gloriam et honorem, quando de paradiso est expulsus; in anima, quia a deo separatus est in infernum collocatus, deus vero optime et perfecte illum sua benedicta passione curavit, sed novercam, scilicet diabolum, cui per peccatum conjunctus erat, nunquam volebat curare. Dic mihi quare, cum habuerint eandem infirmitatem, quia ambo per peccatum ceciderunt? Ad hoc dico: Licet ambo peccaverint, tamen alio et alio modo; diabolus sine suggestione et ex propria malitia, homo vero per diabolum tentatus et ex fragili materia plasmatus in peccatum cecidit et oleum misericordiæ petiit; ideo medicus dominus noster Jesus Christus hominem curavit, sed non novercam scilicet diabolum. Noverca illa est causa, quare filius dei a multis hominibus in alienam regionem mittitur et ab eis expellitur; sed e converso præsentia divina est causa mortis diaboli, quia ambo se non compatiuntur.

Cap. 113.

De spirituali pugna et remuneratione pro victoria.

Adonias regnavit dives valde, qui torneamenta et hastiludia multum dilexerat; unde quoddam torneamentum fecit proclamari, ut

quicunque se in torneamento melius haberet, mercedem condignam a rege obtineret. Hoc audientes nobiles et optimates ad torneamentum venerunt. Rex ordinavit ut milites dividerentur ita, quod ex una parte plures ordinavit in certo numero et tot ex alia parte; illi vero, qui primo ordinati fuerunt, omnia scuta sua et arma in loco ad hoc deputato per ordinem posuerunt. Rex præcepit, ut quicunque ex alia parte scutum alterius cum hasta tangeret, statim ille, cujus scutum tactum esset, ad torneamentum secum descenderet et una puella ad hoc electa illum armaret et sic contra alium luderet, et si alium in ludo superaret, illo die corona regis coronatus esset et in regali mensa collocaretur. Miles quidam hoc percipiens diligenter omnia scuta respexerat, et unum scutum vidit, in quo erant tria poma aurea, quæ miro modo habere desiderabat, et scutum illud tetigit, alius autem, cujus erat scutum, statim a puella se armari fecit et descendit et contra eum lusit, in quo ludo caput ejus, qui scutum suum tetigit, amputavit et mercedem condignam accepit.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est dominus noster Jesus Christus, qui contra diabolum pugnavit; primo in cœlo commissum est torneamentum i. e. bellum inter deum et diabolum, quando Michael et angeli ejus prœliabantur cum dracone, et postea in terra in die parasceues. Sed redeamus ad propositum. Deus habet tria scuta seu signa scilicet potentiam quæ est scutum patris; sapientiam quæ est scutum filii, bonitatem quæ est scutum spiritus sancti; illa tria scuta posuit deus in uno loco determinato, scilicet in natura humana, quando creavit hominem ad imaginem et similitudinem suam. Primus homo dominabatur omnibus bestiis; ecce potentiam, quæ est scutum patris; primus plenam habuit scientiam de omnibus rebus; ecce sapientiam, quæ est scutum filii; primus homo creatus est in gratia et in dilectione dei et proximi; ecce bonitatem, quæ est scutum spiritus sancti. Malignus vero spiritus in malo obstinatus volens pugnare contra deum accessit ad hominem, in quo tria scuta trium personarum erant appensa, et unum tetigit non scutum patris, dicens: Si comederitis, eritis potentes sicut dii. Non scutum spiritus sancti, dicens: Eritis boni viri amantes. Sed tetigit scutum filii, in quo reperta sunt poma aurea, scilicet operatio trinitatis, dicendo: Si comederitis ex isto fructu, eritis sicut dii, scientes bonum et malum. Tactum ergo est scutum filii dei; quare decuit, ut deus pater mitteret filium, qui malignum spiritum pro nobis expugnaret. Illum dei filium armavit una virgo electa scilicet beata virgo Maria, de qua humanam naturam assumpsit, cum qua nos ad vitam æternam perduxit.

Cap. 114.

De liberatione humani generis e fovea infernali.

Erat quidam rex, in cujus imperio quidam pauper habitabat, qui singulis diebus ad quandam silvam perrexit, ut ligna colligeret ad vendendum, per quæ posset victum et vestitum acquirere. Accidit quadam die, quod ad silvam cum asino suo perrexit. A casu infra densitatem nemoris cecidit, et subito in quandam foveam receptus, de qua nullo modo poterat exire; in qua fovea erat draco horribilis, qui totam foveam interius cum sua cauda circumvolvit. In eadem fovea erant serpentes multi in superiori parte foveæ, in profundo vel in medio erat quidam lapis rotundus, ad quem omnes serpentes singulis diebus semel in die descendebant et illum lambebant; deinde draco simili modo lambebat lapidem. Pauper cum hoc vidisset, intra se cogitabat: Multis diebus in ista fovea sine alimento steti; nisi cibum habuero, fame peribo; pergam ad illum lapidem et lambere volo, sicut serpentes fecerunt. Perrexit ad lapidem, incepit lambere, et invenit omnem saporem, quem cor ejus desiderabat, et sic est refocillatus, ac si omnia cibaria mundi comedisset sive habuisset. Infra paucos dies factum est tonitruum magnum et horribile, ita quod omnes serpentes unus post alium exivit; cum vero nullus serpens remaneret in puteo, draco incepit extra foveam volare; pauper hoc videns caudam draconis tenuit, draco eum de fovea levavit et ad magnam distantiam extra foveam projecit. Ille vero per aliquos dies ibidem stetit ignorans viam extra nemus. Accidit quod quidam mercatores venerunt et eum extra nemus ad viam rectam duxerunt, ille vero gavisus est valde, ad civitatem rediit et omnibus denuntiavit quomodo ei acciderat, et statim post hoc vitam finivit.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est pater cœlestis, pauper ille potest dici quilibet homo, qui nudus est egressus de utero matris suæ; qui intrat nemus, scilicet mundum istum; unde sæpe cadit in foveam profundam, quando cadit in peccatum mortale, ubi jacet in magno periculo, quia sub potestate draconis i. e. diaboli. Serpentes, qui sunt cum eo in fovea, sunt alia peccata venialia, per quæ homo intoxicatur velut per serpentem; lapis rotundus in medio est Christus, unde Psal.: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes etc. In eo invenitur omnis sapor et dulcedo, ad illum debemus tempore tribulationis recurrere et cum devota oratione lambere. Tonitruum magnum est confessio pura facta cum contritione coram sacerdote, de quo tonitruo scilicet confessione omnes serpentes i. e. peccata et dæmones,

quos ad nos per peccata vocamus, terrentur et depelluntur, et draco i. e. diabolus expellitur. Mercatores i. e. prædicatores et confessores, qui quotidie lucrantur animas, quas diabolus conatur auferre. Iste tunc deducitur in viam rectam civitatis sanctæ Jerusalem, ad quam nos perducat dominus noster Jesus Christus etc.

Cap. 115.

De morte Christi pro nostra reconciliatione.

Quidam imperator erat, qui quandam forestam habebat, in qua fuerat quidam elephas, cui penitus nullus appropinquare audebat. Audiens vero hoc rex a philosophis et sapientibus naturam elephantis quæsivit, illi vero responderunt et dixerunt, quod elephas mundas virgines multum diligeret et earum cantu delectaretur. Rex hoc audiens statim fecit inquiri duas puellas honestas et pulchras ac dulciter cantantes, quas in regno suo habebat. Inventæ sunt igitur duæ virgines satis pulchræ et honestæ, quas rex fecit denudari et forestam sic nude intrare; una earum pelvim accepit, altera gladium; et intrabant. In introitu inceperunt dulciter cantare. Hoc audiens elephas venit ad eas, cœpit mamillas earum lambere; virgines continue cantabant tamdiu, quousque elephas in gremio alterius virginis requievit. Alia virgo videns elephantem in gremio alterius virginis dormire cum gladio eum occidit, et virgo, in cujus gremio dormivit, pelvim de sanguine elephantis replevit, et sic ad regem perrexerunt; rex vero gavisus est valde, statim fecit fieri purpuram et multa alia de eodem sanguine.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est pater cœlestis, elephas dominus noster Jesus Christus, qui ante incarnationem erat satis austerus, duæ virgines fuerunt Maria et Eva, quæ ambæ erant nudæ ab omni peccato, Maria sanctificata in utero, Eva collocata in paradiso. Eva gladium portavit i. e. peccatum, quod commisit contra dei præcepta, propter quod Christus verus elephas mortuus est. Maria pelvim i. e. uterum virgineum, in quo conceptus erat Christus et ejus humanitas formata. Elephas ubera lambebat i. e. legem antiquam et novam, quæ sunt duo ubera, per quæ lac salutis sugere poterimus. Christus utraque lambebat, i. e. utramque legem implevit cum sanguinem suum effudit, de cujus sanguine animæ nostræ factæ sunt purpuratæ, omni honore et gaudio, ut sic si volumus vitam æternam possideamus.

Cap. 116.

De dilectione dei, quomodo omnes nos æqualiter diligit usque dum ipsum per peccata nostra despicimus.

Pipinus regnavit, qui quandam pulchram puellam desponsavit, quæ concepit et elegantem filium peperit, sed in partu mortua est. Duxit aliam et ex illa etiam filium genuit, utrumque filium ad nutriendum in longinquas partes misit. Isti duo per omnia sibi invicem erant similes. Cum vero per longa tempora moram traherent, mater secundi filii suum filium videre cupiebat, preces regi fundebat, ut filium suum videre possit. Rex ei concessit, nuntium pro duobus filiis destinavit; cum autem filii venissent, ita per omnia similes erant, licet tamen secundus esset minoris quantitatis et ætatis, quia forte unius anni, nihilominus tamen tantus erat secundus, quantus primus, sicut multotiens contigit, et forte uterque patrisabat in faciè et in unanimitate mentis et corporis, ita quod regina quis ejus filius esset ignorabat. A rege diligenter petivit quis illorum esset filius ejus; sed rex indicare ei noluit. Ipsa hoc audiens flevit amare. Rex cum hoc audisset et vidisset, ait ei: Noli flere! Ille est filius tuus. Et demonstravit sibi filium, quem de prima uxore genuerat. Regina hoc audiens gavisa est valde, statim totam curam dedit filio isti ad nutriendum et de alio nihil curabat, qui erat ejus proprius filius. Rex cum hoc vidisset, dixit ei: Quid facitis? Decepi vos; ille non est filius vester, sed unus istorum est. At illa: Quare sic mecum agitis? Indica mihi! Rogo te. Et ille: Nolo, et hæc est causa: si veritatem tibi dixissem, unum scilicet filium tuum velles diligere et alterum odio habere, et ideo volo quod ambos æqualiter diligas et nutrias. et cum ad ætatem legitimam veniunt, tunc tibi veritatem pandam, de qua gaudebit cor tuum. Hoc audiens regina ambos peroptime nutrivit, donec ad ætatem legitimam pervenerunt; cum autem quis esset filius ejus per regem fuerat experta, ultra modum fuit gavisa, et sic in pace vitam finierunt.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est dominus noster Jesus Christus, duo filii sunt electi et reprobi, mater est sancta ecclesia, quæ est mater ultimi filii; mater primi filii mortua est scilicet lex antiqua per Christi incarnationem. Deus non vult quod mater ecclesia sciat, quis sit electus vel reprobus, sed ut ambos in caritate perfecta nutriat, quia si sciret, unum diligeret et alterum odiret, et sic non esset pax et concordia, sed in die judicii, cum ad legitimam ætatem pervenerint, tunc apparebit veritas, qui sint electi vel reprobi; tunc

electis dicetur illud Matth. XXV: Venite, benedicti patris etc. Reprobis autem: Ite, maledicti etc.

Cap. 117.

De obstinatis ac converti non volentibus et eorum plaga per diffinitivam sententiam.

Fridericus regnavit, qui statuit pro lege, quod quicunque aliquam virginem vi raperet, si aliquis eam de manu raptoris liberare posset, eam in uxorem duceret, si ei placeret. Accidit casus, quod quidam tyrannus quandam virginem rapuit et ad quandam forestam eam duxit et defloravit, illa vero voce magna clamavit. Miles quidam nobilis genere et opere a casu per eandem forestam equitavit et vocem puellæ audivit, percussit equum et ad eam pervenit et causam clamovis ab ea quæsivit. Cui illa: O domine mi, propter deum mihi succurrite! Ille tyrannus me vi rapuit et defloravit et post hoc me occidere proposuit. Ait raptor: Domine, uxor mea est et eam in adulterio inveni; ideo eam occidere proposui. At illa: Domine, non est ita; nunquam uxor alicujus eram, nec unquam polluta nisi hodie per ipsum; ideo mihi succurrite! Adhuc signa virginitatis in me manent. Ait miles tyrannus: Signa manifesta virginitatis in ea video, quod vi eam rapuist ac deflorasti; ideo eam de manibus tuis liberabo. Respondit tyrannus: Si volueris eam liberare, pro ea pugnabo contra te. Statim ambo ad invicem pugnabant et duros ictus dederunt et miles victoriam obtinuit, tamen graviter vulneratus erat. Obtenta victoria ait miles puellæ: Numquid tibi placet, ut te in uxorem accipiam? Quæ ait: Hoc summe et toto corde desidero et super hoc fidem meam tibi dabo. Fide data ait miles puellæ: In castro meo per aliquos dies manebis; interim pergam ad parentes meos et necessaria pro nuptiis providebo, et tunc ad te redibo et cum magna solemnitate te desponsabo. Quæ ait: Domine præsto sum voluntati vestræ per omnia obedire. Miles ei valedixit, et illa ad castrum perrexit. Dum autem miles extra suam patriam esset, ut necessaria pro nuptiis ordinaret, tyrannus ad castrum militis accessit, in quo erat puella et pulsabat; illa vero introitum ei negavit. Tyrannus incepit multa promittere et eam in uxorem honorifice ducere; illa vero dictis ejus credens eum intromisit et ambo simul illa nocte dormierunt. Miles autem post mensem rediit et ad portam castri pulsavit; puella ei non respondit. Ille hoc audiens et percipiens cum amaritudine cordis dixit: O bona puella, ad memoriam reduc, quomodo te salvavi a morte et super

hoc fidem tuam mihi dedisti. Loquere, bona puella, et ostende mihi faciem tuam! Illa hoc audiens quandam fenestram aperuit et ait: Ecce adsum; quid placet, propone! Qui ait: Miror de te, quod ignoras, quid et quanta feci pro te; vulnera diversa recepi pro tuo amore, et si mihi non credis, corpus meum tibi ostendam. His dictis vestimenta deposuit et ait: Ecce, carissima, vulnera diversa, quæ recepi pro tua vita; aperi ergo mihi portam, ut te in sponsam accipiam! Illa vero faciem suam avertebat ab eo et portam noluit aperire. Miles judici est conquestus et pro se legem allegavit, adjiciens, quomodo eam liberasset, et ergo eam in uxorem peteret. Judex hæc audiens pro raptore misit. Qui cum venisset, ait judex raptori: Numquid illam mulierem rapuisti, et ille miles per fortitudinem de manibus tuis liberavit? Ac ille: Etiam, domine! Cui judex: Ergo secundum legem pro sua voluntate uxor ejus est; quare post hoc de uxore alterius te intromisisti, primo quando castrum ejus intrasti ipso ignorante, secundo lectum alterius violasti, tertium per tantum spatium uxorem ejus occupasti; quid ad hoc respondes? Ille obmutuit. Conversus judex ad mulierem dixit: O puella, jure duplici uxor illius militis es, primo quia te de manu raptoris liberavit, secundo quod sibi fidem dedisti; quare ergo post hoc portam sui castri alteri quam viro tuo proprio aperuisti et illum intromisisti? Illa ad hoc non poterat respondere; judex statim sententiam dedit, ut ambo in patibulo suspenderentur, quod et factum est. Omnes ergo judicem laudabant, quod talem sententiam dedit.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est deus, qui istam legem dedit; mulier rapta est anima capta; raptor est diabolus, qui non tantum per peccatum ipsam deflorat, sed etiam æternaliter vult occidere; sed ipsa clamavit, quando petivit oleum misericordiæ, dicens illud Lucæ XV: Miserere mei, fili David, quia filia i. e. conscientia mea male a dæmonio vexatur. Cujus clamorem quidam miles audivit scilicet filius dei equitans super equum humanitatis. Filius dei descendit in forestam istius mundi et bellum contra diabolum pro genere humano commisit, in quo bello vulnera diversa recepit, de quibus vulneribus uterque erat vulneratus, scilicet Christus in carne, diabolus in potestate; unde Esaias dicit: Fortis impellit fortem et ambo pariter corruerunt. Christus sponsalia constituit per baptismum, in quo anima dat fidem, quando diabolo renuntiat et omnibus pompis ejus et deo adhærere promittit; per alias virtutes, quas recepit, facit castrum contra diabolum, mundum et carnem. Interim deus cœlos ascendit ad præparandum nuptias pro nobis, ut in gloria æterna cum ipso conjungeremur secundum illud Joh.: Vado parare vobis

locum. Sed quando anima est in castro corporis, tunc raptor i. e. diabolus puellam i. e. animam aggreditur, quando eam per mundi vanitatem seducit et ad eam ingreditur, quando in peccatum ceciderit et in eo permanet, et sic Christus expellitur. Sed Christus revertens quotidie ad ostium cordis tui pulsat et dicit illud Cantic.: Ego sto ad ostium et pulso etc. Sed anima in peccatis obstinata eum non cognoscit; ideo Christus ostendit sibi vulnera, quæ pro nobis suscepit, ut ad eum inclines cor tuum et fenestram cordis tui saltem aperias. Sed miser homo, quoniam dominum non timet, ut ejus cor aperiat, contra talem judex cœlestis in die judicii dabit sententiam, ut ambo suspendantur in patibulo infernali.

Cap. 118.

De fallacia et dolo.

Miles quidam intravit Aegyptum; cogitans, ibi pecuniam suam relinquere, interrogavit, si aliquis fidelis ibi maneret, cui pecuniam suam ad custodiendum traderet, et audivit, quod erat quidam senex; ad eum accessit, ut mille talenta ei traderet, deinde ad peregrinandum perrexit. Peracto itinere ad eum rediit, cui talenta commiserat, et commissa ab eo quæsivit; at ille plenus nequitia nunquam se eum vidisse asseruit; miles vero sic deceptus contristatus est valde, singulis diebus ab eo petiit et cum blandis sermonibus deprecans, ut sibi redderet. Deceptor increpabat eum, ne talia de eo amplius diceret vel etiam at eum rediret. Ille tristis ab eo recessit, habens obviam quandam vetulam pannis eremitalibus indutam habensque in manu baculum, et per viam levavit lapides, ne transeuntes pedes læderent. Quæ videns eum flentem et cognoscens, quod extraneus esset, commota pietate eum vocavit, et quid ei accidisset interrogavit. At ille ordinate narravit, quomodo per illum senem esset deceptus. At illa: Amice, si vera sunt, quæ mihi dicis, dabo tibi sanum consilium. At ille: Testis est mihi deus; vera utique sunt. Quæ ait: Adduc mihi hominem de terra tua, cujus dictis et factis fides adhiberi posset. Ille vero adduxit; cui adducto præcepit vetula X cophinos emere exterius pretiosis depictos coloribus ferroque ligatos cum seraturis deargentatis lapidibus impleri jussit; miles vero fecit, sicut mulier jussit. Mulier videns omnia parata ait: Nunc decem homines perquire, qui mecum et cum socio tuo ad domum deceptoris tui vadant et cophinos deferant. Unus post alium venientes ordine longo et quam cito primus intravit et nobiscum quiescit. Veni audacter et pete pecuniam!

Ego vero in deo confido, quod pecunia tibi reddetur. Quæ vetula cum socio decepto ad domum deceptoris venit et ait: Domine, iste extraneus homo hospitatus est mecum et vult adire patriam suam et quærit prius pecuniam suam quæ est in decem cophinis, alicui homini probo et fideli commendare, donec revertatur; precor ergo te, ut amore dei et mei in domo tua custodias; et quia audivi et scio te probum et fidelem, nolo per aliquem nisi per te solum pecuniam custodire. Cum sic loqueretur, ecce intravit primus servus deferens cophinum unum. Quod videns deceptor credidit verum esse quod vetula dixit. Post hoc intravit miles, ut vetula præcepit. Quem videns deceptor, timens, si pecuniam peteret et alius sibi non crederet, ad custodiendum suas pecunias contra eum venit adulando dicens: Amice, ubi fuisti? Veni et accipe pecuniam tuam fidei meæ jam diu commendatam! Miles vero lætus pecuniam recepit, gratias agens deo et vetulæ; vetula vero hoc videns surrexit et ait: Domine, ego et homo iste ibimus circa ceteros cophinos et reverti festinabimus; tu vero exspecta, donec redeamus et bene serva quod jam adduximus! Et sic miles per vetulam pecuniam suam recuperavit.

Moralisatio. Carissimi, miles iste est quilibet Christianus, qui in isto mundo quamdiu vivit peregrinatur, quia facit omni die dietam ad mortem; qui decem talenta i. e. decem præcepta domini inordinate per peccatam tradidit cuidam seni; senex iste est mundus plenus deceptionibus, unde si in rebus mundanis delectamur et mundo confidimus, præcepta divina amittimus et vix cum difficultate acquirere cœlum poterimus, donec per veram contritionem confessionem et satisfactionem acquiramus. Vetula ista habitu peregrini induta est conscientia sana, quæ continue amovet lapides i. e. operationes malas de via cordis tui, ne pedes bonarum cogitationum offendantur. Dic mihi, quomodo debes recuperare, quod per peccatum perdidisti? Certe oportet te adducere de patria tua i. e. de corde tuo X homines i. e. decem opera pœnitentiæ, ita quod pró quolibet præcepto quod per peccatam violasti unum actum misericordiæ seu pœnitentiæ oportet te adimplere, quia secundum beatum Augustinum nullum bonum irremuneratum et nullum malum impunitum. Item oportet quod habeat cophinum bene ligatum scilicet contritum cor et virtutibus bene insignitum parvis lapillis plenum. Lapides isti in corde est meditatio scilicet vulnerum Christi et memoria passionis ejus, quæ continue oportet habere contra diabolum, mundum et carnem, in cujus figura dicitur I Regum, quod David cum baculo pastorali et cum funda et quinque lapidibus Goliam occidit. David interpretatur manu fortis et signat Christum; funda signat amorem

trahentem eum de cœlo in mundum, a mundo in crucem; quinque lapides sunt quinque vulnera, Golias et diabolus, et sic per quinque lapides i. e. vulnera tandem occiditur; si ergo istos lapides continue in cophino cordis tui habueris, virtutes per peccatum perditas rehabere poteris et sic pergere cum gaudio ad patriam tuam i. e. vitam æternam.

Cap. 119.

Quod omnium viventium in mundo de beneficiis acceptis est ingratissimus homo.

Quidam rex senescallum habuit super imperium suum, cujus cor ita elevatum et exaltatum est, quod omnes opprimebat, quia ad nutum ejus omnia fiebant. Juxta palatium imperatoris erat quædam foresta animalibus silvestribus plena; qui ordinavit, quod fierent diversæ foveæ, quas foliis cooperiebant, ut bestiæ subito in eas caderent et sic caperentur. Accidit, quod senescallus transiret per forestam et elevatum est cor ejus intantum, quod opinabatur, quod nullus major eo esset in imperio. Qui ulterius equitans cecidit in unam foveam, quam exire non potuit; eadem die in eandem foveam leo occidit, postea simia, et tertio serpens. Senescallus se videns circumvolutum istis bestiis timuit et clamavit; cujus clamorem audiens quidam pauper nomine Guido, qui cum asino ducebat ligna de foresta, de quibus victum quæsivit, venit ad foveam, cui promisit multas divitias, ut eum extraheret. Guido ait: Carissime, nihil habeo, unde vivere possim, nisi colligo ligna; si laborem istius dici dimitterem, damnum incurrerem. Qui ei promittens bona fide, quod ei de divitiis provideret, si eum extraheret. Guido hoc audiens ad civitatem ivit et longam cordam secum portavit, quam in foveam misit, ut senescallus se succingeret et sic eum sursum traheret. Qua demissa saltavit leo ante super cordam et extractus est; quo facto applausum ei fecit et ad silvam cucurrit; deinde iterum cordam misit in foveam et ecce simia super eam saltavit, quam Guido sursum traxit et ad silvam cucurrit; postea iterum cordam descendere permisit et serpens super eam saltavit, quem etiam extraxit; applausum ei fecit et ad silvam cucurrit; deinde miles clamavit: O carissime, benedictus altissimus, jam de bestiis sum liberatus, cordam permitte descendere: Quod et factum est. Miles se succinxit et Guido eum extraxit, deinde equum extraxerunt; statim senescallus equum ascendit et ad palatium regis venit, Guido vero domi venit. Uxor videns eum vacuum

contristata est valde; ille vero processum ei narravit et quod mercedem condignam reciperet, de quo uxor gavisa est; mane vero Guido ibat ad castrum mittens janitorem ad senescallum, quod ipse ibi esset; qui prima et secunda vice negavit quod eum unquam viderit, imo nisi recederet, ipsum crudeliter verberaret; quod et fecit. Qui dum tertia vice reversus esset, ita crudeliter portarius eum verberavit, quod ipsum semivivum reliquit. Quod audiens uxor Guidonis venit et cum asino eum ad domum duxit et diu infirmatus est et omnia bona sua in infirmitate consumpsit, quæ habuit. Dum autem sanus factus esset et una dierum ligna colligeret, vidit a longe decem asinos oneratos cum fardellis et leonem a parte posteriori sequentem recto tramite versus Guidonem eos duxit; Guido intime respexit leonem et statim memoriam habuit, quod erat ille leo, quem de fovea extraxit. Leo cum ad eum venisset, cum pede signum ei fecit, ut cum asinis oneratis domum accederet; quod et fecit. Guido asinos secum domi duxit et leo sequebatur, quousque Guido ad domum pervenit; cum autem asini domum intrassent, leo cum cauda applausum fecit Guidoni et ad silvam cucurrit. Guido per diversas ecclesias proclamari fecit, si aliquis asinos amisisset. Et non est inventus unus, qui profiteretur, se aliquem perdidisse. Ipse aperiens fardellas divitias multas invenit, de quibus non modicum gaudens dives effectus est. Cum secunda die Guido ad forestam venit et instrumentum ferreum ut ligna scinderet non haberet, respexit superius et vidit simiam, quam de fovea extraxit, quæ cum dentibus et unguibus tantum frangebat, quod Guido sine labore asinum suum oneravit et domum est reversus. Tertia vero die Guido ad forestam revertitur, et cum sederet ad præparandum instrumentum, vidit serpentem, quem de fovea extraxit portantem lapidem in ore suo coloratum triplici colore; ex una parte erat albus, ex alia niger, ex tertia rubicundus; os suum aperuit et in gremio ejus permisit cadere et abscessit. Guido cum lapide ad unum peritum accessit; qui cum eum vidisset et virtutem ipsius cognovisset, libenter centum florenos pro lapide dedisset, Guido vero virtute lapidis multa bona acquisivit et in militiam est promotus; quod intelligens imperator eum ad se venire præcepit et lapidem habere voluit pro pecuniis, aut eum extra regnum mitteret. Ait Guido: Lapidem vendam; sed unum dico; si non valorem mihi dederitis, ad me redibit. Qui dedit sibi trecentos florenos et tamen Guido in arca sua invenit, quem imperatori reddidit; qui admirans dixit: Dic mihi, unde lapidem habuisti? Ille vero a principio usque ad finem narravit, quomodo senescallus in foveam cecidit cum leone, simia et serpente, et quod pro mercede vulneratus fuit a senescallo

et quid a leone simia et serpente recepit. Hoc audiens imperator, commota sunt omnia viscera ejus contra senescallum et ait ei: Quid est, quod audio de te? Ille negare non poterat; cui imperator: O pessime, magnam ingratitudinem fecisti Guidoni, ex quo de periculo mortis te liberavit et hic eum semivivum reliquisti! O miser, ecce bestiæ irrationales sicut leo, simia et serpens mercedem ei reddiderunt pro bono, tu vero hodie contra bonum malum reddidisti, et ideo omnia quæ habes et dignitatem tuam Guidoni dabis et te hodie in patibulo suspendendum judico. Quod audientes satrapæ imperii, eis placuit judicium et Guido imperium regebat et vitam in pace finivit.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est deus qui omnia videt; pauper iste est homo, qui nihil ex se habet, Job. I: Nudus egressus sum ex utero matris meæ, nudus revertar illuc. Deus pauperem istum promovit, quando eum dominum paradisi constituit. Psal.: Omnia subjecisti sub pedibus ejus etc. Fovea, in quam cecidit, mundus est, qui est plenus foveis scilicet periculis, quia totus mundus in maligno positus est. In isto mundo cecidit miser homo in multas foveas, Genes. III: In sudore vultus tui etc. Leo in eandem foveam cecidit, scilicet filius dei, quando naturam humanam assumpsit, et in miseria magna triginta tribus annis vixit. Psal.: Cum ipso sum in tribulationibus etc. Iste est leo, de quo dicitur Apocalyps. V: Vicit leo de tribu Juda etc. Deinde simia i. e. tua conscientia cecidit, quæ ad modum simiæ lacerat ea, quæ ei displicent, quia semper contra peccatum murmurat. Item serpens cecidit in foveam, scilicet prælatus vel confessor, qui cum peccatore debet descendere i. e. condolere ejus peccatis II Cor. XI: Quis infirmatur et ego non infirmor? Item sicut Guido cum corda extraxit senescallum, sic filius dei cum corda passionis suæ nos extraxit de fovea miseriæ et de potestate diaboli, sed miser homo hoc non obstante ingratus efficitur deo, quotiens contra legem dei peccat. Guido erat verberatus; sic homo, quando mortaliter peccat, quantum in eo est, deum iterato crucifigit. Sed leo deus dedit Christo inquantum homini decem asinos oneratos i. e. omnia præcepta sub ejus potestate, antiqua et nova, dispensando cum homine, et si illa præcepta fecerimus, ad æternas divitias perveniemus. Guido ligna scindebat i. e. conscientia tua stimulat perpetrare, per quæ corpus et animam in die judicii operiri poteris, propter quæ requiem æternam obtinebis; quia si contra conscientiam agas, ad gehennam ignis deduceris. Serpens dedit ei lapidem triplici colore coloratum; sic prælatus et confessor per informationem sacræ scripturæ poterat lapidem i. e. Christum obtinere. Ille lapis

erat pulcher et albus; sic Christus speciosus forma præ filiis hominum; item niger erat per Christi passionem, rubicundus per sanguinis effusionem. Qui ergo istum lapidem portat, ille habet abundantiam sine defectu, nec illum lapidem debes vendere a se ipso, nisi det tantum pretium, quantum Christus, scilicet per contritionem confessionem et satisfactionem; sed ingrati in patibulo infernali erunt suspensi, electi vero vitam æternam obtinebunt, quod nobis concedat qui sine fine etc.

Cap. 120.

De amicitiæ veræ probatione.

Darius regnavit prudens valde, qui tres filios habuit, quos multum dilexit. Cum vero mori deberet, totam hereditatem primogenito legavit, secundo filio dedit omnia, quæ in tempore suo acquisivit, tertio filio scilicet juniori tria jocalia pretiosa dedit, scilicet anulum aureum, monile et pannum pretiosum. Anulus illam virtutem habuit, quod qui ipsum in digito gestabat, gratiam omnium habuit, intantum quod quidquid ab eis peteret obtineret; monile illam virtutem habuit, quod qui eum in pectore portabat quidquid cor sum desiderabat quod possibile esset obtineret. Pannus illam virtutem habuit, quod quicunque super eum sederet et intra se cogitaret ubicunque esse vellet subito ibi esset. Ista tria jocalia dedit filio suo juniori, ut ad studium pergeret et mater ea custodiret et tempore opportuno ei daret; statimque rex spiritum emisit, qui honorifice est sepultus. Duo primi filii ejus legata occupabant, tertius filius anulum a matre recepit, ut ad studium pergeret, cui mater dixit: Fili, scientiam acquire et a muliere caveas, ne forte anulum perdas. Jonathas anulum recepit, ad studium accessit et in scientia profecit. Post hoc cito quadam die in platea ei quædam puella occurrebat satis formosa; captus ejus amore eam secum duxit et continuo anulo utebatur, gratiam omnium habuit, et quidquid ab eis voluit habere, obtinuit. Puella ejus concubina mirabatur, quod tam laute viveret, cum tamen pecuniam non haberet; rationem quadam vice cum lætus esset quæsivit, dicens, quod creatura sub cœlo non esset, quam magis diligeret; ideo sibi dicere deberet. Ille de malitia non præmeditatus sibi dixit, virtutem anuli esse talem etc. At illa: Cum singulis diebus cum hominibus conversare soles, perdere posses; ideo custodiam tibi eum fideliter. Qui tradidit ei anulum, quem cum retrahere non posset, flevit amare, quia unde viveret non habuit. Qui statim ad reginam matrem suam est reversus

denuntians ei anulum perditum. At illa: Fili mi, tibi prædixi, ut a muliere te caveas; ecce tibi jam trado monile, quod diligentius custodias; si perdideris, honore et commodo perpetuo carebis. Jonathas monile recepit et ad idem studium est reversus, et ecce concubina ejus in porta civitatis occurrit et cum gaudio eum recepit; ille ut prius eam secum habuit, monili in pectore utebatur et quidquid cogitabat habebat, et sicut prius convivia multa habuit et laute vixit. Concubina mirabatur, quod nec aurum nec argentum videbat; cogitabat, quod aliud jocale apportatum esset, quod sagaciter ab eo indagavit; qui ei monile ostendit et virtutem ejus dixit; quæ ait: Semper monile tecum portas; una hora tantum cogitare posses, quod per annum sufficeret tibi; ideo trade mihi ad custodiendum. At ille: Timeo, quod sicut anulum perdidisti, sic perderes monile, et sic damnum maximum incurrerem. Quæ ait: O domine, jam per anulum scientiam acquisivi; valde tibi fideliter promitto, quod sic custodiam monile, quod nullus posset a me auferre. Ille credens dictis ejus monile ei tradidit; postquam omnia consumpta fuissent, monile petiit; illa sicut prius juravit, quod furtive ablatum esset. Quod audiens Jonathas flevit amare et ait: Nonne sensum perdidi quod post anulum perditum monile tibi tradidi! Perrexit ad matrem et ei totum processum nuntiavit; illa non modicum dolens dixit: O fili carissime, quare spem posuisti in muliere? Jam altera vice deceptus es per eam et ab omnibus ut stultus reputaris; amodo sapientiam addiscas, quia nihil habeo tibi, nisi pannum pretiosum, quem pater tuus tibi dedit, et si illum perdideris, ad me amplius redire non valeas. Ille pannum recepit et ad studium perrexit et concubina ejus ut prius eum gaudenter recepit; qui expandens pannum dixit: Carissima, istum pannum dedit mihi pater meus, et ambo posuerunt se super pannum. Jonathas intra se cogitabat: Utinam essemus in tantam distantiam, ubi nullus hominum venit! Et sic factum est; fuerunt enim in fine mundi in una foresta, quæ multum distabat ab hominibus. Illa tristabatur et Jonathas votum vovit deo cœli, quod dimitteret eam bestiis ad devorandum, donec redderet anulum et monile, quæ promisit facere, si posset, et ad petitionem concubinæ Jonathas virtutem panni dixit, scilicet quicunque super eo quiesceret et cogitaret ubi esse vellet, ibi statim esset. Deinde ipsa se super pannum posuit et caput ejus in gremio suo collocavit, et cum dormire cœpisset, ipsa partem panni, supra quam sedebat, ad se traxit. At illa cogitabat: Utinam essem in loco, ubi mane fui! Quod factum est et Jonathas dormiens in foresta mansit. Cum autem de somno surrexisset et pannum ablatum cum concubina vidisset,

complexio est tibi et sibi; quidquid ergo tibi feci, gratum et ratum habuisti; quando palatium intravi et me vidisti, curatus fuisti; noverca mea, quando me videt, gravatur; si loquor, intenditur dolor; si tangam eam, extra se ipsam rapitur; et ideo nihil magis expedit ægris curandis nisi dare eis quod volunt et quod desiderant. Et sic per tales allegationes filius evasit et noverca defuncta est.

Moralisatio. Carissimi, rex iste potest dici primus parens Adam, qui locum et imperium habebat, scilicet paradisum, quem deus dominum totius mundi constituit. Psal.: Omnia subjecisti sub pedibus ejus etc. Qui desponsavit pulchram uxorem i. e. animam ad dei similitudinem creatam, ex qua genuit filium i. e. Christum sua progenie productum quantum ad humanitatem. Uxor i. e. anima moritur spiritualiter per peccatum, quod commisit; statim duxit aliam uxorem, scilicet iniquitatem et miseriam in quam cecidit, per quam paradiso privabatur et in isto mundo ponebatur, ubi in sudore et labore vixit. Filius dei, qui erat de sua progenie, secundum carnem de imperio cœlesti propter nostram infirmitatem et iniquitatem descendit, per qui factus est noster medicus, omnes infirmitates curat, intantum quod fama ejus in cœlo et in terra et in inferno volavit. Sed pater noster Adam graviter infirmabatur per peccatum commissum tam in corpore quam in anima; in corpore perdidit gloriam et honorem, quando de paradiso est expulsus; in anima, quia a deo separatus est in infernum collocatus, deus vero optime et perfecte illum sua benedicta passione curavit, sed novercam, scilicet diabolum, cui per peccatum conjunctus erat, nunquam volebat curare. Dic mihi quare, cum habuerint eandem infirmitatem, quia ambo per peccatum ceciderunt? Ad hoc dico: Licet ambo peccaverint, tamen alio et alio modo; diabolus sine suggestione et ex propria malitia, homo vero per diabolum tentatus et ex fragili materia plasmatus in peccatum cecidit et oleum misericordiæ petiit; ideo medicus dominus noster Jesus Christus hominem curavit, sed non novercam scilicet diabolum. Noverca illa est causa, quare filius dei a multis hominibus in alienam regionem mittitur et ab eis expellitur; sed e converso præsentia divina est causa mortis diaboli, quia ambo se non compatiuntur.

Cap. 113.

De spirituali pugna et remuneratione pro victoria.

Adonias regnavit dives valde, qui torneamenta et hastiludia multum dilexerat; unde quoddam torneamentum fecit proclamari, ut

quicunque se in torneamento melius haberet, mercedem condignam a rege obtineret. Hoc audientes nobiles et optimates ad torneamentum venerunt. Rex ordinavit ut milites dividerentur ita, quod ex una parte plures ordinavit in certo numero et tot ex alia parte; illi vero, qui primo ordinati fuerunt, omnia scuta sua et arma in loco ad hoc deputato per ordinem posuerunt. Rex præcepit, ut quicunque ex alia parte scutum alterius cum hasta tangeret, statim ille, cujus scutum tactum esset, ad torneamentum secum descenderet et una puella ad hoc electa illum armaret et sic contra alium luderet, et si alium in ludo superaret, illo die corona regis coronatus esset et in regali mensa collocaretur. Miles quidam hoc percipiens diligenter omnia scuta respexerat, et unum scutum vidit, in quo erant tria poma aurea, quæ miro modo habere desiderabat, et scutum illud tetigit, alius autem, cujus erat scutum, statim a puella se armari fecit et descendit et contra eum lusit, in quo ludo caput ejus, qui scutum suum tetigit, amputavit et mercedem condignam accepit.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est dominus noster Jesus Christus, qui contra diabolum pugnavit; primo in cœlo commissum est torneamentum i. e. bellum inter deum et diabolum, quando Michael et angeli ejus prœliabantur cum dracone, et postea in terra in die parasceues. Sed redeamus ad propositum. Deus habet tria scuta seu signa scilicet potentiam quæ est scutum patris; sapientiam quæ est scutum filii, bonitatem quæ est scutum spiritus sancti; illa tria scuta posuit deus in uno loco determinato, scilicet in natura humana, quando creavit hominem ad imaginem et similitudinem suam. Primus homo dominabatur omnibus bestiis; ecce potentiam, quæ est scutum patris; primus plenam habuit scientiam de omnibus rebus; ecce sapientiam, quæ est scutum filii; primus homo creatus est in gratia et in dilectione dei et proximi; ecce bonitatem, quæ est scutum spiritus sancti. Malignus vero spiritus in malo obstinatus volens pugnare contra deum accessit ad hominem, in quo tria scuta trium personarum erant appensa, et unum tetigit non scutum patris, dicens: Si comederitis, eritis potentes sicut dii. Non scutum spiritus sancti, dicens: Eritis boni viri amantes. Sed tetigit scutum filii, in quo reperta sunt poma aurea, scilicet operatio trinitatis, dicendo: Si comederitis ex isto fructu, eritis sicut dii, scientes bonum et malum. Tactum ergo est scutum filii dei; quare decuit, ut deus pater mitteret filium, qui malignum spiritum pro nobis expugnaret. Illum dei filium armavit una virgo electa scilicet beata virgo Maria, de qua humanam naturam assumpsit, cum qua nos ad vitam æternam perduxit.

Cap. 114.

De liberatione humani generis e fovea infernali.

Erat quidam rex, in cujus imperio quidam pauper habitabat, qui singulis diebus ad quandam silvam perrexit, ut ligna colligeret ad vendendum, per quæ posset victum et vestitum acquirere. Accidit quadam die, quod ad silvam cum asino suo perrexit. A casu infra densitatem nemoris cecidit, et subito in quandam foveam receptus, de qua nullo modo poterat exire; in qua fovea erat draco horribilis, qui totam foveam interius cum sua cauda circumvolvit. In eadem fovea erant serpentes multi in superiori parte foveæ, in profundo vel in medio erat quidam lapis rotundus, ad quem omnes serpentes singulis diebus semel in die descendebant et illum lambebant; deinde draco simili modo lambebat lapidem. Pauper cum hoc vidisset, intra se cogitabat: Multis diebus in ista fovea sine alimento steti; nisi cibum habuero, fame peribo; pergam ad illum lapidem et lambere volo, sicut serpentes fecerunt. Perrexit ad lapidem, incepit lambere, et invenit omnem saporem, quem cor ejus desiderabat, et sic est refocillatus, ac si omnia cibaria mundi comedisset sive habuisset. Infra paucos dies factum est tonitruum magnum et horribile, ita quod omnes serpentes unus post alium exivit; cum vero nullus serpens remaneret in puteo, draco incepit extra foveam volare; pauper hoc videns caudam draconis tenuit, draco eum de fovea levavit et ad magnam distantiam extra foveam projecit. Ille vero per aliquos dies ibidem stetit ignorans viam extra nemus. Accidit quod quidam mercatores venerunt et cum extra nemus ad viam rectam duxerunt, ille vero gavisus est valde, ad civitatem rediit et omnibus denuntiavit quomodo ei acciderat, et statim post hoc vitam finivit.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est pater cœlestis, pauper ille potest dici quilibet homo, qui nudus est egressus de utero matris suæ; qui intrat nemus, scilicet mundum istum; unde sæpe cadit in foveam profundam, quando cadit in peccatum mortale, ubi jacet in magno periculo, quia sub potestate draconis i. e. diaboli. Serpentes, qui sunt cum eo in fovea, sunt alia peccata venialia, per quæ homo intoxicatur velut per serpentem; lapis rotundus in medio est Christus, unde Psal.: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes etc. In eo invenitur omnis sapor et dulcedo, ad illum debemus tempore tribulationis recurrere et cum devota oratione lambere. Tonitruum magnum est confessio pura facta cum contritione coram sacerdote, de quo tonitruo scilicet confessione omnes serpentes i. e. peccata et dæmones,

quos ad nos per peccata vocamus, terrentur et depelluntur, et draco i. e. diabolus expellitur. Mercatores i. e. prædicatores et confessores, qui quotidie lucrantur animas, quas diabolus conatur auferre. Iste tunc deducitur in viam rectam civitatis sanctæ Jerusalem, ad quam nos perducat dominus noster Jesus Christus etc.

Cap. 115.

De morte Christi pro nostra reconciliatione.

Quidam imperator erat, qui quandam forestam habebat, in qua fuerat quidam elephas, cui penitus nullus appropinquare audebat. Audiens vero hoc rex a philosophis et sapientibus naturam elephantis quæsivit, illi vero responderunt et dixerunt, quod elephas mundas virgines multum diligeret et earum cantu delectaretur. Rex hoc audiens statim fecit inquiri duas puellas honestas et pulchras ac dulciter cantantes, quas in regno suo habebat. Inventæ sunt igitur duæ virgines satis pulchræ et honestæ, quas rex fecit denudari et forestam sic nude intrare; una earum pelvim accepit, altera gladium; et intrabant. In introitu inceperunt dulciter cantare. Hoc audiens elephas venit ad eas, cœpit mamillas earum lambere; virgines continue cantabant tamdiu, quousque elephas in gremio alterius virginis requievit. Alia virgo videns elephantem in gremio alterius virginis dormire cum gladio eum occidit, et virgo, in cujus gremio dormivit, pelvim de sanguine elephantis replevit, et sic ad regem perrexerunt; rex vero gavisus est valde, statim fecit fieri purpuram et multa alia de eodem sanguine.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est pater cœlestis, elephas dominus noster Jesus Christus, qui ante incarnationem erat satis austerus, duæ virgines fuerunt Maria et Eva, quæ ambæ erant nudæ ab omni peccato, Maria sanctificata in utero, Eva collocata in paradiso. Eva gladium portavit i. e. peccatum, quod commisit contra dei præcepta, propter quod Christus verus elephas mortuus est. Maria pelvim i. e. uterum virgineum, in quo conceptus erat Christus et ejus humanitas formata. Elephas ubera lambebat i. e. legem antiquam et novam, quæ sunt duo ubera, per quæ lac salutis sugere poterimus. Christus utraque lambebat, i. e. utramque legem implevit cum sanguinem suum effudit, de cujus sanguine animæ nostræ factæ sunt purpuratæ, omni honore et gaudio, ut sic si volumus vitam æternam possideamus.

Cap. 116.

De dilectione dei, quomodo omnes nos æqualiter diligit usque dum ipsum per peccata nostra despicimus.

Pipinus regnavit, qui quandam pulchram puellam desponsavit, quæ concepit et elegantem filium peperit, sed in partu mortua est. Duxit aliam et ex illa etiam filium genuit, utrumque filium ad nutriendum in longinquas partes misit. Isti duo per omnia sibi invicem erant similes. Cum vero per longa tempora moram traherent, mater secundi filii suum filium videre cupiebat, preces regi fundebat, ut filium suum videre possit. Rex ei concessit, nuntium pro duobus filiis destinavit; cum autem filii venissent, ita per omnia similes erant, licet tamen secundus esset minoris quantitatis et ætatis, quia forte unius anni, nihilominus tamen tantus erat secundus, quantus primus, sicut multotiens contigit, et forte uterque patrisabat in facie et in unanimitate mentis et corporis, ita quod regina quis ejus filius esset ignorabat. A rege diligenter petivit quis illorum esset filius ejus; sed rex indicare ei noluit. Ipsa hoc audiens flevit amare. Rex cum hoc audisset et vidisset, ait ei: Noli flere! Ille est filius tuus. Et demonstravit sibi filium, quem de prima uxore genuerat. Regina hoc audiens gavisa est valde, statim totam curam dedit filio isti ad nutriendum et de alio nihil curabat, qui erat ejus proprius filius. Rex cum hoc vidisset, dixit ei: Quid facitis? Decepi vos; ille non est filius vester, sed unus istorum est. At illa: Quare sic mecum agitis? Indica mihi! Rogo te. Et ille: Nolo, et hæc est causa: si veritatem tibi dixissem, unum scilicet filium tuum velles diligere et alterum odio habere, et ideo volo quod ambos æqualiter diligas et nutrias. et cum ad ætatem legitimam veniunt, tunc tibi veritatem pandam, de qua gaudebit cor tuum. Hoc audiens regina ambos peroptime nutrivit, donec ad ætatem legitimam pervenerunt; cum autem quis esset filius ejus per regem fuerat experta, ultra modum fuit gavisa, et sic in pace vitam finierunt.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est dominus noster Jesus Christus, duo filii sunt electi et reprobi, mater est sancta ecclesia, quæ est mater ultimi filii; mater primi filii mortua est scilicet lex antiqua per Christi incarnationem. Deus non vult quod mater ecclesia sciat, quis sit electus vel reprobus, sed ut ambos in caritate perfecta nutriat, quia si sciret, unum diligeret et alterum odiret, et sic non esset pax et concordia, sed in die judicii, cum ad legitimam ætatem pervenerint, tunc apparebit veritas, qui sint electi vel reprobi; tunc

electis dicetur illud Matth. XXV: Venite, benedicti patris etc. Reprobis autem: Ite, maledicti etc.

Cap. 117.

De obstinatis ac converti non volentibus et eorum plaga per diffinitivam sententiam.

Fridericus regnavit, qui statuit pro lege, quod quicunque aliquam virginem vi raperet, si aliquis eam de manu raptoris liberare posset, eam in uxorem duceret, si ei placeret. Accidit casus, quod quidam tyrannus quandam virginem rapuit et ad quandam forestam eam duxit et defloravit, illa vero voce magna clamavit. Miles quidam nobilis genere et opere a casu per eandem forestam equitavit et vocem puellæ audivit, percussit equum et ad eam pervenit et causam clamovis ab ea quæsivit. Cui illa: O domine mi, propter deum mihi succurrite! Ille tyrannus me vi rapuit et defloravit et post hoc me occidere proposuit. Ait raptor: Domine, uxor mea est et eam in adulterio inveni; ideo eam occidere proposui. At illa: Domine, non est ita; nunquam uxor alicujus eram, nec unquam polluta nisi hodie per ipsum; ideo mihi succurrite! Adhuc signa virginitatis in me manent. Ait miles tyrannus: Signa manifesta virginitatis in ea video, quod vi eam rapuist ac deflorasti; ideo eam de manibus tuis liberabo. Respondit tyrannus: Si volueris eam liberare, pro ea pugnabo contra te. Statim ambo ad invicem pugnabant et duros ictus dederunt et miles victoriam obtinuit, tamen graviter vulneratus erat. Obtenta victoria ait miles puellæ: Numquid tibi placet, ut te in uxorem accipiam? Quæ ait: Hoc summe et toto corde desidero et super hoc fidem meam tibi dabo. Fide data ait miles puellæ: In castro meo per aliquos dies manebis; interim pergam ad parentes meos et necessaria pro nuptiis providebo, et tunc ad te redibo et cum magna solemnitate te desponsabo. Quæ ait: Domine præsto sum voluntati vestræ per omnia obedire. Miles ei valedixit, et illa ad castrum perrexit. Dum autem miles extra suam patriam esset, ut necessaria pro nuptiis ordinaret, tyrannus ad castrum militis accessit, in quo erat puella et pulsabat; illa vero introitum ei negavit. Tyrannus incepit multa promittere et eam in uxorem honorifice ducere; illa vero dictis ejus credens eum intromisit et ambo simul illa nocte dormierunt. Miles autem post mensem rediit et ad portam castri pulsavit; puella ei non respondit. Ille hoc audiens et percipiens cum amaritudine cordis dixit: O bona puella, ad memoriam reduc, quomodo te salvavi a morte et super

hoc fidem tuam mihi dedisti. Loquere, bona puella, et ostende mihi faciem tuam! Illa hoc audiens quandam fenestram aperuit et ait: Ecce adsum; quid placet, propone! Qui ait: Miror de te, quod ignoras, quid et quanta feci pro te; vulnera diversa recepi pro tuo amore, et si mihi non credis, corpus meum tibi ostendam. His dictis vestimenta deposuit et ait: Ecce, carissima, vulnera diversa, quæ recepi pro tua vita; aperi ergo mihi portam, ut te in sponsam accipiam! Illa vero faciem suam avertebat ab eo et portam noluit aperire. Miles judici est conquestus et pro se legem allegavit, adjiciens, quomodo eam liberasset, et ergo eam in uxorem peteret. Judex hæc audiens pro raptore misit. Qui cum venisset, ait judex raptori: Numquid illam mulierem rapuisti, et ille miles per fortitudinem de manibus tuis liberavit? Ac ille: Etiam, domine! Cui judex: Ergo secundum legem pro sua voluntate uxor ejus est; quare post hoc de uxore alterius te intromisisti, primo quando castrum ejus intrasti ipso ignorante, secundo lectum alterius violasti, tertium per tantum spatium uxorem ejus occupasti; quid ad hoc respondes? Ille obmutuit. Conversus judex ad mulierem dixit: O puella, jure duplici uxor illius militis es, primo quia te de manu raptoris liberavit, secundo quod sibi fidem dedisti; quare ergo post hoc portam sui castri alteri quam viro tuo proprio aperuisti et illum intromisisti? Illa ad hoc non poterat respondere; judex statim sententiam dedit, ut ambo in patibulo suspenderentur, quod et factum est. Omnes ergo judicem laudabant, quod talem sententiam dedit.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est deus, qui istam legem dedit; mulier rapta est anima capta; raptor est diabolus, qui non tantum per peccatum ipsam deflorat, sed etiam æternaliter vult occidere; sed ipsa clamavit, quando petivit oleum misericordiæ, dicens illud Lucæ XV: Miserere mei, fili David, quia filia i. e. conscientia mea male a dæmonio vexatur. Cujus clamorem quidam miles audivit scilicet filius dei equitans super equum humanitatis. Filius dei descendit in forestam istius mundi et bellum contra diabolum pro genere humano commisit, in quo bello vulnera diversa recepit, de quibus vulneribus uterque erat vulneratus, scilicet Christus in carne, diabolus in potestate; unde Esaias dicit: Fortis impellit fortem et ambo pariter corruerunt. Christus sponsalia constituit per baptismum, in quo anima dat fidem, quando diabolo renuntiat et omnibus pompis ejus et deo adhærere promittit; per alias virtutes, quas recepit, facit castrum contra diabolum, mundum et carnem. Interim deus cœlos ascendit ad præparandum nuptias pro nobis, ut in gloria æterna cum ipso conjungeremur secundum illud Joh.: Vado parare vobis

locum. Sed quando anima est in castro corporis, tunc raptor i. e. diabolus puellam i. e. animam aggreditur, quando eam per mundi vanitatem seducit et ad eam ingreditur, quando in peccatum ceciderit et in eo permanet, et sic Christus expellitur. Sed Christus revertens quotidie ad ostium cordis tui pulsat et dicit illud Cantic.: Ego sto ad ostium et pulso etc. Sed anima in peccatis obstinata eum non cognoscit; ideo Christus ostendit sibi vulnera, quæ pro nobis suscepit, ut ad eum inclines cor tuum et fenestram cordis tui saltem aperias. Sed miser homo, quoniam dominum non timet, ut ejus cor aperiat, contra talem judex cœlestis in die judicii dabit sententiam, ut ambo suspendantur in patibulo infernali.

Cap. 118.

De fallacia et dolo.

Miles quidam intravit Aegyptum; cogitans, ibi pecuniam suam relinquere, interrogavit, si aliquis fidelis ibi maneret, cui pecuniam suam ad custodiendum traderet, et audivit, quod erat quidam senex; ad eum accessit, ut mille talenta ei traderet, deinde ad peregrinandum perrexit. Peracto itinere ad eum rediit, cui talenta commiserat, et commissa ab eo quæsivit; at ille plenus nequitia nunquam se eum vidisse asseruit; miles vero sic deceptus contristatus est valde, singulis diebus ab eo petiit et cum blandis sermonibus deprecans, ut sibi redderet. Deceptor increpabat eum, ne talia de eo amplius diceret vel etiam at eum rediret. Ille tristis ab eo recessit, habens obviam quandam vetulam pannis eremitalibus indutam habensque in manu baculum, et per viam levavit lapides, ne transeuntes pedes læderent. Quæ videns eum flentem et cognoscens, quod extraneus esset, commota pietate eum vocavit, et quid ei accidisset interrogavit. At ille ordinate narravit, quomodo per illum senem esset deceptus. At illa: Amice, si vera sunt, quæ mihi dicis, dabo tibi sanum consilium. At ille: Testis est mihi deus; vera utique sunt. Quæ ait: Adduc mihi hominem de terra tua, cujus dictis et factis fides adhiberi posset. Ille vero adduxit; cui adducto præcepit vetula X cophinos emere exterius pretiosis depictos coloribus ferroque ligatos cum seraturis deargentatis lapidibus impleri jussit; miles vero fecit, sicut mulier jussit. Mulier videns omnia parata ait: Nunc decem homines perquire, qui mecum et cum socio tuo ad domum deceptoris tui vadant et cophinos deferant. Unus post alium venientes ordine longo et quam cito primus intravit et nobiscum quiescit. Veni audacter et pete pecuniam!

Ego vero in deo confido, quod pecunia tibi reddetur. Quæ vetula cum socio decepto ad domum deceptoris venit et ait: Domine, iste extraneus homo hospitatus est mecum et vult adire patriam suam et quærit prius pecuniam suam quæ est in decem cophinis, alicui homini probo et fideli commendare, donec revertatur; precor ergo te, ut amore dei et mei in domo tua custodias; et quia audivi et scio te probum et fidelem, nolo per aliquem nisi per te solum pecuniam custodire. Cum sic loqueretur, ecce intravit primus servus deferens cophinum unum. Quod videns deceptor credidit verum esse quod vetula dixit. Post hoc intravit miles, ut vetula præcepit. Quem videns deceptor, timens, si pecuniam peteret et alius sibi non crederet, ad custodiendum suas pecunias contra eum venit adulando dicens: Amice, ubi fuisti? Veni et accipe pecuniam tuam fidei meæ jam diu commendatam! Miles vero lætus pecuniam recepit, gratias agens deo et vetulæ; vetula vero hoc videns surrexit et ait: Domine, ego et homo iste ibimus circa ceteros cophinos et reverti festinabimus; tu vero exspecta, donec redeamus et bene serva quod jam adduximus! Et sic miles per vetulam pecuniam suam recuperavit.

Moralisatio. Carissimi, miles iste est quilibet Christianus, qui in isto mundo quamdiu vivit peregrinatur, quia facit omni die dietam ad mortem; qui decem talenta i. e. decem præcepta domini inordinate per peccatam tradidit cuidam seni; senex iste est mundus plenus deceptionibus, unde si in rebus mundanis delectamur et mundo confidimus, præcepta divina amittimus et vix cum difficultate acquirere cœlum poterimus, donec per veram contritionem confessionem et satisfactionem acquiramus. Vetula ista habitu peregrini induta est conscientia sana, quæ continue amovet lapides i. e. operationes malas de via cordis tui, ne pedes bonarum cogitationum offendantur. Dic mihi, quomodo debes recuperare, quod per peccatum perdidisti? Certe oportet te adducere de patria tua i. e. de corde tuo X homines i. e. decem opera pœnitentiæ, ita quod pró quolibet præcepto quod per peccatam violasti unum actum misericordiæ seu pœnitentiæ oportet te adimplere, quia secundum beatum Augustinum nullum bonum irremuneratum et nullum malum impunitum. Item oportet quod habeat cophinum bene ligatum scilicet contritum cor et virtutibus bene insignitum parvis lapillis plenum. Lapides isti in corde est meditatio scilicet vulnerum Christi et memoria passionis ejus, quæ continue oportet habere contra diabolum, mundum et carnem, in cujus figura dicitur I Regum, quod David cum baculo pastorali et cum funda et quinque lapidibus Goliam occidit. David interpretatur manu fortis et signat Christum; funda signat amorem

trahentem eum de cœlo in mundum, a mundo in crucem; quinque lapides sunt quinque vulnera, Golias et diabolus, et sic per quinque lapides i. e. vulnera tandem occiditur; si ergo istos lapides continue in cophino cordis tui habueris, virtutes per peccatum perditas rehabere poteris et sic pergere cum gaudio ad patriam tuam i. e. vitam æternam.

Cap. 119.

Quod omnium viventium in mundo de beneficiis acceptis est ingratissimus homo.

Quidam rex senescallum habuit super imperium suum, cujus cor ita elevatum et exaltatum est, quod omnes opprimebat, quia ad nutum ejus omnia fiebant. Juxta palatium imperatoris erat quædam foresta animalibus silvestribus plena; qui ordinavit, quod fierent diversæ foveæ, quas foliis cooperiebant, ut bestiæ subito in eas caderent et sic caperentur. Accidit, quod senescallus transiret per forestam et elevatum est cor ejus intantum, quod opinabatur, quod nullus major eo esset in imperio. Qui ulterius equitans cecidit in unam foveam, quam exire non potuit; eadem die in eandem foveam leo occidit, postea simia, et tertio serpens. Senescallus se videns circumvolutum istis bestiis timuit et clamavit; cujus clamorem audiens quidam pauper nomine Guido, qui cum asino ducebat ligna de foresta, de quibus victum quæsivit, venit ad foveam, cui promisit multas divitias, ut eum extraheret. Guido ait: Carissime, nihil habeo, unde vivere possim, nisi colligo ligna; si laborem istius dici dimitterem, damnum incurrerem. Qui ei promittens bona fide, quod ei de divitiis provideret, si eum extraheret. Guido hoc audiens ad civitatem ivit et longam cordam secum portavit, quam in foveam misit, ut senescallus se succingeret et sic eum sursum traheret. Qua demissa saltavit leo ante super cordam et extractus est; quo facto applausum ei fecit et ad silvam cucurrit; deinde iterum cordam misit in foveam et ecce simia super eam saltavit, quam Guido sursum traxit et ad silvam cucurrit; postea iterum cordam descendere permisit et serpens super eam saltavit, quem etiam extraxit; applausum ei fecit et ad silvam cucurrit; deinde miles clamavit: O carissime, benedictus altissimus, jam de bestiis sum liberatus, cordam permitte descendere: Quod et factum est. Miles se succinxit et Guido eum extraxit, deinde equum extraxerunt; statim senescallus equum ascendit et ad palatium regis venit, Guido vero domi venit. Uxor videns eum vacuum

contristata est valde; ille vero processum ei narravit et quod mercedem condignam reciperet, de quo uxor gavisa est; mane vero Guido ibat ad castrum mittens janitorem ad senescallum, quod ipse ibi esset; qui prima et secunda vice negavit quod eum unquam viderit, imo nisi recederet, ipsum crudeliter verberaret; quod et fecit. Qui dum tertia vice reversus esset, ita crudeliter portarius eum verberavit, quod ipsum semivivum reliquit. Quod audiens uxor Guidonis venit et cum asino eum ad domum duxit et diu infirmatus est et omnia bona sua in infirmitate consumpsit, quæ habuit. Dum autem sanus factus esset et una dierum ligna colligeret, vidit a longe decem asinos oneratos cum fardellis et leonem a parte posteriori sequentem recto tramite versus Guidonem eos duxit; Guido intime respexit leonem et statim memoriam habuit, quod erat ille leo, quem de fovea extraxit. Leo cum ad eum venisset, cum pede signum ei fecit, ut cum asinis oneratis domum accederet; quod et fecit. Guido asinos secum domi duxit et leo sequebatur, quousque Guido ad domum pervenit; cum autem asini domum intrassent, leo cum cauda applausum fecit Guidoni et ad silvam cucurrit. Guido per diversas ecclesias proclamari fecit, si aliquis asinos amisisset. Et non est inventus unus, qui profiteretur, se aliquem perdidisse. Ipse aperiens fardellas divitias multas invenit, de quibus non modicum gaudens dives effectus est. Cum secunda die Guido ad forestam venit et instrumentum ferreum ut ligna scinderet non haberet, respexit superius et vidit simiam, quam de fovea extraxit, quæ cum dentibus et unguibus tantum frangebat, quod Guido sine labore asinum suum oneravit et domum est reversus. Tertia vero die Guido ad forestam revertitur, et cum sederet ad præparandum instrumentum, vidit serpentem, quem de fovea extraxit portantem lapidem in ore suo coloratum triplici colore; ex una parte erat albus, ex alia niger, ex tertia rubicundus; os suum aperuit et in gremio ejus permisit cadere et abscessit. Guido cum lapide ad unum peritum accessit; qui cum eum vidisset et virtutem ipsius cognovisset, libenter centum florenos pro lapide dedisset, Guido vero virtute lapidis multa bona acquisivit et in militiam est promotus; quod intelligens imperator eum ad se venire præcepit et lapidem habere voluit pro pecuniis, aut eum extra regnum mitteret. Ait Guido: Lapidem vendam; sed unum dico; si non valorem mihi dederitis, ad me redibit. Qui dedit sibi trecentos florenos et tamen Guido in arca sua invenit, quem imperatori reddidit; qui admirans dixit: Dic mihi, unde lapidem habuisti? Ille vero a principio usque ad finem narravit, quomodo senescallus in foveam cecidit cum leone, simia et serpente, et quod pro mercede vulneratus fuit a senescallo

et quid a leone simia et serpente recepit. Hoc audiens imperator, commota sunt omnia viscera ejus contra senescallum et ait ei: Quid est, quod audio de te? Ille negare non poterat; cui imperator: O pessime, magnam ingratitudinem fecisti Guidoni, ex quo de periculo mortis te liberavit et hic eum semivivum reliquisti! O miser, ecce bestiæ irrationales sicut leo, simia et serpens mercedem ei reddiderunt pro bono, tu vero hodie contra bonum malum reddidisti, et ideo omnia quæ habes et dignitatem tuam Guidoni dabis et te hodie in patibulo suspendendum judico. Quod audientes satrapæ imperii, eis placuit judicium et Guido imperium regebat et vitam in pace finivit.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est deus qui omnia videt; pauper iste est homo, qui nihil ex se habet, Job. I: Nudus egressus sum ex utero matris meæ, nudus revertar illuc. Deus pauperem istum promovit, quando eum dominum paradisi constituit. Psal.: Omnia subjecisti sub pedibus ejus etc. Fovea, in quam cecidit, mundus est, qui est plenus foveis scilicet periculis, quia totus mundus in maligno positus est. In isto mundo cecidit miser homo in multas foveas, Genes. III: In sudore vultus tui etc. Leo in eandem foveam cecidit, scilicet filius dei, quando naturam humanam assumpsit, et in miseria magna triginta tribus annis vixit. Psal.: Cum ipso sum in tribulationibus etc. Iste est leo, de quo dicitur Apocalyps. V: Vicit leo de tribu Juda etc. Deinde simia i. e. tua conscientia cecidit, quæ ad modum simiæ lacerat ea, quæ ei displicent, quia semper contra peccatum murmurat. Item serpens cecidit in foveam, scilicet prælatus vel confessor, qui cum peccatore debet descendere i. e. condolere ejus peccatis II Cor. XI: Quis infirmatur et ego non infirmor? Item sicut Guido cum corda extraxit senescallum, sic filius dei cum corda passionis suæ nos extraxit de fovea miseriæ et de potestate diaboli, sed miser homo hoc non obstante ingratus efficitur deo, quotiens contra legem dei peccat. Guido erat verberatus; sic homo, quando mortaliter peccat, quantum in eo est, deum iterato crucifigit. Sed leo deus dedit Christo inquantum homini decem asinos oneratos i. e. omnia præcepta sub ejus potestate, antiqua et nova, dispensando cum homine, et si illa præcepta fecerimus, ad æternas divitias perveniemus. Guido ligna scindebat i. e. conscientia tua stimulat perpetrare, per quæ corpus et animam in die judicii operiri poteris, propter quæ requiem æternam obtinebis; quia si contra conscientiam agas, ad gehennam ignis deduceris. Serpens dedit ei lapidem triplici colore coloratum; sic prælatus et confessor per informationem sacræ scripturæ poterat lapidem i. e. Christum obtinere. Ille lapis

erat pulcher et albus; sic Christus speciosus forma præ filiis hominum; item niger erat per Christi passionem, rubicundus per sanguinis effusionem. Qui ergo istum lapidem portat, ille habet abundantiam sine defectu, nec illum lapidem debes vendere a se ipso, nisi det tantum pretium, quantum Christus, scilicet per contritionem confessionem et satisfactionem; sed ingrati in patibulo infernali erunt suspensi, electi vero vitam æternam obtinebunt, quod nobis concedat qui sine fine etc.

Cap. 120.

De amicitiæ veræ probatione.

Darius regnavit prudens valde, qui tres filios habuit, quos multum dilexit. Cum vero mori deberet, totam hereditatem primogenito legavit, secundo filio dedit omnia, quæ in tempore suo acquisivit, tertio filio scilicet juniori tria jocalia pretiosa dedit, scilicet anulum aureum, monile et pannum pretiosum. Anulus illam virtutem habuit, quod qui ipsum in digito gestabat, gratiam omnium habuit, intantum quod quidquid ab eis peteret obtineret; monile illam virtutem habuit, quod qui eum in pectore portabat quidquid cor sum desiderabat quod possibile esset obtineret. Pannus illam virtutem habuit, quod quicunque super eum sederet et intra se cogitaret ubicunque esse vellet subito ibi esset. Ista tria jocalia dedit filio suo juniori, ut ad studium pergeret et mater ea custodiret et tempore opportuno ei daret; statimque rex spiritum emisit, qui honorifice est sepultus. Duo primi filii ejus legata occupabant, tertius filius anulum a matre recepit, ut ad studium pergeret, cui mater dixit: Fili, scientiam acquire et a muliere caveas, ne forte anulum perdas. Jonathas anulum recepit, ad studium accessit et in scientia profecit. Post hoc cito quadam die in platea ei quædam puella occurrebat satis formosa; captus ejus amore eam secum duxit et continuo anulo utebatur, gratiam omnium habuit, et quidquid ab eis voluit habere, obtinuit. Puella ejus concubina mirabatur, quod tam laute viveret, cum tamen pecuniam non haberet; rationem quadam vice cum lætus esset quæsivit, dicens, quod creatura sub cœlo non esset, quam magis diligeret; ideo sibi dicere deberet. Ille de malitia non præmeditatus sibi dixit, virtutem anuli esse talem etc. At illa: Cum singulis diebus cum hominibus conversare soles, perdere posses; ideo custodiam tibi eum fideliter. Qui tradidit ei anulum, quem cum retrahere non posset, flevit amare, quia unde viveret non habuit. Qui statim ad reginam matrem suam est reversus

denuntians ei anulum perditum. At illa: Fili mi, tibi prædixi, ut a muliere te caveas; ecce tibi jam trado monile, quod diligentius custodias; si perdideris, honore et commodo perpetuo carebis. Jonathas monile recepit et ad idem studium est reversus, et ecce concubina ejus in porta civitatis occurrit et cum gaudio eum recepit; ille ut prius eam secum habuit, monili in pectore utebatur et quidquid cogitabat habebat, et sicut prius convivia multa habuit et laute vixit. Concubina mirabatur, quod nec aurum nec argentum videbat; cogitabat, quod aliud jocale apportatum esset, quod sagaciter ab eo indagavit; qui ei monile ostendit et virtutem ejus dixit; quæ ait: Semper monile tecum portas; una hora tantum cogitare posses, quod per annum sufficeret tibi; ideo trade mihi ad custodiendum. At ille: Timeo, quod sicut anulum perdidisti, sic perderes monile, et sic damnum maximum incurrerem. Quæ ait: O domine, jam per anulum scientiam acquisivi; valde tibi fideliter promitto, quod sic custodiam monile, quod nullus posset a me auferre. Ille credens dictis ejus monile ei tradidit; postquam omnia consumpta fuissent, monile petiit; illa sicut prius juravit, quod furtive ablatum esset. Quod audiens Jonathas flevit amare et ait: Nonne sensum perdidi quod post anulum perditum monile tibi tradidi! Perrexit ad matrem et ei totum processum nuntiavit; illa non modicum dolens dixit: O fili carissime, quare spem posuisti in muliere? Jam altera vice deceptus es per eam et ab omnibus ut stultus reputaris; amodo sapientiam addiscas, quia nihil habeo tibi, nisi pannum pretiosum, quem pater tuus tibi dedit, et si illum perdideris, ad me amplius redire non valeas. Ille pannum recepit et ad studium perrexit et concubina ejus ut prius eum gaudenter recepit; qui expandens pannum dixit: Carissima, istum pannum dedit mihi pater meus, et ambo posuerunt se super pannum. Jonathas intra se cogitabat: Utinam essemus in tantam distantiam, ubi nullus hominum venit! Et sic factum est; fuerunt enim in fine mundi in una foresta, quæ multum distabat ab hominibus. Illa tristabatur et Jonathas votum vovit deo cœli, quod dimitteret eam bestiis ad devorandum, donec redderet anulum et monile, quæ promisit facere, si posset, et ad petitionem concubinæ Jonathas virtutem panni dixit, scilicet quicunque super eo quiesceret et cogitaret ubi esse vellet, ibi statim esset. Deinde ipsa se super pannum posuit et caput ejus in gremio suo collocavit, et cum dormire cœpisset, ipsa partem panni, supra quam sedebat, ad se traxit. At illa cogitabat: Utinam essem in loco, ubi mane fui! Quod factum est et Jonathas dormiens in foresta mansit. Cum autem de somno surrexisset et pannum ablatum cum concubina vidisset,

flevit amarissime, nec scivit, ad quem locum pergere deberet. Surrexit et signo crucis se muniens per quandam viam ambulavit, per quam ad aquam profundam venit, per quam transire oportebat, quæ tam amara et fervida fuit, quod carnes pedum usque ad nuda ossa separavit. Ille vero de hoc contristatus vas implevit et secum portavit, et ulterius veniens cœpit esurire; videns quandam arborem, de fructu ejus comedit, et statim factus est leprosus. De fructu illo etiam collegit et secum portavit. Tunc veniens ad aliam aquam, per quam transivit; quæ aqua carnes pedum restaurabat; vas de ea implevit et secum portavit, et ulterius procedens cœpit esurire; videns quandam arborem, de cujus fructu cepit et comedit; et sicut per primum fructum infectus erat, sic per secundum fructum a lepra est mundatus. De illo fructu etiam attulit et secum portavit. Dum vero ulterius ambularet, vidit quoddam castrum, et duo homines ei obviabant, quærentes quis esset. At ille: Medicus peritus sum. Qui dixerunt: Rex istius regni manet in isto castro et est homo leprosus; si eum a lepra curare posses, multas divitias tibi daret. At ille: Etiam. Qui adducentes ipsum ad regem, dedit ei de secundo fructu, et curatus est a lepra, et de secunda aqua ad bibendum, quæ carnes ejus restaurabat. Rex ergo multa donaria ei contulit. Jonathas igitur postea invenit navem de civitate sua et illuc transfretavit. Rumor per totam civitatem exivit, quod magnus medicus advenisset, et concubina sua, quæ abstulerat ei jocalia, ad mortem infirmata est, mittens pro medico isto. Jonathas ignotus est ab omnibus, sed ipse eam cognoscens dixit ei, quod medicina sua non valeret ei, nisi prius confiteretur omnia peccata sua, et si aliquem defraudasset, quod redderet. Illa vero alta voce confitebatur, quomodo Jonatham decepisset de annulo, monili et panno et quomodo eum in loco deserto reliquisset bestiis ad devorandum. Ille hoc audiens ait: Dic, domina, ubi sunt ista tria jocalia? At illa: In arca mea. Et dedit ei claves arcæ et invenit ea. Jonathas ei de fructu illius arboris, a qua lepram recepit, ad comedendum dedit, et de aqua prima, quæ carnem de ossibus separavit, ad bibendum ei tribuit; et cum gustasset et bibisset, statim est arefacta et dolores interiores sentiens lacrimabiliter clamavit. Jonathas cum jocalibus ad matrem suam perrexit, de cujus adventu totus populus gaudebat. Ille vero matri a principio usque ad finem narravit, quomodo deus eum a multis malis periculis liberavit, et per aliquos annos vixit et vitam in pace finivit.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est dominus noster Jesus Christus, regina mater ecclesia, tres filii homines in mundo viventes. Per

primum intelligo divites et mundi potentes, quibus deus dat mundi voluntatem; per secundum mundi sapientes, qui per sapientiam mundanam, quidquid habent, acquirunt; per tertium filium bonum christianum ab æterno electum, cui dedit deus tria jocalia, scilicet annulum fidei, monile suæ gratiæ sive spei et pannum caritatis; unde quicunque annulum fidei portaverit, gratiam dei et hominis et amorem habere poterit in tantum, quod quidquid desiderat obtinebit, sicut scribit Apostolus: Si habueritis fidem ut granum sinapis, poteritis dicere huic monti: Transi! et transiet. Si vero in pectore, hoc est in corde monile spei habueris, cogita quod volueris et, quod justum est, obtinebis; unde Evangelista dicit: Petite et accipietis; quærite et invenietis! Et ad Corinth.: Spe salvi facti sumus. Si vero pannum charitatis habueritis, ubicunque esse volueritis, obtinebitis. Apostolus ad Corinth. I: Caritas non, quæ sua sunt, quærit, sed quæ Jesu Christi. Et I Joh. I: Deus caritas est. Sed ista tria jocalia sæpius perdit homo in studio istius mundi per concubinam suam i. e. carnem, scilicet per carnalem concupiscentiam, quia caro spiritui adversatur. Concubina traxit pannum a Jonatha ipso dormiente. Sic caro sæpius caritatem ab homine trahit per peccatum mortale, et eum in peccatis dormientem dimittit hominem ab omni gratia et adjutorio dei, quamdiu in peccatis jacet. Jonathas excitatus a somno flevit amarissime. Sic tu, postquam excitatus fueris a somno peccati et te inveneris sine gratia et virtutibus, merito flere poteris. Quid ergo est faciendum? Surge velociter per opera misericordiæ et signa te signaculo sanctæ crucis in pectore, et invenies viam salutis. Perge quousque veneris ad aquam, per quam caro separatur ab ossibus. Aqua illa est contritio, quæ tam amara debet esse, quod debet separare carnem scilicet carnales delectationes ab ossibus i. e. peccatis, in quibus deum offendisti; et vas cordis tui de hac aquat debe implere, et quamdiu in hoc mortali corpore fueris, contritionem in corde habeas. Deinde ulterius debes procedere et fructum arboris comedere. Ille fructus est pœnitentia, per quam anima sustentatur et corpus denigratur sæpius ad modum leprosi; illum fructum debes colligere et semper tecum portare. Cum ulterius processisset, venit ad secundam aquam, per quam caro erat restaurata. Aqua ista est confessio, quæ restaurat virtutes perditas. Cum vero ulterius pergeret, de fructu secundæ arboris comedit, et curatus est. Fructus ille est fructus pœnitentiæ, scilicet orationis, jejunii et eleemosinæ. De istis fluviis et fructibus debes semper portare tecum, ut, si a casu aliquem regem leprosum inveneris, ipsum cures. Rex iste dicitur homo per peccatum infectus, qui per fructum confessionis et aquam contritionis

curari poterit. Duo, qui sibi in via occurrerunt et ad curandum te ducunt, sunt timor dei et gehennæ, propter quæ homo declina ta malo et facit bonum. Naves, quæ Jonatham duxerunt ad patriam, sunt divina præcepta, quæ nos ducunt ad gaudia æterna. Sed oportet nos prius videre concubinam, scilicet carnem spiritui contrariam, et eam in lecto carnalis concupiscentiæ invenies. Da ei de fructu pœnitentiæ cum aqua contritionis, per quæ duo intumescat hoc est elevetur per bonam devotionem ad recipiendum jugum pœnitentiæ. Et sic tu poteris spiritum deo reddere cum jocalibus i. e. bonis virtutibus ad patriam regni cœlestis pervenire, ad quam etc.

Cap. 121.

De gloria mundi et luxuria, quæ multos decipit et ad interitum deducit.

Olim erat quidam rex, qui habuit duos milites in una civitate; unus erat senex, alter juvenis. Senex erat dives et pulchram puellam propter ejus pulchritudinem in uxorem duxit. Juvenis miles erat pauper et quandam vetulam locupletem propter divitias accepit, quam miles non multum dilexit. Accidit semel, quod miles juvenis per castrum senis militis ambularet et uxor senis militis in quadam fenestra in solatio sedebat et dulciter cantabat. Juvenis cum eam vidisset, captus est in amore ejus et in animo cogitabat: Melior esset combinatio inter me et illam juvenculam, quam inter ipsam et virum suum, qui est homo senex et impotens, et quod uxor mea esset uxor ejus. Et ab illo die incepit eam diligere et clinodia dare. Domina etiam miro modo eum dilexit et, quando potuit, ad eum accessit, et omnibus viribus nitebatur, si possibile esset, in virum accipere post mortem viri sui. Erat autem ante fenestram castri senis militis arbor fici, in qua omni nocte philomela residebat, quæ dulciter cantabat, quod propter cujus cantum domina singulis noctibus surrexit et ad fenestram perrexit, et per magnum spatium ibidem exspectabat, ut canticum philomelæ audiret. Cum hoc percepisset vir ejus, quod singulis noctibus surgeret, ait ei: Carissima, qua de causa de lecto singulis noctibus surgis? Quæ respondit, quod super arborem fici omni nocte resideret philomela, quæ tam dulciter cantat, quod oportet me surgere et eam audire. Miles hoc audiens de mane surrexit et cum arcu et sagitta ad arborem fici perrexit, philomelam occidit et cor extraxit et uxori præsentavit. Domina videns cor philomelæ, flevit amare dicens: O bona philomela, fecisti, quod

debuisti; ego sum causa mortis tuæ. Statim nuntium ad juvenem militem misit, nuntiando ei crudelitatem mariti eo, quod philomelam interfecisset. Miles hoc audiens commota sunt omnia viscera ejus, et ait in corde suo: O si constaret isti crudeli, quantus est amor inter me et suam uxorem, pejus me tractaret. Armavit se duplici armatura et castrum intravit et senem militem occidit. Post hoc cito moritur uxor sua, et post hoc cum magno gaudio uxorem senis militis occisi in matrimonium duxit; et ambo longo tempore vixerunt.

Moralisatio. Carissimi! Per istos duos milites intelligere debemus Mosem prophetam et dominum nostrum Jesum Christum. Christus erat senex, qui ab æterno juvenculam desponsavit, scilicet legem novam. Moses erat juvenis, quia in tempore factus, qui legem antiquam desponsavit. Arbor, in qua philomela cantavit, est crux, in qua Christus pependit. Philomela est ejus humanitas, quæ dulciter cantabat, quando patrem cœlestem pro genere humano rogavit. Sed Judæi non poterant pati, quod domina surgeret de lecto i. e. quod tot surgerent de lecto peccati et Christum insequebantur; ideo ejus humanitatem occiderunt et cor ejus extraxit i. e. amorem, quam nobis ostendit i. e. cuilibet christiano ostendit, ut a peccato quiescat et deo fideliter serviat. Moses vero armavit se duplici armatura et leonem occidit i. e. armavit se ceremoniis et circumcisione, et non tantum peccata ejus, sed omnium fidelium a primo parente usque ad adventum Christi ipsum occiderunt, sicut est scriptum: Ipse peccata nostra in corpore suo tulit. Quid sequitur postea? Certe Moses i. e. quilibet fidelis, qui desiderat januam regni cœlestis intrare, oportet ut legem desponset, juxta illud Matth.: Qui credidit et baptisatus etc.

Cap 122.

De adulteris mulieribus et excæcatione quorundam prælatorum.

Miles quidam perrexit, ut vineam suam vindemiaret. Uxor autem ejus, putans ipsum diutius moraturum, amasium habuit, pro quo misit, ut cito veniret. Qui venit, cameram intravit. Et cum ambo in stratu essent, venit miles, scilicet maritus, ramo vineæ in oculo percussus ostium percutit, et illa tremebunda aperuit, prius tamen amasium abscondidit. Miles ergo intrans oculum doluit et lectum, ut quiesceret, parare jussit. Tunc uxor, timens ne amasium in camera latitantem videre posset, marito ait: Quid festinas ad lectum?

Dic mihi, quid accidit? Illo vero referente ipsa respondit: Dimitte me, inquit, domine, ut sanum oculum arte medicinali confirmem, ne illo forsitan morbo alterum similiter amittas. Quod ille sustinens os suum illa quasi pro medicina super mariti oculum sanum appo- suit et manu amasio innuens ille recessit. Quo facto dixit uxor marito: Modo secura sum, quod nullum malum oculo sano eveniet; jam lectum ascende et quiesce!

Moralisatio. Carissimi! Miles iste est prælatus ecclesiæ, qui habet sanctam ecclesiam custodire et oves sibi traditas regere. Uxor adulterata est anima, quæ sæpius per peccatum diabolo adhæret. Miles percutitur oculo, quotiens prælatus muneribus excæcatur, quia scriptum est Ecclesiast. IX: Munera excæcant oculos judicum. Sic quod necesse habeat cameram bonæ vitæ intrare et omnem avaritiam et cupiditatem a se excutere per pœnitentiam. Tunc audacter debet ostium cordis sui percutere; tunc uxor i. e. anima aperiet, ut gratiam dei recipiet. Sed heu, sæpe per carnales affectiones et mundi blanditias oculum sanum, scilicet cordis, cum quo debemus deum contemplari, offuscant per mundi vanitates et carnis voluptates in tantum, quod periculum sui ipsius et subditorum non poterit adver- tere et per pœnitentiam emendare. Studeat ergo unusquisque, sic oculos mentis ad deum dirigere, ut poterit omne velamen peccati expellere.

Cap. 123.

Quod juvenculæ per parentes sunt a luxuriosis coercendæ et voluntati propriæ non relinquendæ.

Miles quidam erat, qui peregre proficiscens commisit uxorem socrui suæ servandam i. e. matri uxoris suæ. Uxor autem post decessum mariti quendam juvenem amavit, quod matri indicavit. Illa vero statim sibi favens juvenem accessivit; quibus epulantibus miles adveniens ostium pulsavit. Statim uxor surgens amasium in lecto abscondit; et post hoc ostium marito aperuit. Qui cum intravit, præcepit, ut lectus pararetur; lassus namque quiescere voluit. Uxor vero turbata, quid faceret, cogitavit. Quod videns mater ait: Ne festines, filia, lectum parare, donec monstremus marito tuo lintheum, quod fecimus. Mater erigens lintheum, quantum potuit, per unum cornu, alterum filiæ ad sublevandum dedit; et tamdiu lintheum extenderunt, donec amasius est egressus. Et sic maritus delusus est

per extensionem. Quo facto ait mater filiæ suæ: Nunc extende lintheum super lectum mariti tui, quod manibus tuis et meis contextum est.

Moralisatio. Carissimi! Miles iste est quilibet homo, qui post baptismum pergit tanquam peregrinus in mundo isto, quia, quamdiu hic sumus, peregrini sumus. Psalm.: Ego peregrinus sum et filius matris meæ. Sed in illa peregrinatione uxor scilicet caro sæpius adulteratur cum vitiis et concupiscentiis. Miles ad ostium pulsat, quotiens recordatur, quid et quantum contra deum deliquit, et ideo tenetur pulsare i. e. orare, jejunare etc., opera bona facere; et sic poterit cameram bonæ vitæ intrare et in prædictis divitiis quiescere. Sed uxor i. e. caro sæpe hoc percipiens, quod homo pœnitentiam proponit facere, turbatur, quia non sustinet libenter pœnitentiam. Statim mater i. e. mundus hoc percipiens erigit lintheamen i. e. mundi vanitatem, in quibus tantum homo delectatur, quod periculum proprium non advertit, quod est dolendum.

Cap. 124.

Quod mulieribus non est credendum, neque arcana committendum, quoniam tempore iracundiæ non celant.

Quidam miles generosus quendam regem, a quo feudatus erat, graviter offenderat; misit ad eum milites, ut pro eo intercederent. Vix enim ejus amicitiam sub hoc pacto obtinuerunt, scilicet quod ad curiam ejus pedester et equester pariter veniret i. e. semiequitans et semiambulans, et quod duceret secum amicum fidelissimum et joculatorem optimum et inimicum perfidissimum. Miles multum contristatus cogitare cœpit, quomodo hoc posset implere. Quadam vero nocte, cum peregrinum quendam hospitio recepisset, clam dixit uxori suæ: Scio, quod peregrini promptam pecuniam secum portant; volo ergo, si tu suaseris, eum interficere, et pecuniam ejus obtinebimus. At illa: Bonum est consilium. Cunctis ergo dormientibus circa diluculum surgit miles, excitans peregrinum et abire jubet; et unum de suis vitulis in frusta scidit ponens eum in sacco. Deinde uxorem suam excitat dans sibi saccum, ut in angulo domus absconderet, dicens: Tantum caput et crura cum brachiis in hoc sacco posui, corpus autem in nostro stabulo sepelivi. His dictis aliquantulum pecuniam sibi ostendebat, ac si illam peregrino mortuo abstulisset. Cum autem dies adesset, ut domino suo se præsentaret, accipiens a dextris

canem et parvum filium suum in gremio et uxorem a sinistris ad castrum perrexit. Cum castro domini sui appropinquaret, dextrum crus super dorsum canis sui velut equitans posuit, per alterum gradiendo, sicque pedester et equester castrum domini sui intravit. Quo viso rex cum adstantibus mirabatur. Ait ei judex: Ubi est amicus tuus fidelissimus? Qui statim evaginans gladium suum canem graviter vulneravit, qui cum clamore et dolore fugit; deinde miles eum revocat, et canis ad eum venit. Ecce fidelissimum amicum meum! Cui rex: Verum dicis. Ubi est joculator tuus? Cui miles: Ecce, parvulus filius meus, cum ante me ludit, magnum solatium mihi facit. Ait rex: Ubi est maximus inimicus tuus? Qui statim dedit alapam uxori suæ, dicens: Quare tu tam impudice respicis dominum meum regem? Illa statim respondit: O maledicte homicida, quare me percutis? Nonne in domo tua propria lamentabile homicidium perpetrasti et pro modica pecunia peregrinum occidisti? Iterum miles dedit ei alapam, dicens: O maledicta, cur filium tuum depingere non formidas! Quæ statim iracunda tota facta est et dixit: Venite, ostendam vobis saccum, in quo occisi peregrini caput et brachia posuit, et stabulum, in quo ejus corpus sepelivit. Cum venissent, ut experirentur, et locum ejus uxor ostenderet, cito effodientes, visis carnibus vitulinis obstupuerunt. Astutiam militis cognoscentes dignis laudibus eum extulerunt, qui postea domino suo, regi, specialis dilectionis vinculo est annexus.

Moralisatio. Carissimi! Miles iste, qui sui regis gratiam perdidit, est peccator, qui, ad obtinendam gratiam domini sui, præmittit intercessores deo, scilicet dilectos homines quasi consanguineos et amicos. Ut autem domino suo satisfaciat, pedester veniat et equester; pedester i. e. terrena et temporalia quasi despectabilia conculcando; queester vero toto cordis desiderio cœlestia contemplando. Sed canem quoque a dextris pro amico fidelissimo secum ducat, i. e. angelum suum bonum vel prebyterum, qui animam suam habet custodire, qui licet sæpius gladio suorum criminum vulneret et offendat, recurrit tamen fideliter ut amicus, qui sua secreta coram familia principis et amicis tenebit. Joculatorem i. e. puerum parvum in gremio est conscientia, quæ, si bene regulatur, multum delectatur. Uxorem vero a sinistris pro inimico perfidissimo ducat i. e. carnis mollitiem vel dæmonum, qui sua secreta coram familia principis et amicis i. e. coram cunctis angelis atque sanctis imminente mortis hora in perditionem sui detegit et revelat. Tunc merito laudabitur miles sapiens et discretus, qui prædictas fallacias sic fefellit, occulte vitulum mactando et in secreto domus in angulo subterrando, nec occulte homicidium perpetrando, i. e. corpus proprium in cubiculo flagellando, aut secreta

peccatoris conscientia lacrimis intensa imitando, nec tamen homicidium perpetrando, modum debitum non excedendo, sed jejuniis et orationibus et aliis bonis operibus sapienter in omnibus insistendo, per quæ tandem domini sui gratiam, quam perdiderat, rehabebit.

Cap. 125.

Mulieres non solum pandunt secreta, sed ad hoc mentiuntur plura.

Erant duo fratres, quorum unus laicus, alter clericus; laicus sæpe audierat a fratre suo, quod mulieres secretum alicujus non potuerunt occultare. Cogitabat experiri hoc cum uxore sibi dilecta, cui dixit una nocte: Carissima, secretum habeo tibi pandere, si certus essem, quod nulli dices; quod si contrarium facies, confusio intolerabilis mihi esset. At illa: Domine, noli timere, unum corpus sumus; bonum tuum est meum et e converso etiam malum similiter. Qui ait: Cum ad privata accessissem, ut opus naturæ facerem, corvus nigerrimus a parte posteriori evolabat, de quo sum contristatus. Quæ ait: Lætus esse debes, quod a tanta passione es liberatus. Mane vero mulier surrexit, ad domum proximi sui ivit et dominæ domus dixit: O domina carissima, potero tibi pandere aliqua secreta? Quæ ait: Ita secure, sicut animæ tuæ. Quæ dixit: Mirabilis casus accidit marito meo. Nocte ista accessit ad privata, ut opus naturæ faceret, et ecce, duo corvi nigerrimi a parte posteriori evolabant, de quo multum doleo. Et illa ad aliam vicinam narravit de tribus, et tertia de quatuor et sic ultra, quod ille diffamatus est, quod sexaginta corvi de eo evolassent. Ille turbatus de rumore convocavit populum, cui narravit rem gestam, quomodo mulierem voluit experiri, si sciret secretum tenere. Post hoc moritur uxor ejus, et ille cœnobium intravit, literas didicit, scilicet tres, quarum prima est nigra, secunda rubea, tertia candida.

Moralisatio. Carissimi! Ille, qui malitiam mulierum probavit, potest dici homo mundanus, qui conamine toto laborat, ut bona mundana acquirat, ut, cum sæpe credit sine offensione evadere, cadit in mille, ut, qui cadit in superbiam, cadit in multos alios defectus contra salutem animæ suæ, et hoc est corvum nigrum a parte posteriori exire i. e. peccatum in effectu, et sic homo diffamatur, et non tantum per uxorem propriam scilicet carnem, sed per vicinas alias scilicet per quinque sensus. Fac ergo tu sicut et ille! Collige populum i. e. omnia præterita et præsentia facta tua et purga te per viam confessionis; et tunc poteris cœnobium bonæ vitæ intrare et in tribus

literis studere, per quod studium acquiris bravium æternum. Prima litera est nigra et est recordatio peccatorum, quæ tanquam nigra et gravis sarcina torquent et cruciant quotidie pectus tuum cum recordatione pœnæ infernalis. Secunda litera est rubea, et est recordatio rosei sanguinis tui creatoris, quem in cruce pro te misero peccatore de quinque rivulis suis fusum misericorditer abundanter tribuit. Tertia litera est candida, et est desiderium cœlestium gaudiorum et eorum, qui sequuntur agnum dei in albis quocunque ierit. Si ista tria in corde nobiscum firmiter habuerimus, sine dubio regnum æternum obtinebimus, ad quod nos perducat, qui sine fine etc.

Cap. 126.

Quod mulieribus in nullo est credendum et præsertim de secretis. Exemplum jocale.

Refert Macrobius, quod quidam puer romanus, nomine Papirus, semel cum patre senatum sapientum intravit, ubi quoddam secretum consilium præceptum erat, sub pœna capitis custodire. Cum puer esset reversus ad domum, mater ejus interrogavit puerum, quid consules occultari sub pœna capitis statuissent. Ait puer: Non licet te scire, quoniam præcipitur occultari. Audiens hæc mater plus incipit precibus, promissis, minis et verberibus puerum ad revelandum secretum inclinare. Tandem puer, ut satisfaceret matri, et secretum teneret, dixit: Hoc est consilium: Utrum sit melius, quod unus vir ducat plures mulieres, vel una mulier ducat plures viros in matrimonium. Quo dicto mater aliis feminis romanis secretum hoc proposuit. Quæ altera die cum turma magna indeliberatæ venerunt ad senatores, petentes potius unam duobus quam duas feminas uni viro nubere. Senatores vero paventes, verecundi sexus tam impudicam insaniam mirabantur, quidnam sibi vellet tanta feminarum intemperies, ut parvæ rei prodigium et tam inverecunda postulatio quid sonaret. Puer Papirus hoc videns dixit senatoribus rem gestam, qui puerum commendantes statuerunt, quod hic puer semper senatui interesset in consilio.

Moralisatio. Carissimi! Puer iste est quilibet homo purus puritate vitæ, qui cum patre i. e. prælato intrat consilium sapientum i. e. religiosorum, in quo tractatur salus et sapientia animæ, quæ non omnibus exponenda. Sed sicut decet unumquemque secundum statum suum et pœnitentiam, quam a proprio sacerdote recepit, non debet aliis revelare. Et multa alia sunt, quæ non debent recitari. Mater vero

est mundus iste, quæ suadet homini religionem dimittere, secreta pandere, hoc est in corde non retinere, sed potius vanitatibus se subjicere; et si non poterit hominem sic seducere, tunc per minas i. e. per tribulationes et paupertates ipsum intendit seducere. Fac ergo tu, sicut puer Papirus. Mundum decipias per voluntariam paupertatem, et ostendas ei, quod duæ feminæ i. e. diversa vitia carnalis delectationis potius debent tradi sub custodia rationis, quam quod ratio suppeditetur sub voluntate et delectatione momentanea; sed sine dubio, quantum est in corpore, potius vult eligere, quod ratio suppeditet, sed nullo modo assentire debes, sed e converso potius; et sic per consequens puer Papirus i. e. homo purus poterit permanere inter sapientes et virtutes bonas habere i. e. inter viros sanctos sive sanctas continue poterit verba salutis audire et vitam æternam obtinere. Quam etc.

Cap. 127.

De justitia et æquitate dissertissimi judicis Christi per occulta judicia.

Miles quidam tyrannus erat, qui per multa tempora quendam famulum fidelem tenuit ac in omnibus providum. Quadam vero die, cum ad nundinas cum eodem servo per nemus transiret, accidit, ut miles XXX marcas argenti in medio nemoris perderet, famulo ignorante. Cum pecuniam non inveniret, famulum interrogavit, si pecuniam invenisset. Qui statim negavit et jurare cœpit, quod nihil sciret, et verum dixit. Qua non inventa statim pedem famuli amputavit, et eo relicto domi perrexit. Erat prope viam eremita, qui cum fletum et clamorem famuli audiret, velociter occurrit, audivitque confessionem ipsius, et dum cognosceret eum innocentem, ad hospitium suum ipsum in suis humeris portando misericorditer procuravit. Deinde oratorium suum intravit et domino improperavit, quod non esset justus judex eo, quod illum innocentem hominem pedem suum perdere permisisset. Cumque diutius orasset et flevisset et domino quasi pro falso judicio quodammodo improperasset, venit ad eum angelus, dicens: Numquid legisti in Psalm.: Deus judex justus fortis et patiens? At ille: Multoties legi illud et credidi ex toto corde, sed hodie erravi, aut ille miser, qui pedem suum perdidit sub velamine confessionis, decepit me. Respondit angelus: Noli loqui adversus dominum iniquitatem, quia omnes viæ ejus veritas, et

judicia ejus æquitas. Commenda memoriæ, quod sæpius legisti: Judicia dei abissus multa. Scias itaque, illum hominem pedem suum pro culpa veteri perdidisse; nam ante multa tempora cum eodem pede matrem suam præcipitavit malivole de quadam biga, pro quo facto postea nunquam condignam pœnitentiam egit. Miles ille dominus suus volebat dextrarium emere, ad congregandum majores divitias in detrimentum animæ suæ, et ideo justo judicio dei perdidit pecuniam. Quidam pauper fidelis cum uxore et parvulis suis quodidie domino supplicabat, ut dignaretur sibi in necessariis providere, qui pecuniam invenit et confessori suo obtulit dispendendam. Qui circumquaque sciscitando veraciter illum invenire non potuit, cujus erat. Ergo eidem pauperi partem ejusdem pecuniæ tribuit propter deum, residuam aliis pauperibus erogavit. Pone ergo custodiam ori tuo, ne domino aliquatenus improperes, ut fecisti cum ipse sit judex verus, fortis et patiens.

Moralisatio. Carissimi! Iste miles potest dici quilibet bonus prælatus, qui debet indui armatura dei, ut possit stare firmiter contra insidias diaboli. Famulus fidelis est subditus in omnibus prælato suo obediens. Prælatus ille habet thesaurum scilicet animas ad custodiendum, quas sæpe ex negligentia sua perdidit. Quid ergo est faciendum? Certe debet diligenter, quamdiu in vita est, inquirere salutem animæ, et si invenire non poterit, amputet pedem dextrum subditi, hoc est talem rebellem castigare et eum ab ecclesia amputare, donec cognoscat se deliquisse. Sed dic mihi, quomodo? Ecce famulus, postquam amisit pedem, incepit clamare. Sic peccator per confessionem clamat, ut dicit propheta: Clama ne cesses quasi tuba exalta vocem tuam etc. Ad cujus clamorem eremita i. e, discretus confessor habet eum portare in humeris suis, hoc est eum informando, prædicando, pœnitentiam dando et in domum ecclesiæ introducendo per opera misericordiæ et habet pro eo intercedere ad dominum non ei improperando, sed deum intime deprecando, ut talem conversum conservet et custodiat, qui aliquando cum pede i. e. affectione perversa matrem suam i. e. ecclesiam præcipitavit, quantum in eo fuit, quando divina præcepta non custodivit. Angelus, qui eremitam informavit, est conscientia pura non ficta cujuslibet prælati et confessoris, qui eos ligat et ducit, ut ad clamorem peccatoris cito ei occurant et in domum dei cito introducant. Pauper, qui pecuniam invenit, est Christus, qui animam semper custodit, ne labatur in infernum, donec peccator per pœnitentiam resurgat et sic animam mundam Christo recipiat, quia sine eo nullum bonum opus possimus facere. Pone ergo tu peccator custodiam ori tuo; ne aliquid contra

deum dicere præsumas. Deus enim est justus judex et fortis et patiens, ideo non dicas: Quare fecit me et post hoc dimisit me cadere? Vel alio modo potest reduci. Iste miles potest dici primus parens Adam, cui deus dedit infinita bona, quia eum constituit dominum omnium creaturarum, Psalm.: Omnia subjecisti sub pedibus ejus etc. Famulus fidelis est ratio, quæ in eo dominatur; quamdiu in puritate vitæ remansit, thesaurum paradisi, quem deus ei commisit, pro se et heridibus habet. Sed Adam volens plura acquirere, quando appetebat, ut alter deus non esset, statim thesaurum paradisi perdidit, et tunc pedem dextrum famuli amputavit, quia seductus per Evam scilicet per sensualitatem non per rationem præceptum divinum vilipendit, sed oleum misericordiæ clamando petiit in valle hujus mundi, quando in sudore suo panem acquisivit. Cujus miseriam videns dei filius de cœlo descendit et eum per proprium sanguinem redemit et in domum dei duxit, quando infernum spoliavit. Ipse peccata nostra in corpore suo portavit, quando pro nobis miseris mortuus est. Pauper, qui invenit thesaurum, est Christus, qui paradisum obtinuit, non pro se, sed pro omnibus, qui eum diligunt. Eremita deum precatus est; sic Christus in passione per carnem incepit timere, quando dixit: Si possibile est, transeat a me calix iste, et rogavit pro genere humano. Studeamus igitur etc.

Cap. 128.

De injuste aliena bona occupantibus gravis erit in extremis disceptatio.

Maximianus regnavit, in cujus imperio erant duo milites, quorum unus erat justus et timens deum, alter vero cupidus et dives, qui magis studuit mundo placere, quam deo. Miles justus quandam terram annexam terræ cupidi habebat, quam cupidus toto conamine desiderabat habere. Sæpius ad militem justum perrexit et ei aurum et argentum obtulit, quantum volebat, si terram illam ei venderet. Ille vero semper tenuit sic, quod tristis recessit; sed cogitabat, quomodo eum deciperet. Accidit, quod justus moreretur. Quod audiens cupidus cartam nomine defuncti scribi fecerat, quomodo defunctus in vita sua per quandam summam pecuniæ ei terram, quam desiderabat, vendidit. Quo facto tres homines pretio conduxit, ut ei perhiberent testimonium, cum quibus ad defunctum accessit et sigillum ejus invenit, in camera ubi defunctus jacuit, omnes expulit, exceptis suis testibus, deinde coram testibus sigillum in manu defuncti posuit

et pollicem super sigillum ita quod cum pollice mortui cartam suam signavit dicens: Ecce, estis testes hujus rei! Qui dixerunt: Sumus. Et sic ille miles terram illam ut suam occupavit. Cui filius defuncti dixit: Quare terram meam occupas? Qui respondit: Pater tuus mihi eam vendidit. Cui ille: Pluries ad patrem meum venisti et pecuniam obtulisti pro terra, sed pater meus nunquam voluit eam vendere. Venerunt pariter ad judicem, miles cupidus de emtione cartam sigillatam sigillo defuncti ostendit et testes adduxit, qui huic testimonium perhibuerunt. Cui filius defuncti dixit: Scio, quod hoc est sigillum patris mei, sed scio, quod nunquam tibi vendidit; quomodo sigillum habuisti, ignoro; quare ibi testimonium de hoc perhibeas. Judex vero istos tres abinvicem separari fecit et militem similiter et seniorem fecit adduci, quærens ab eo, si orationem dominicam sciret, et fecit eum coram eo a principio usque ad finem dicere. Qui eam bene scivit, et illum fecit poni in locum scorsum. Deinde jussit secundum adduci, et ait ei: Carissime, ante te socius tuus erat hic, qui mihi dixit ita verum sicut pater noster; ideo nisi tu dicas mihi veritatem quam a te quæsiero, in patibulo te suspendi faciam. Ille cogitavit: Socius meus totum narravit, quomodo miles pollicem defuncti accepit et ejus sigillum et cartam suam sigillavit; nisi veritatem dixero, filius mortis ero. Qui omnia per ordinem narravit. Cum hoc audisset judex, fecit eum seorsum poni et tertium adduci. Cui ait: Carissime, socius vester primus dixit mihi ita verum sicut pater noster, et secundus etiam; ideo nisi tu mihi veritatem dixeris, morte turpissima morieris. Ille cogitavit: Socii mei omnia secreta militis narraverunt; ideo bonum est, ut veritatem dicam. Qui de verbo ad verbum judici narravit, quomodo hoc factum fuit. Quem judex scorsum poni fecit, et vocavit militem, quem torvo vultu respexit dicens: O maledicte, cupiditas tua excæcavit te! Dic mihi, quomodo miles defunctus terram, quam occupas, tibi vendidit! Ille vero ignorans de confessione testium allegavit, quod juste occuparet. Cui rex: Maledicte, testes perhibent testimonium contra te, quomodo post mortem pollicem ejus accepisti, et sigillum ejus et cartam tuam sigillasti. Quod audiens miles ad terram cecidit et misericordiam petivit. Ait ei rex: Misericordiam quam meruisti obtinebis. Et fecit tres testes trahi per caudas equorum usque ad patibulum, et ibi suspendi; similiter et militem. Satrapæ regni judicium et sapientiam regis laudabant, quod tam sapienter veritatem investigasset, et omnia quæ ille miles habebat dedit filio defuncti militis, qui gratias regi egit et hereditatem sibi restituit.

Moralisatio. Carissimi, per istos duos milites intelligitur diabolus et primus parens; filius ejus erat totum genus humanum ab eo

propagatum; hereditas est paradisus, quem deus sibi dedit. Hoc videns miles cupidus scilicet diabolus accessit ad eum suggerendo et tentando, ut paradisum per peccatum amitteret; ille vero, quamdiu remansit in vita scilicet in puritate vitæ, hereditatem scilicet paradisum occupavit, sed eo mortuo per peccatum, quod commisit contra divinum præceptum, perdidit, et totum genus humanum post eum. Sed primo est quærendum: Quomodo perdidit. Dico: Carta erat scripta, quando Eva consensum præbuit, ut de ligno vitæ contra divinum præceptum comederet. Erat sigillata, quando Adam, qui erat caput rationis, et cui dabatur specialiter præceptum, comedit et uxori magis adhæsit, quam deo. Sigillum, ut scitis imprimit suam impressionem in cera; sic deus impressit suam imaginem in Adam et eum dominum mundi constituit. Psalm.: Omnia subjecisti sub pedibus ejus etc. Illam impressionem i. e. imaginem dedit diabolo, quando ei obedivit, et hoc cum pollice, postquam defunctus erat. Pollex claudit totam manum; pollice amisso manus vires amittit. Per pollicem debemus intelligere rationem, quam deus homini dedit, ut bonum eligat et malum respuat; unde quamdiu homo ratione regitur et ratio in eo dominatur, tamdiu poterit bene seipsum et alios regere; sed qui caret ratione, caret virtute et fortitudine spirituali. Adam vero primus parens habebat scientiam a deo infusam ultra omnes creaturas, ita quod omnes creaturæ ante peccatum ei obediebant; hoc non obstante scienter cum pollice rationis adhæsit diabolo, cum diabolus ei dixerat: Non moriemini; sed si comederitis, eritis sicut dii scientes bonum et malum. Diabolus cum vidisset eum sic seductum et hereditate cœlesti privatum, volebat filium scilicet totum genus humanum excludere; sed homo, si cautus fuerit, debet ad regem cœlestem accedere, ut patriarchæ et prophetæ fecerunt, qui clamaverunt ad deum pro remedio: O domine deus Emanuel rex et legifer noster exspectatio gentium et salvator earum, veni ad salvandum nos, domine deus noster! Sed diabolus producit secum tres testes, scilicet superbiam vitæ, concupiscentiam carnis et concupiscentiam oculorum, contra quos oportet procedere prudenter. Primum testem debemus examinare, si sciat pater noster sive orationem dominicam, hoc est si aliquid fecerat, propter quod peccatum superbiæ contra eum testimonium prohibeat; humiliet se in omnibus, verbo et opere ita vere, sicut est oratio dominica, et regem cœlestem placabit exemplo Christi, qui erat patri obediens usque ad mortem. Si vero homo timeat secundum testem scilicet concupiscentiam oculorum scilicet mundum, in quo tantum delectatur, pure confiteatur, ut fecit secundus testis et periculum poterit evadere. Si vero homo timeat tertium testem, scilicet concupiscentiam carnis, deo satis faciat

per carnis macerationem i. e, per veram satisfactionem, ut fecit tertius testis, qui omnia recognovit, unde ipse cum duobus sociis suis in patibulo suspenditur, de quo loquitur apostolus: Suspendium elegit anima mea, i. e. suspendium pœnitentiæ. Et si sic fecerimus vitam æternam obtinebimus, ad etc.

Cap. 129.

De amicitiæ veræ probatione.

Quidam rex habuit tantum unicum filium, quem multum dilexit; qui filius a patre licentiam accepit, ut mundum visitaret et amicos sibi acquireret. Qui per septem annos vagabatur in mundo et post hæc ad patrem rediit. Pater gaudenter eum recepit et ab eo quæsivit, quot amicos acquisisset. Ait filius: Tres; primum amicum plus, quam me ipsum diligo, secundum tantum sicut me ipsum, et tertium parum aut nihil. Cui pater: Bonum est eos probare et tentare, antequam indigeas de eis. Porcum occide et in sacco pone et in domum amici, quem plus diligis quam te, perge de nocte et ei dic, quod a casu hominem occidisti, et si inventum fuerit corpus, ego morte turpissima ero condemnatus; rogo modo te, sicut te semper plus, quam me ipsum, dilexi, succurre mihi in hac maxima necessitate! Quod factum est. At ille respondit: Sicut eum occidisti, justum est, ut pœnitentiæ subjaceas. Si corpus meum esset inventum forte in patibulo ero suspensus; veruntamen quia amicus meus fuisti, ideo tecum pergam ad patibulum, et postquam mortuus fueris, tres vel quatuor ulnas tibi dabo ad corpus tuum involvendum. Ille hoc audiens ad secundum amicum accessit, et illum ut primum probavit; ille sicut primus renuit dicens: Credis me fatuum, quod in tali periculo me ponere vellem? Veruntamen quia amicus meus fuisti, ideo ad patibulum tecum pergam et in via te consolabor, quantum potero. Ille ad tertium amicum accessit et eum probavit dicens: Verecundor tibi loqui, quod nunquam pro te aliquid feci et a casu hominem interfeci etc. At ille: Libenter hoc faciam et culpam mihi imponam, et patibulum si necesse fuerit pro te ascendam. Hunc expertum est meliorem amicum suum fuisse.

Moralisatio. Carissimi, rex ille est deus omnipotens; filius unicus est quilibet bonus christianus, qui per XII annos i. e. toto tempore vitæ suæ habet in mundo conversari et tres amicos quærere. Primus est mundus, quem plus diligit quam seipsum. Probatur hoc; propter mundum homo ponit se in periculo mortis, modo in mari, modo in

terra vitam sæpe ammittendo, ut temporalia bona possit habere; ergo plus diligit mundum quam se ipsum. Et si eum tempore necessitatis probaveris, sine dubio tibi deficiet; imo de omnibus bonis tuis si tibi dederit duas ulnas vel tres de panno ad involvendum corpus tuum, multum est. Secundus amicus, quem tantum diligis sicut te ipsum, est uxor tua et filii tui et filiæ; bene ad sepulcrum in morte tecum plorando pergunt, et cum uxor ad domum redierit, infra paucos dies dolor recedit et alium incipit amare. Tertius amicus, pro quo parum fecisti est Christus, quia pauca bona pro ejus amore sumus operati, imo multa mala, qui tempore mortis amicus est, si contriti et confessi fuerimus; imo pro nobis mortem in cruce sustinuit.

Cap. 130.

Quod vir sapiens plus valet viro forti.

Erat quidam rex, qui pauperem quemdam ad magnas divitias promovit eique unum catrum ad custodiendum commisit, ille sic sublimatus, superbus factus est valde, cum inimicis regis consilium habuit et ipsorum proditor factus castrum ipsis aperuit. Rex vero de hoc multum contristatus consilium habuit, quomodo castrum rehaberet. Dictum est ei, quod non posset castrum rehabere, nisi tria haberet, scilicet fortitudinem, sapientiam et dilectionem una cum divitiis. Unde in regno suo fuerunt tres milites, quorum unus ceteris fortior, secundus sapientior et tertius regem multum dilexit: isti tres milites sunt missi cum exercitibus, ut castrum invaderent. Primus miles fortis cum exercitu grandi processit per quandam forestam, in qua erant inimici regis et incepit viriliter contra ipsos pugnare. Sed subito quædam sagitta exiit de ballista et eum in inguine percussit et mortuus est. Miles sapiens post eum forestam intravit et cœpit allegare jura, sic volens eos allicere; venit sagitta, quæ percussit eum inter pulmonem et stomachum et mortuus est. Hæc videns tertius miles forestam intravit et incepit dulcia verba proferre et ornate loqui intantum, quod illum libenter audiebant et transire permittebant; veruntamen tantum cum eis fecit, quod introitum habuit in castrum, et sic inter eos conversabatur, quod omnes existentes in castro sunt cum eo confœderati, et sic castrum pro rege acquisivit et suum vexillum in summitate ordinavit. Cum rex hoc audisset, quod tam prudenter castrum acquisivisset, illum ad magnas divitias promovit.

Moralisatio. Carissimi! Rex iste est dominus noster Jesus Christus, qui illum pauperem ad magnas divitias promovit, quando

canem et parvum filium suum in gremio et uxorem a sinistris ad castrum perrexit. Cum castro domini sui appropinquaret, dextrum crus super dorsum canis sui velut equitans posuit, per alterum gradiendo, sicque pedester et equester castrum domini sui intravit. Quo viso rex cum adstantibus mirabatur. Ait ei judex: Ubi est amicus tuus fidelissimus? Qui statim evaginans gladium suum canem graviter vulneravit, qui cum clamore et dolore fugit; deinde miles eum revocat, et canis ad eum venit. Ecce fidelissimum amicum meum! Cui rex: Verum dicis. Ubi est joculator tuus? Cui miles: Ecce, parvulus filius meus, cum ante me ludit, magnum solatium mihi facit. Ait rex: Ubi est maximus inimicus tuus? Qui statim dedit alapam uxori suæ, dicens: Quare tu tam impudice respicis dominum meum regem? Illa statim respondit: O maledicte homicida, quare me percutis? Nonne in domo tua propria lamentabile homicidium perpetrasti et pro modica pecunia peregrinum occidisti? Iterum miles dedit ei alapam, dicens: O maledicta, cur filium tuum depingere non formidas! Quæ statim iracunda tota facta est et dixit: Venite, ostendam vobis saccum, in quo occisi peregrini caput et brachia posuit, et stabulum, in quo ejus corpus sepelivit. Cum venissent, ut experirentur, et locum ejus uxor ostenderet, cito effodientes, visis carnibus vitulinis obstupuerunt. Astutiam militis cognoscentes dignis laudibus eum extulerunt, qui postea domino suo, regi, specialis dilectionis vinculo est annexus.

Moralisatio. Carissimi! Miles iste, qui sui regis gratiam perdidit, est peccator, qui, ad obtinendam gratiam domini sui, præmittit intercessores deo, scilicet dilectos homines quasi consanguineos et amicos. Ut autem domino suo satisfaciat, pedester veniat et equester; pedester i. e. terrena et temporalia quasi despectabilia conculcando; queester vero toto cordis desiderio cœlestia contemplando. Sed canem quoque a dextris pro amico fidelissimo secum ducat, i. e. angelum suum bonum vel prebyterum, qui animam suam habet custodire, qui licet sæpius gladio suorum criminum vulneret et offendat, recurrit tamen fideliter ut amicus, qui sua secreta coram familia principis et amicis tenebit. Joculatorem i. e. puerum parvum in gremio est conscientia, quæ, si bene regulatur, multum delectatur. Uxorem vero a sinistris pro inimico perfidissimo ducat i. e. carnis mollitiem vel dæmonum, qui sua secreta coram familia principis et amicis i. e. coram cunctis angelis atque sanctis imminente mortis hora in perditionem sui detegit et revelat. Tunc merito laudabitur miles sapiens et discretus, qui prædictas fallacias sic fefellit, occulte vitulum mactando et in secreto domus in angulo subterrando, nec occulte homicidium perpetrando, i. e. corpus proprium in cubiculo flagellando, aut secreta

peccatoris conscientia lacrimis intensa imitando, nec tamen homicidium perpetrando, modum debitum non excedendo, sed jejuniis et orationibus et aliis bonis operibus sapienter in omnibus insistendo, per quæ tandem domini sui gratiam, quam perdiderat, rehabebit.

Cap. 125.

Mulieres non solum pandunt secreta, sed ad hoc mentiuntur plura.

Erant duo fratres, quorum unus laicus, alter clericus; laicus sæpe audierat a fratre suo, quod mulieres secretum alicujus non potuerunt occultare. Cogitabat experiri hoc cum uxore sibi dilecta, cui dixit una nocte: Carissima, secretum habeo tibi pandere, si certus essem, quod nulli dices; quod si contrarium facies, confusio intolerabilis mihi esset. At illa: Domine, noli timere, unum corpus sumus; bonum tuum est meum et e converso etiam malum similiter. Qui ait: Cum ad privata accessissem, ut opus naturæ facerem, corvus nigerrimus a parte posteriori evolabat, de quo sum contristatus. Quæ ait: Lætus esse debes, quod a tanta passione es liberatus. Mane vero mulier surrexit, ad domum proximi sui ivit et dominæ domus dixit: O domina carissima, potero tibi pandere aliqua secreta? Quæ ait: Ita secure, sicut animæ tuæ. Quæ dixit: Mirabilis casus accidit marito meo. Nocte ista accessit ad privata, ut opus naturæ faceret, et ecce, duo corvi nigerrimi a parte posteriori evolabant, de quo multum doleo. Et illa ad aliam vicinam narravit de tribus, et tertia de quatuor et sic ultra, quod ille diffamatus est, quod sexaginta corvi de eo evolassent. Ille turbatus de rumore convocavit populum, cui narravit rem gestam, quomodo mulierem voluit experiri, si sciret secretum tenere. Post hoc moritur uxor ejus, et ille cœnobium intravit, literas didicit, scilicet tres, quarum prima est nigra, secunda rubea, tertia candida.

Moralisatio. Carissimi! Ille, qui malitiam mulierum probavit, potest dici homo mundanus, qui conamine toto laborat, ut bona mundana acquirat, ut, cum sæpe credit sine offensione evadere, cadit in mille, ut, qui cadit in superbiam, cadit in multos alios defectus contra salutem animæ suæ, et hoc est corvum nigrum a parte posteriori exire i. e. peccatum in effectu, et sic homo diffamatur, et non tantum per uxorem propriam scilicet carnem, sed per vicinas alias scilicet per quinque sensus. Fac ergo tu sicut et ille! Collige populum i. e. omnia præterita et præsentia facta tua et purga te per viam confessionis; et tunc poteris cœnobium bonæ vitæ intrare et in tribus

literis studere, per quod studium acquiris bravium æternum. Prima litera est nigra et est recordatio peccatorum, quæ tanquam nigra et gravis sarcina torquent et cruciant quotidie pectus tuum cum recordatione pœnæ infernalis. Secunda litera est rubea, et est recordatio rosei sanguinis tui creatoris, quem in cruce pro te misero peccatore de quinque rivulis suis fusum misericorditer abundanter tribuit. Tertia litera est candida, et est desiderium cœlestium gaudiorum et eorum, qui sequuntur agnum dei in albis quocunque ierit. Si ista tria in corde nobiscum firmiter habuerimus, sine dubio regnum æternum obtinebimus, ad quod nos perducat, qui sine fine etc.

Cap. 126.

Quod mulieribus in nullo est credendum et præsertim de secretis. Exemplum jocale.

Refert Macrobius, quod quidam puer romanus, nomine Papirus, semel cum patre senatum sapientum intravit, ubi quoddam secretum consilium præceptum erat, sub pœna capitis custodire. Cum puer esset reversus ad domum, mater ejus interrogavit puerum, quid consules occultari sub pœna capitis statuissent. Ait puer: Non licet te scire, quoniam præcipitur occultari. Audiens hæc mater plus incipit precibus, promissis, minis et verberibus puerum ad revelandum secretum inclinare. Tandem puer, ut satisfaceret matri, et secretum teneret, dixit: Hoc est consilium: Utrum sit melius, quod unus vir ducat plures mulieres, vel una mulier ducat plures viros in matrimonium. Quo dicto mater aliis feminis romanis secretum hoc proposuit. Quæ altera die cum turma magna indeliberatæ venerunt ad senatores, petentes potius unam duobus quam duas feminas uni viro nubere. Senatores vero paventes, verecundi sexus tam impudicam insaniam mirabantur, quidnam sibi vellet tanta feminarum intemperies, ut parvæ rei prodigium et tam inverecunda postulatio quid sonaret. Puer Papirus hoc videns dixit senatoribus rem gestam, qui puerum commendantes statuerunt, quod hic puer semper senatui interesset in consilio.

Moralisatio. Carissimi! Puer iste est quilibet homo purus puritate vitæ, qui cum patre i. e. prælato intrat consilium sapientum i. e. religiosorum, in quo tractatur salus et sapientia animæ, quæ non omnibus exponenda. Sed sicut decet unumquemque secundum statum suum et pœnitentiam, quam a proprio sacerdote recepit, non debet aliis revelare. Et multa alia sunt, quæ non debent recitari. Mater vero

est mundus iste, quæ suadet homini religionem dimittere, secreta pandere, hoc est in corde non retinere, sed potius vanitatibus se subjicere; et si non poterit hominem sic seducere, tunc per minas i. e. per tribulationes et paupertates ipsum intendit seducere. Fac ergo tu, sicut puer Papirus. Mundum decipias per voluntariam paupertatem, et ostendas ei, quod duæ feminæ i. e. diversa vitia carnalis delectationis potius debent tradi sub custodia rationis, quam quod ratio suppeditetur sub voluntate et delectatione momentanea; sed sine dubio, quantum est in corpore, potius vult eligere, quod ratio suppeditet, sed nullo modo assentire debes, sed e converso potius; et sic per consequens puer Papirus i. e. homo purus poterit permanere inter sapientes et virtutes bonas habere i. e. inter viros sanctos sive sanctas continue poterit verba salutis audire et vitam æternam obtinere. Quam etc.

Cap. 127.

De justitia et æquitate dissertissimi judicis Christi per occulta judicia.

Miles quidam tyrannus erat, qui per multa tempora quendam famulum fidelem tenuit ac in omnibus providum. Quadam vero die, cum ad nundinas cum eodem servo per nemus transiret, accidit, ut miles XXX marcas argenti in medio nemoris perderet, famulo ignorante. Cum pecuniam non inveniret, famulum interrogavit, si pecuniam invenisset. Qui statim negavit et jurare cœpit, quod nihil sciret, et verum dixit. Qua non inventa statim pedem famuli amputavit, et eo relicto domi perrexit. Erat prope viam eremita, qui cum fletum et clamorem famuli audiret, velociter occurrit, audivitque confessionem ipsius, et dum cognosceret eum innocentem, ad hospitium suum ipsum in suis humeris portando misericorditer procuravit. Deinde oratorium suum intravit et domino improperavit, quod non esset justus judex eo, quod illum innocentem hominem pedem suum perdere permisisset. Cumque diutius orasset et flevisset et domino quasi pro falso judicio quodammodo improperasset, venit ad eum angelus, dicens: Numquid legisti in Psalm.: Deus judex justus fortis et patiens? At ille: Multoties legi illud et credidi ex toto corde, sed hodie erravi, aut ille miser, qui pedem suum perdidit sub velamine confessionis, decepit me. Respondit angelus: Noli loqui adversus dominum iniquitatem, quia omnes viæ ejus veritas, et

judicia ejus æquitas. Commenda memoriæ, quod sæpius legisti: Judicia dei abissus multa. Scias itaque, illum hominem pedem suum pro culpa veteri perdidisse; nam ante multa tempora cum eodem pede matrem suam præcipitavit malivole de quadam biga, pro quo facto postea nunquam condignam pœnitentiam egit. Miles ille dominus suus volebat dextrarium emere, ad congregandum majores divitias in detrimentum animæ suæ, et ideo justo judicio dei perdidit pecuniam. Quidam pauper fidelis cum uxore et parvulis suis quodidie domino supplicabat, ut dignaretur sibi in necessariis providere, qui pecuniam invenit et confessori suo obtulit dispendendam. Qui circumquaque sciscitando veraciter illum invenire non potuit, cujus erat. Ergo eidem pauperi partem ejusdem pecuniæ tribuit propter deum, residuam aliis pauperibus erogavit. Pone ergo custodiam ori tuo, ne domino aliquatenus improperes, ut fecisti cum ipse sit judex verus, fortis et patiens.

Moralisatio. Carissimi! Iste miles potest dici quilibet bonus prælatus, qui debet indui armatura dei, ut possit stare firmiter contra insidias diaboli. Famulus fidelis est subditus in omnibus prælato suo obediens. Prælatus ille habet thesaurum scilicet animas ad custodiendum, quas sæpe ex negligentia sua perdidit. Quid ergo est faciendum? Certe debet diligenter, quamdiu in vita est, inquirere salutem animæ, et si invenire non poterit, amputet pedem dextrum subditi, hoc est talem rebellem castigare et eum ab ecclesia amputare, donec cognoscat se deliquisse. Sed dic mihi, quomodo? Ecce famulus, postquam amisit pedem, incepit clamare. Sic peccator per confessionem clamat, ut dicit propheta: Clama ne cesses quasi tuba exalta vocem tuam etc. Ad cujus clamorem eremita i. e, discretus confessor habet eum portare in humeris suis, hoc est eum informando, prædicando, pœnitentiam dando et in domum ecclesiæ introducendo per opera misericordiæ et habet pro eo intercedere ad dominum non ei improperando, sed deum intime deprecando, ut talem conversum conservet et custodiat, qui aliquando cum pede i. e. affectione perversa matrem suam i. e. ecclesiam præcipitavit, quantum in eo fuit, quando divina præcepta non custodivit. Angelus, qui eremitam informavit, est conscientia pura non ficta cujuslibet prælati et confessoris, qui eos ligat et ducit, ut ad clamorem peccatoris cito ei occurant et in domum dei cito introducant. Pauper, qui pecuniam invenit, est Christus, qui animam semper custodit, ne labatur in infernum, donec peccator per pœnitentiam resurgat et sic animam mundam Christo recipiat, quia sine eo nullum bonum opus possimus facere. Pone ergo tu peccator custodiam ori tuo; ne aliquid contra

deum dicere præsumas. Deus enim est justus judex et fortis et patiens, ideo non dicas: Quare fecit me et post hoc dimisit me cadere? Vel alio modo potest reduci. Iste miles potest dici primus parens Adam, cui deus dedit infinita bona, quia eum constituit dominum omnium creaturarum, Psalm.: Omnia subjecisti sub pedibus ejus etc. Famulus fidelis est ratio, quæ in eo dominatur; quamdiu in puritate vitæ remansit, thesaurum paradisi, quem deus ei commisit, pro se et heridibus habet. Sed Adam volens plura acquirere, quando appetebat, ut alter deus non esset, statim thesaurum paradisi perdidit, et tunc pedem dextrum famuli amputavit, quia seductus per Evam scilicet per sensualitatem non per rationem præceptum divinum vilipendit, sed oleum misericordiæ clamando petiit in valle hujus mundi, quando in sudore suo panem acquisivit. Cujus miseriam videns dei filius de cœlo descendit et eum per proprium sanguinem redemit et in domum dei duxit, quando infernum spoliavit. Ipse peccata nostra in corpore suo portavit, quando pro nobis miseris mortuus est. Pauper, qui invenit thesaurum, est Christus, qui paradisum obtinuit, non pro se, sed pro omnibus, qui eum diligunt. Eremita deum precatus est; sic Christus in passione per carnem incepit timere, quando dixit: Si possibile est, transeat a me calix iste, et rogavit pro genere humano. Studeamus igitur etc.

Cap. 128.

De injuste aliena bona occupantibus gravis erit in extremis disceptatio.

Maximianus regnavit, in cujus imperio erant duo milites, quorum unus erat justus et timens deum, alter vero cupidus et dives, qui magis studuit mundo placere, quam deo. Miles justus quandam terram annexam terræ cupidi habebat, quam cupidus toto conamine desiderabat habere. Sæpius ad militem justum perrexit et ei aurum et argentum obtulit, quantum volebat, si terram illam ei venderet. Ille vero semper tenuit sic, quod tristis recessit; sed cogitabat, quomodo eum deciperet. Accidit, quod justus moreretur. Quod audiens cupidus cartam nomine defuncti scribi fecerat, quomodo defunctus in vita sua per quandam summam pecuniæ ei terram, quam desiderabat, vendidit. Quo facto tres homines pretio conduxit, ut ei perhiberent testimonium, cum quibus ad defunctum accessit et sigillum ejus invenit, in camera ubi defunctus jacuit, omnes expulit, exceptis suis testibus, deinde coram testibus sigillum in manu defuncti posuit

et pollicem super sigillum ita quod cum pollice mortui cartam suam signavit dicens: Ecce, estis testes hujus rei! Qui dixerunt: Sumus. Et sic ille miles terram illam ut suam occupavit. Cui filius defuncti dixit: Quare terram meam occupas? Qui respondit: Pater tuus mihi eam vendidit. Cui ille: Pluries ad patrem meum venisti et pecuniam obtulisti pro terra, sed pater meus nunquam voluit eam vendere. Venerunt pariter ad judicem, miles cupidus de emtione cartam sigillatam sigillo defuncti ostendit et testes adduxit, qui huic testimonium perhibuerunt. Cui filius defuncti dixit: Scio, quod hoc est sigillum patris mei, sed scio, quod nunquam tibi vendidit; quomodo sigillum habuisti, ignoro; quare ibi testimonium de hoc perhibeas. Judex vero istos tres abinvicem separari fecit et militem similiter et seniorem fecit adduci, quærens ab eo, si orationem dominicam sciret, et fecit eum coram eo a principio usque ad finem dicere. Qui eam bene scivit, et illum fecit poni in locum scorsum. Deinde jussit secundum adduci, et ait ei: Carissime, ante te socius tuus erat hic, qui mihi dixit ita verum sicut pater noster; ideo nisi tu dicas mihi veritatem quam a te quæsiero, in patibulo te suspendi faciam. Ille cogitavit: Socius meus totum narravit, quomodo miles pollicem defuncti accepit et ejus sigillum et cartam suam sigillavit; nisi veritatem dixero, filius mortis ero. Qui omnia per ordinem narravit. Cum hoc audisset judex, fecit eum seorsum poni et tertium adduci. Cui ait: Carissime, socius vester primus dixit mihi ita verum sicut pater noster, et secundus etiam; ideo nisi tu mihi veritatem dixeris, morte turpissima morieris. Ille cogitavit: Socii mei omnia secreta militis narraverunt; ideo bonum est, ut veritatem dicam. Qui de verbo ad verbum judici narravit, quomodo hoc factum fuit. Quem judex scorsum poni fecit, et vocavit militem, quem torvo vultu respexit dicens: O maledicte, cupiditas tua excæcavit te! Dic mihi, quomodo miles defunctus terram, quam occupas, tibi vendidit! Ille vero ignorans de confessione testium allegavit, quod juste occuparet. Cui rex: Maledicte, testes perhibent testimonium contra te, quomodo post mortem pollicem ejus accepisti, et sigillum ejus et cartam tuam sigillasti. Quod audiens miles ad terram cecidit et misericordiam petivit. Ait ei rex: Misericordiam quam meruisti obtinebis. Et fecit tres testes trahi per caudas equorum usque ad patibulum, et ibi suspendi; similiter et militem. Satrapæ regni judicium et sapientiam regis laudabant, quod tam sapienter veritatem investigasset, et omnia quæ ille miles habebat dedit filio defuncti militis, qui gratias regi egit et hereditatem sibi restituit.

Moralisatio. Carissimi, per istos duos milites intelligitur diabolus et primus parens; filius ejus erat totum genus humanum ab eo

propagatum; hereditas est paradisus, quem deus sibi dedit. Hoc videns miles cupidus scilicet diabolus accessit ad eum suggerendo et tentando, ut paradisum per peccatum amitteret; ille vero, quamdiu remansit in vita scilicet in puritate vitæ, hereditatem scilicet paradisum occupavit, sed eo mortuo per peccatum, quod commisit contra divinum præceptum, perdidit, et totum genus humanum post eum. Sed primo est quærendum: Quomodo perdidit. Dico: Carta erat scripta, quando Eva consensum præbuit, ut de ligno vitæ contra divinum præceptum comederet. Erat sigillata, quando Adam, qui erat caput rationis, et cui dabatur specialiter præceptum, comedit et uxori magis adhæsit, quam deo. Sigillum, ut scitis imprimit suam impressionem in cera; sic deus impressit suam imaginem in Adam et eum dominum mundi constituit. Psalm.: Omnia subjecisti sub pedibus ejus etc. Illam impressionem i. e. imaginem dedit diabolo, quando ei obedivit, et hoc cum pollice, postquam defunctus erat. Pollex claudit totam manum; pollice amisso manus vires amittit. Per pollicem debemus intelligere rationem, quam deus homini dedit, ut bonum eligat et malum respuat; unde quamdiu homo ratione regitur et ratio in eo dominatur, tamdiu poterit bene seipsum et alios regere; sed qui caret ratione, caret virtute et fortitudine spirituali. Adam vero primus parens habebat scientiam a deo infusam ultra omnes creaturas, ita quod omnes creaturæ ante peccatum ei obediebant; hoc non obstante scienter cum pollice rationis adhæsit diabolo, cum diabolus ei dixerat: Non moriemini; sed si comederitis, eritis sicut dii scientes bonum et malum. Diabolus cum vidisset eum sic seductum et hereditate cœlesti privatum, volebat filium scilicet totum genus humanum excludere; sed homo, si cautus fuerit, debet ad regem cœlestem accedere, ut patriarchæ et prophetæ fecerunt, qui clamaverunt ad deum pro remedio: O domine deus Emanuel rex et legifer noster exspectatio gentium et salvator earum, veni ad salvandum nos, domine deus noster! Sed diabolus producit secum tres testes, scilicet superbiam vitæ, concupiscentiam carnis et concupiscentiam oculorum, contra quos oportet procedere prudenter. Primum testem debemus examinare, si sciat pater noster sive orationem dominicam, hoc est si aliquid fecerat, propter quod peccatum superbiæ contra eum testimonium prohibeat; humiliet se in omnibus, verbo et opere ita vere, sicut est oratio dominica, et regem cœlestem placabit exemplo Christi, qui erat patri obediens usque ad mortem. Si vero homo timeat secundum testem scilicet concupiscentiam oculorum scilicet mundum, in quo tantum delectatur, pure confiteatur, ut fecit secundus testis et periculum poterit evadere. Si vero homo timeat tertium testem, scilicet concupiscentiam carnis, deo satis faciat

per carnis macerationem i. e, per veram satisfactionem, ut fecit tertius testis, qui omnia recognovit, unde ipse cum duobus sociis suis in patibulo suspenditur, de quo loquitur apostolus: Suspendium elegit anima mea, i. e. suspendium pœnitentiæ. Et si sic fecerimus vitam æternam obtinebimus, ad etc.

Cap. 129.

De amicitiæ veræ probatione.

Quidam rex habuit tantum unicum filium, quem multum dilexit; qui filius a patre licentiam accepit, ut mundum visitaret et amicos sibi acquireret. Qui per septem annos vagabatur in mundo et post hæc ad patrem rediit. Pater gaudenter eum recepit et ab eo quæsivit, quot amicos acquisisset. Ait filius: Tres; primum amicum plus, quam me ipsum diligo, secundum tantum sicut me ipsum, et tertium parum aut nihil. Cui pater: Bonum est eos probare et tentare, antequam indigeas de eis. Porcum occide et in sacco pone et in domum amici, quem plus diligis quam te, perge de nocte et ei dic, quod a casu hominem occidisti, et si inventum fuerit corpus, ego morte turpissima ero condemnatus; rogo modo te, sicut te semper plus, quam me ipsum, dilexi, succurre mihi in hac maxima necessitate! Quod factum est. At ille respondit: Sicut eum occidisti, justum est, ut pœnitentiæ subjaceas. Si corpus meum esset inventum forte in patibulo ero suspensus; veruntamen quia amicus meus fuisti, ideo tecum pergam ad patibulum, et postquam mortuus fueris, tres vel quatuor ulnas tibi dabo ad corpus tuum involvendum. Ille hoc audiens ad secundum amicum accessit, et illum ut primum probavit; ille sicut primus renuit dicens: Credis me fatuum, quod in tali periculo me ponere vellem? Veruntamen quia amicus meus fuisti, ideo ad patibulum tecum pergam et in via te consolabor, quantum potero. Ille ad tertium amicum accessit et eum probavit dicens: Verecundor tibi loqui, quod nunquam pro te aliquid feci et a casu hominem interfeci etc. At ille: Libenter hoc faciam et culpam mihi imponam, et patibulum si necesse fuerit pro te ascendam. Hunc expertum est meliorem amicum suum fuisse.

Moralisatio. Carissimi, rex ille est deus omnipotens; filius unicus est quilibet bonus christianus, qui per XII annos i. e. toto tempore vitæ suæ habet in mundo conversari et tres amicos quærere. Primus est mundus, quem plus diligit quam seipsum. Probatur hoc; propter mundum homo ponit se in periculo mortis, modo in mari, modo in

terra vitam sæpe ammittendo, ut temporalia bona possit habere; ergo plus diligit mundum quam se ipsum. Et si eum tempore necessitatis probaveris, sine dubio tibi deficiet; imo de omnibus bonis tuis si tibi dederit duas ulnas vel tres de panno ad involvendum corpus tuum, multum est. Secundus amicus, quem tantum diligis sicut te ipsum, est uxor tua et filii tui et filiæ; bene ad sepulcrum in morte tecum plorando pergunt, et cum uxor ad domum redierit, infra paucos dies dolor recedit et alium incipit amare. Tertius amicus, pro quo parum fecisti est Christus, quia pauca bona pro ejus amore sumus operati, imo multa mala, qui tempore mortis amicus est, si contriti et confessi fuerimus; imo pro nobis mortem in cruce sustinuit.

Cap. 130.

Quod vir sapiens plus valet viro forti.

Erat quidam rex, qui pauperem quemdam ad magnas divitias promovit eique unum catrum ad custodiendum commisit, ille sic sublimatus, superbus factus est valde, cum inimicis regis consilium habuit et ipsorum proditor factus castrum ipsis aperuit. Rex vero de hoc multum contristatus consilium habuit, quomodo castrum rehaberet. Dictum est ei, quod non posset castrum rehabere, nisi tria haberet, scilicet fortitudinem, sapientiam et dilectionem una cum divitiis. Unde in regno suo fuerunt tres milites, quorum unus ceteris fortior, secundus sapientior et tertius regem multum dilexit: isti tres milites sunt missi cum exercitibus, ut castrum invaderent. Primus miles fortis cum exercitu grandi processit per quandam forestam, in qua erant inimici regis et incepit viriliter contra ipsos pugnare. Sed subito quædam sagitta exiit de ballista et eum in inguine percussit et mortuus est. Miles sapiens post eum forestam intravit et cœpit allegare jura, sic volens eos allicere; venit sagitta, quæ percussit eum inter pulmonem et stomachum et mortuus est. Hæc videns tertius miles forestam intravit et incepit dulcia verba proferre et ornate loqui intantum, quod illum libenter audiebant et transire permittebant; veruntamen tantum cum eis fecit, quod introitum habuit in castrum, et sic inter eos conversabatur, quod omnes existentes in castro sunt cum eo confœderati, et sic castrum pro rege acquisivit et suum vexillum in summitate ordinavit. Cum rex hoc audisset, quod tam prudenter castrum acquisivisset, illum ad magnas divitias promovit.

Moralisatio. Carissimi! Rex iste est dominus noster Jesus Christus, qui illum pauperem ad magnas divitias promovit, quando

cum senescallum paradisi constituit, sed ille per peccatum perdidit. Unde in toto regno mundi pauci erant inventi, qui castrum prædictum, i. e. paradisum poterant obtinere. Vocati sunt tres milites, per quos intelligo tria genera hominum; per primum mundi potentes, qui credunt per potentiam et fortitudinem mundanam paradisum acquirere; et licet sint ad hoc apti, venit tamen subito sagitta superbiæ et ipsos spiritualiter interficit; per secundum militem mundi sapientes intelligere debemus, qui incipiunt jura allegare, ut sunt judices, ecclesiastici, advocati et judices temporales, qui credunt per sapientiam suam paradisum acquirere; et dum incipiunt bene vivere, venit sagitta avaritiæ, i. e. bursa plena pecuniæ et sic percutit eos et spiritualiter interficiuntur. Per tertium militem, qui dulciter sine tumultu loquebatur, Christianum simplicem totaliter in deo cor habentem poterimus intelligere, qui non confidit in pompa humana nec in ejus sapientia, sed solummodo in deo juxta illud Psalm.: Beatus homo, qui sperat in domino. Certe talis castrum paradisi poterit acquirere, quod nobis præstare dignetur etc.

Cap. 131.

De divitibus, quibus datur, et pauperibus, quibus id quod habent abstrahitur, quomodo deus æternaliter eos remunerat per cœlestem patriam.

Rex quidam fecit proclamari, quod omnes indifferenter ad eum venirent et quidquid ab eo peterent obtinerent. Nobiles et divites aliqui ducatum, aliqui comitatum, aliqui militiam, aliqui aurum et argentum petierunt et obtinuerunt. Deinde pauperes et simplices venerunt ad regem eum petentes. Quibus rex ait: Tarde venistis, ante vos nobiles et principes venerunt et omnia quæ habui eis dedi. Qui tristes de responsione fuerunt; rex vero pietate motus ait: Carissimi, tantum eis temporalia dedi, sed dominium retinui; quod nullus hoc petivit, ego do vobis hoc, ut sitis domini eorum et judices. Divites hoc audientes contristati sunt et venerunt ad regem dicentes: Domine, confusi sumus, quod pauperes et servos nostros constituisti judices et dominos nostros; melius est nos mori, quam sic servituti subjici. Ait rex: Carissimi, non facio vobis injuriam; quidquid a me petivistis nobis dedi intantum, quod nihil mihi retinui nisi domitium, quod dedi eis; sed do vobis consilium: quilibet vestrum satis habet ad vivendum, det ergo quilibet vestrum partem de divitiis pauperibus, per quam poterunt honeste vivere, et ego dominium ab eis recipiam,

et apud me manebit et sic eritis liberati a servitute magna.' Quod et factum est.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est deus, dives super omnia; præco proclamans est prædicator, qui dicit: Petite et accipietis, quærite et invenietis! Divites et mundi potentes cum illum clamorem audierunt, statim cum omni labore castra, civitates, aurum et argentum petierunt et obtinuerunt; sed Christus tantum de mundanis dedit eis, quod nihil retinuit Isa. IV: Vulpes foveas habent et volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Deinde pauperes venerunt et nihil habuit eis dare nisi dominium, et sic eos constituit dominos et judices divitum, juxta illud Matth.: Vos, qui reliquistis omnia et secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel, et illud Matth.: V: Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum collorum. Divites hoc videntes debent multum dolere, quod pauperes, qui servi eorum fuerunt in hoc mundo, debent esse judices et domini eorum in cœlo. Si ergo desideratis cum eis regnare, faciatis sicut fecerunt illi! Quilibet det elemosinam quantum potest pauperibus, ut poterunt vivere et sine dubio cum eis poteritis in æternum regnare.

Cap. 132.

De invidis, qui bonos per malam vitam inficiunt.

Civitas quædam erat, in qua quatuor physici fuerunt in medicina periti; junior alios tres in scientia excellebat intantum, quod omnes infirmos ad eum venientes salvavit. Quod alii invidentes moti sunt contra eum et inter se dixerunt: Quomodo poterimus istum exstinguere? Ecce totus mundus ad eum currit et nihil poterimus propter eum lucrari. Ait unus de tribus: Ad tres leucas omni hebdomada visitat ducem et die crastina ad eum accedet. Ego stabo extra civitatem ad unam leucam, tu vero ad secundam et alius ad tertiam! Cum vero in fine primæ leucæ venerit, ei obviabo et signo crucis me signabo et quilibet vestrum similiter sic faciet, ille vero causam crucis quæret; dicemus: Leprosus factus es. Et ex timore lepram incurret, quia dicit Hypocrates: Homo timens lepram ex timore eam incurrit. Et cum leprosus fuerit nullus ad eum accedet. Quod et factum est.

Moralisatio. Carissimi, per istos tres medicos, qui quartum inficiebant, debemus intelligere tria vitia, quæ in isto mundo regnant, scilicet superbia vitæ, concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum; vel signant diabolum, mundum et carnem; isti sunt medici

reproborum, qui faciunt corpus in delitiis vivere, animam in inferno regnare. Medicus subtilis est quilibet bonus christianus, sicut sunt prælati et confessores, qui habent nos spiritualiter curare, virtutes inserere et vitia exstirpare; sed heu proh dolor, sæpe per illa tria vitia medicus spiritualis est infectus intantum, quod dignus non est gradum in ecclesia tenere, sed extra, ut sunt symoniaci et alii, qui qui sunt diversis vitiis irretiti. Carissimi, si voluerimus ab istis vitiis cavere, extra viam ambulemus per opera misericordiæ, et sic poterimus ad regnum pervenire.

Cap. 133.

De spirituali amicitia.

Quidam rex erat, qui duos leporarios habuit, qui quasi continue ad invicem erant ligati, et quamdiu invicem ligabantur, mutuo se dilexerunt, sed ipsis solutis quilibet alium voluit devorare. Rex vero hoc videns multum dolebat, quia quando ludere cum eis volebat et venari, ipsis solutis pugnabant et ludo non intendebant. Rex consilium quærebat super hoc; cui dictum est, quod lupus fortis et crudelis adduci deberet et unus de canibus contra eum pugnare permitteretur; quando hic canis fere fuerit devictus alium canem contra eum admitteret; cum primus canis videret se auxiliatum, semper post hoc ad invicem se mutuo diligerent; quod et factum est, et lupo quasi devincente et cane deficiente alius eum defendit et ipsum occidit; ab illo tempore tam ligati quam soluti canes mutuo se dilexerunt.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est dominus noster Jesus Christus; duo canes ad invicem ligati sunt corpus et anima in baptismo ligata; quamdiu vero sic stant ligati, mutuo se diligunt; sed si solvantur per peccatum mortale, statim unus contra alium est, ut dicit apostolus: Caro concupiscit adversus spiritum et e converso. Quid ergo est faciendum? Certe ut caro subjiciatur pœnitentiæ et contra lupum i. e. diabolum se opponet, et tunc anima confortabitur et cum carne pugnabit viriliter, et post hoc erit amor in omni prosperitate et adversitate et pariter ambo diligentur a domino, propter cujus dilectionem vitam æternam obtinebunt.

Cap. 134.

De innocenti morte Christi.

Seneca narrat, quod lex aliquando erat, quod quilibet miles in armis suis sepeliri deberet, et qui tantum defunctum armis spoliaret, morte moreretur. Accidit casus, quod quædam civitas obsessa erat a quodam rege tyranno, in circuitu civitatis insidias ponebat, et populum quasi sine numero occidit intantum, quod erat in periculo cives perdendi et multum timebant, quia resistere non poterant. Dum autem sic in periculo starent, quidam miles nobilis fortis et strenuus intravit civitatem et civibus multum compatiebatur; cives vero ad eum accesserunt dicentes: Domine, adjuva nos! At ille: Carissimi, isto periculo liberari non poteritis, nisi per manum validam; ego vero ut videtis in armis non sum, ideo non possum pugnare. Unus de civibus dixit: Domine, infra paucos dies in hoc sepulchro quidam miles sepultus est in optimis armis. Arma ejus accipe et civitatem nostram de inimicis libera! Miles inimicis certamen dedit et victoriam obtinuit, et sic civitatem liberavit et arma recepta reposuit. Aemuli invidia moti, quod tam gloriosum bellum fecit, eum apud judicem accusaverunt, quod contra legem egisset, eo quod defunctum armis spoliavit. Qui respondit: Domine, de duobus malis majus malum est vitandum, et quia civitatem tueri non potuissem ab inimicis, nisi habuissem arma, ideo ea recepi et reposui. Item fur vel prædo spoliat ea intentione, ut non restituat, sed ego propter bonum commune arma accepi et restitui; ideo potius deberem præmiari quam accusari. Item in civitate aliqua si domus accenditur, nonne melius est, ut domus illa sine dilatione totaliter destruatur, antequam ceteræ domus incendantur et civitas tota destruatur? Sic in proposito, nonne melius est, quod omnes vos conservavi accipiendo arma, quam non accipiendo? Si enim non eo accepissem, omnes essetis interempti. Aemuli vero dixerunt: Reus est mortis. Judex vero ad petitionem eorum contra eum sententiam dedit, ut occideretur, et sic factum est, de cujus morte factus est planctus magnus in civitate.

Moralisatio. Carissimi, civitas ista obsessa erat mundus iste a diabolo a magno tempore, et quotquot tunc in mundo erant fuerunt in periculo perdendi, quia omnes in infernum descenderunt; mundus iste erat circumvallatus vitiis et concupiscentiis; miles fortis, qui arma non habuit, est dominus noster Jesus Christus, unde Psalm.: Dominus fortis et potens etc. Qui videns mundum in periculo et totum genus humanum in perditione, perrexit ad sepulcrum i. e.

uterum beatæ virginis, et ibi invenit arma primi parentis i. e. humanitatem assumpsit et contra diabolum pugnavit, victoriam obtinuit, et nos a morte liberavit. Aemuli sunt Judæi; hoc videntes illum apud Pilatum accusabant, dicêntes: Ne forte veniant Romani et tollant nostrum locum et gentem etc. Miles dicebat: Melius est, ut una domus destruatur, quam tota civitas. E contra Caiphas dicebat: Expedit, ut unus moriatur et non tota gens. Ideo Pilatus eum morti tradidit, de cujus morte petræ scissæ sunt et tenebræ factæ sunt super universam terram, sed facta victoria iterato in sepulcro hæc arma reposuit i. e. corpus suum gloriosum in terra quievit. Studeamus ergo ejus mortem plangere in mente, in corde retinere et ad memoriam reducere, quia viriliter pro nobis pugnavit et nos a faucibus diaboli liberavit, unde propter hoc tenemur eum super omnia diligere et pro ejus amore patrem et matrem dimittere. Quis unquam audivit, quod homo habens unicum filium et heredem, qui eum mori permittere vellet, sicut pater cœlestis fecerat de unico filio suo domino nostro Jesu Christo et tamen mortuus est. Sic et nos debemus voluntarie carmis delectationes et omne quod deo displicet per pœnitentiam mortificare, et sic vitam æternam poterimus obtinere.

Cap. 135.

De conscientia nostra dum angustiatur ad deum per confessionem et opera meritoria recurramus.

Refert Augustinus de civitate dei, quod Lucretia erat mulier romana nobilissima moribus, quæ erat uxor Calatini. Cum ille Calatinus Sextum nomine filium imperatoris Tarquinii ad castrum suum invitasset, Sextus est statim captus in amore pulcherrimæ Lucretiæ. Tempus aptum, quo imperator et Calatinus de Roma simul recederent, observans, ad prædictum castrum reversus ibi pernoctavit et nocte illa non ut hospes sed ut hostis cubiculum Lucretiæ clam ingressus, manu sinestra opprimens pectus ejus, dextra vero gladium tenens se prodidit dicens: Sextus sum, mihi consentias vel morieris. Illa vero nullo modo consentire volebat dixitque Sextus: Nisi mihi consentias servum jugulatum nudum corpori tuo nudo etiam te jugulato tibi sociabo, ut per orbem fama currat, Lucretiam cum servo in cubiculo jugulatam. Illa vero timens de tali infamia coacta concessit. Sextus vero completa libidine recessit; ipsa vero multum dolens patrem et maritum, fratres et imperatorem, nepotes et proconsules vocavit per literas, quos omnes præsentes sic alloquitur dicens: Sextus domum

meam intravit hostis pro hospite. Scias tu, o Calatine, vestimenta viri alieni in lecto tuo fuisse. Veruntamen licet corpus sit violatum, animus tamen est innocens. Jam a culpa me absolve, a pœna tamen non liberabor. Statim cum gladio occultato sub chlamide propria manu se transfixit. Quo facto amici ejus gladio illo accepto jurabant per sanguinem Lucretiæ omnem progeniem Tarquinii de Roma ejicere et exstirpare, quod et fecerunt, Sextum vero auctorem criminis interfecerunt miserabiliter.

Moralisatio. Carissimi! Lucretia nobilis domina est anima a deo per baptismum lota et deo conjuncta. Sextus est diabolus, qui nititur minis et muneribus animam violare. Domum ejus intravit, quando peccato consentit, scilicet cor suum, quod est domus animæ, pectus ejus opprimit, quando homo totaliter consentit, et eam violat, quando manum per consensum actu complet. Post hoc Lucretia scilicet anima dolens vocat patrem et maritum; sic et tu, carissime, debes vocare patrem i. e. confessorem, maritum i. e. Christum per opera misericordiæ et amicos i. e. sanctos cum bona devotione et ostende vitam tuam per veram contritionem et confessionem, quid et quantum contra deum deliquisti, et tunc gladio pœnitentiæ te ipsum occide i. e. vitia et peccata exstirpa et sic corpus deferatur Romam i. e. in sanctam ecclesiam ad ostendendum, in qua forma publice vel occulte deum offendisti. Tunc diabolus et omnes sui sequaces erunt expulsi et recedent confusi et tu remanebis salvus in bona vita. Quod etc.

Cap. 136.

Quod vigilare debet pastor animarum.

Quidam fur ad domum cujusdam divitis nocte venit, qui ascendens tectum domus per foramen auscultare cœpit, si adhuc aliquis de familia divitis vigilaret. Quod hospes considerans private uxori suæ dixit: Interroga me alta voce, qualiter hæc bona acquisivi, quæ habemus, nec desistas donec finaliter tibi dicam. Tunc ait mulier: O bone domine, cum nunquam fuisti mercator, dic mihi qualiter tantam pecuniam, quam nunc possides, congregasti? Cui ille: Nolis tulta a me hoc quærere. Illa autem magis ac magis quærere non cessabat. Tunc vir quasi coactus suis precibus ait: Noli me prodere, quæ tibi dico, et veritatem pandam! At illa: Absit hoc a me! At ille: Fur eram et nocturnis furtis omnia quæ nunc habeo congregavi. Cui ait mulier: Miror ego quod nunquam fuisti deprehensus. Cui ille: Qui magister meus erat, quoddam verbum me docuit, quod septies dicebam, quando

tecta hominum ascendebam. Ait mulier: Rogo te, dic mihi illud verbum, cujus virtute sine periculo furtum commisisti. At ille: Tibi dicam, sed alteri nullo modo dicas, ne forte possent bona nostra asportare. At illa: Nullo modo attentabo. Qui ait: Hæc sunt verba: Fallax, fallax. His dictis mulier obdormivit, vir autem finxit se dormire, sternutabat. Fur cum audisset, gavisus est, sumpto lunæ radio et septies dicto carmine laxatis manibus et pedibus per fenestram in domum cecidit, magnum sonitum fecit, fracto crure et brachio jacuit semivivus in terra. Hospes audito sono quæsivit, quasi nesciret qualiter cecidisset. At ille: Verba fallacia me deceperunt. Hospes eum recepit et summo mane in patibulo suspendi fecit.

Moralisatio. Carissimi, fur iste est diabolus, qui per malas cogitationes tectum cordis tui ascendit et foramen facit per malum consensum. Vir cum uxore est bonus prælatus ecclesiæ desponsatus, quem diabolus toto conamine nititur per peccatum bona sua furari scilicet virtutes quas in baptismo recepit auferre; sed bonus prælatus debet continue vigilare, ut non sinat furem animæ domum perforare, juxta illud verbum salvatoris: Vigilate, quia nescitis, qua hora fur venturus est. Et contra ejus malitias intra se et uxorem scilicet ecclesiam provide, quomodo diabolo sit resistendum, ut cadat a corde ejus et nullo modo ei noceat. Vel alio modo potest reduci. Fur iste erat Lucifer pulcher, qui toto conamine ascendere volebat, ut alter deus esset et auferre ab eo ejus dignitatem, cum dicebat Jesai.: Ascendam in cœlum et ero similis altissimo. Et etiam in Genesi: Ponam sedem meam in aquilonem et similis ero altissimo. Quod postea ascendit per radium hoc est per suam pulchritudinem cecidit in infernum, et fregit crura sua, i. e. amisit suum decorem, quem deus sibi contulit, et suspensus est in patibulo infernali, a quo etc.

Cap. 137.

De naturali benignitate Christi et misericordia, quibus naturaliter peccatoribus convertentibus miseretur, et quod Christus recipit, quos mundus ejicit.

Eusebius narrat in chronicis de quodam imperatore, qui populum romanum in maxima æquitate gubernabat, nulli parcens, sed quod æquali culpæ æqualem pœnam tribuens tam divitibus quam pauperibus. Senatores romani eum propter hæc imperio privaverunt, et tanquam pauperem fugere compulserunt. Ille statim accessit ad Constantinum et cum eo pactum fecit, et tam strenue et prudenter se

habuit, sic quod post eum in imperatorem est electus. Qui congregato exercitu Romam obsedit, et cum Romani evadere non possent, quin ab eo caperentur, miserunt primo ad eum seniores, secundo juvenes, tertio mulieres, quæ nudis pedibus ante eum se prostraverunt, postulantes veniam, quam obtinere non poterant. Ultimo miserunt sibi parentes suos simplices, quos habuit in civitate. Mater ejus pectus et ubera ei ostendit, quæ suxerat. Quod cum vidisset imperator amore naturali compatiens totam offensam dimisit, civitatem intravit et honorifice susceptus est.

Moralisatio. Carissimi, imperator iste est Christus, qui per peccatum de civitate sua i. e. de corde hominis expellitur ac de mundo isto, quando Judæi eum morti tradiderunt. Ille vero sic expulsus ad patrem perrexit, ubi est electus in perpetuum imperatorem et judicem nostrum in die judicii, quod omne judicium dedit pater filio Joh. VIII. Ergo nobis valde timendum est, quomodo in die judicii debeamus ei occurrere, quando veniet cum magno exercitu angelorum. Quid ergo faciemus? Certe permittamus primo seniores i. e. alte clamemus ad patriarchas et prophetas, ut pro nobis implorent nudis pedibus i. e. cum affectione, item secundo juvenes i. e. apostolos, martyres et confessores novi testamenti per opera misericordiæ imploremus, item mulieres scilicet sanctas virgines et viduas et principaliter rogemus matrem dei virginem gloriosam et ipsa nobis obtinebit vitam æternam, quam etc.

Cap. 138.

De illis, quos austeritate vincere non possumus, benignitate superemus.

Erat quidam rex nomine Medio, qui unicum filium habebat heredem. Filius dimisit patrem, propter hoc pater eum fugavit. Facto hoc filius fugit ad regem Persarum inimicum et æmulum patris sui et narravit ei quomodo cum eo se teneret, usque ad mortem omni tempore paratus si necesse esset contra patrem suum proprium bellare. Tandem ortum est bellum inter dictos reges, qui simul pugnaverunt. Accidit quod Medio rex graviter vulneraretur usque ad sanguinis effusionem. Quod filius ejus considerans statim cucurrit ad patrem et pugnavit pro eo contra dominum suum scilicet regem Persarum et vicit eum. Quo facto dominus suus eum dimisit eo, quod non tenuit pactum, et ipse rediit ad patrem et veniam humiliter petivit et obtinuit et sic pax reformata et ei hereditas est restituta.

Moralisatio. Carissimi, isti duo reges sunt deus et diabolus. De

primo Jer. IV: Dominus ipse est deus vivens et rex sempiternus. De secundo Job. XLV: Ipse est rex super etc. Sed primus rex scilicet deus habet filium scilicet animam humanam, quæ totiens recedit a deo et obligat se diabolo quotiens committit peccatum mortale. Sed certe si filius ille voluerit recordari illius belli, quod Christus fecit pro eo contra diabolum usque ad sanguinis effusionem, ut eum a potestate diaboli eripiet et sic cogitans voluerit se deo humiliare et pro peccatis veniam petere poterit secure ad deum accedere et hereditatem vitæ æternæ acquirere. Psalm.: Tu es, qui restitues hereditatem meam mihi etc.

Cap. 139.

De vulneribus animæ.

Alexander magnus regnavit, qui dominium totius mundi obtinuit. Accidit semel quod grandem exercitum collegit et quandam civitatem circumdedit, qui in eodem loco plures milites et alios sine omni vulnere amisit. Cum vero de hoc multum miraretur, philosophos vocavit et ait eis: O magistri, quomodo poterat hoc esse, quod subito sine vulnere milites mei moriuntur? At illi dixerunt: Mirum non est; est enim quidam basiliscus super murum civitatis, cujus adspectu milites inficiuntur et moriuntur. Ait Alexander: Quale remedium est contra basiliscum? Cui dixerunt: Ponatur speculum elevatum inter exercitum et murum, ubi est basiliscus, et cum in speculum respexerit, reflexus ejus et intuitus ad se ipsum redit et sic morietur. Et sic factum est.

Moralisatio. Carissimi, in hunc modum summum remedium elationis est consideratio propriæ fragilitatis et infirmitatis. Quare si quæritur, quare homo superbit, certe quia pondere virtutis caret. Considerare ergo debemus propriam vanitatem tanquam in speculo et recurrere ad propriam fragilitatem, defectum suum prospiciens elationem repellendo.

Cap. 140.

De justitia et æquitate in vita præsenti et futura semper inveniendis.

Eraclitus regnavit, qui inter omnes virtutes, quas habuit, justus fuit, nec precibus, nec muneribus flecti poterat, quin justitiam pro loco et tempore exerceret. Accidit semel, quod aliqui apud eum

accusabant quendam militem de morte alterius militis in ista forma: ambo ad quoddam bellum perrexerunt et nullum bellum erat commissum; iste miles rediit sine altero et ideo dicimus, quod iste in via alium occidit. Judex cum hoc audisset, sententiam dedit, ut miles ad supplicium duceretur. Dum autem ductus fuisset, viderunt alium militem venientem, pro quo ille judicatus fuit ad mortem, in nullo læsum, ambos ad judicem reduxerunt. Iratus judex dixit: Primo militi jubeo te interfici, quia damnatus es. Et secundo dixit: Et te similiter, quia causa mortis illius es. Et tertio dixit: Etiam te, qui missus fuisti militem occidere et non fecisti.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est deus, qui in omnibus operibus suis est justus. Duo milites sunt corpus et anima; anima per carnem seducta moritur, quando peccatum mortale committitur; ideo justo dei judicio corpus ad supplicia pœnitentiæ ducitur; sed cum subjicitur pœnitentiæ, anima viva invenitur primo per Christi passiorem, secundo per pœnitentiam; sed ambo morte temporali mori debent. Tertius miles, qui eum non occidit, est negligens prælatus, qui ex divino præcepto habet peccatorem corripere, vitia exstirpare, virtutes inserere; et si illa non fecit, mortem æternam non evadit, Ezech. III: Si non annuntiaveris ei neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia et vivat, et ipse impius moreretur in iniquitate sua, sanguinem de manu tua requiram.

Cap. 141.

De sano consilio semper audiendo et contrario abjiciendo.

Fulgentius regnavit, in cujus imperio erat quidam miles nomine Zedecias, qui uxorem pulchram accepit, sed non prudentem. In cujus domo quidam serpens in quadam camera habitabat, miles vero torneamenta et hastiludia frequentavit intantum, quod pervenit ad magnam egestatem, flevit amare et quasi desperatus hincinde ambulabat ignorans, quid agere deberet. Serpens videns ejus dolorem data est ei vox a deo sicut quondam asinæ Bileam et ait: Cur fles? Fac secundum consilium meum et post factum non pœnitebis! Singulis diebus lac mihi dulce ministra et te ditabo! Miles hoc audiens gavisus est valde hoc fideliter adimplere promisit. Statim infra breve tempus ditatus est valde, prolem pulchram et magnas divitias habebat. Accidit una dierum, quod uxor diceret marito: Domine, credo, quod ille serpens multa bona possidet in camera, in qua jacet. Consulo, ut occidatur, et bona ejus obtinebimus. Ille vero ad instructionem

mulieris malleum portavit, ut serpentem occideret, cum vase lactis. Cum vero serpens vas lactis videbat, caput extra foramen cameræ extendit, ut lac more consulto lamberet; miles vero hoc videns malleum extendit et serpentem percutere volebat. Serpens hoc subito videbat et caput retraxit, et ictum mallei vas suscepit, statimque prolem post hoc et omnia, quæ habuit, miles amisit. Ait ei uxor; Heu malum consilium dedi tibi, sed perge ad foramen serpentis et te in omnibus humilia, si forte gratiam per eum obtineas! Perrexit miles ad cameram serpentis et flevit amare petens gratiam, ut per eum sicut prius ditari possit. Ait serpens: Modo video, quod stultus es, et tu in stultitia permanebis, quia non potest esse, quin ille ictus magnus mallei ad memoriam sæpius mihi veniat et occurrit, quomodo prolem tuam occidi et omnes divitias abstuli, et sic nulla pax vera inter nos stare potest. Miles vero contristatus est valde et ait: Tibi fideliter promitto, amodo contra te nihil velle perpetrare, si gratiam tuam habere possum modo. Cui serpens: Carissime, natura serpentis est astutia et veneno plena; sufficiant tibi verba mea, quia jam mihi occurrit ad memoriam ictus mallei cum tua nequitia. Recede, ne tibi majus malum contingat! Miles vero cum magno dolore recessit ab eo, et ait uxori suæ: Væ mihi, quod tuum consilium operatus sum! Et sic semper post hoc in egestate vixerunt.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est pater cœlestis; miles Zedecias pauper homo nudus de utero matris suæ egressus, qui omnes divitias paradisi per peccatum primi parentis perdidit, cum pulchram uxorem Evam accepit, de cujus consilio gaudium paradisi perdidit. Serpens nutritus in camera est Christus in corde tuo per virtutem baptismi contentus, a quo homo omnia bona recepit, primo filium i. e. animam pulchram ad similitudinem dei creatam, secundo hominem constituit dominum mundi, Psalm.: Constituisti eum super omnia opera manuum tuarum. Tertio paradisum. Sed cum pater noster Adam deceptus consilio Evæ per suggestionem diaboli, omnia perdidit, et sic quilibet homo si sequitur consilium uxoris i. e. carnis, amittet omnia. Apostolus: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. In baptismo promisisti Christo ministrare lac, scilicet orationis, innocentiæ et devotionis. Sed graviter Christum percutis, quando peccatum mortale committis. Hæc videns, aufert a te filios et filias et divitias, ut te emendes sicut scriptum est: Quem diligo arguo et castigo. Ergo de virga disciplinæ plus debemus gaudere quam dolere.

Cap. 142.

De diaboli laqueis, quibus nos circumvenire satagit.

Erat quidam rex potens valde, qui quandam forestam construxit et eam muro circumvallavit, in qua diversa genera animalium posuit, in quibus multum delectabatur. Erat eodem tempore quidam, qui proditor inventus est, et sic propter sua scelera omnibus suis privatus est; ille vero de terra sua expulsus est, et providit sibi de quatuor generibus canum et multis retibus, ut bestias regis in foresta caperet et destrueret. Nomina canum hæc erant: Richer, Emuleym, Hanegiff, Bandyn, Crismel, Egofyn, Beamis et Reuelin. Per istos canes et retia destruxit hic omnia animalia regis. Audiens hoc rex contristatus est valde, vocavit filium suum et ait: Fili carissime, arma te et descende cum exercitu, ut illum proditorem occidas vel de regno expellas. At ille: Pater, præsto sum, sed ut audivi a pluribus, tam potens est ille, quod me oportebit latere ad aliquod tempus cum una puella, cujus sapientia omnes alios excellit, cum qua colloquium habebo, et sic ad pugnam me parabo. Ait pater: Vade ad castrum Varioch et invenies in eo puellam, quæ secundum audita prudens est, et si per eam nostrum adversarium poteris debellare, eam multis honoribus promovebo. Filius hoc audiens armavit se et castrum puellæ intravit nullo sciente, quæ eum cum gaudio recepit et apud eam per aliquod tempus mansit; deinde extra castrum recessit et statim die octavo adversarium patris aggrediebatur potentia, in fine eum diminuit et caput ejus amputavit. Post hoc cum victoria ad patrem rediens, pater eum in regem constituit.

Moralisatio. Carissimi, pater iste est dominus deus; foresta mundus sive ecclesia; mundus erat circumvallatus divinis præceptis secundum legem Mosi; ecclesia circumvallata est passione Christi et misericordia doctoribus, prædicatoribus et confessoribus; miles proditor, qui erat expulsus, est diabolus de regno ejectus, qui ecclesiam et alios christianos machinatur omni hora destruere, unde providet sibi de canibus et retibus, quia sicut venatores simplici vita insidiantur bestiis, ut quando exeunt de cavernis, in quibus latebant, habent retia, cum quibus capiunt eas. Cum enim homines exeunt de cavernis bonæ vitæ, tunc habent retia i. e. carnis et mundi delectationes et illas ponunt ante eos et capiunt ipsos. Psalm.: Cadent in retiaculo ejus peccatores. Unde advertite, quod venator ille diabolus habet quatuor genera canum currentium; aliqui eorum sunt pro bestiis spiritualibus, et alii pro aliis. Duo primi canes scilicet Richer et Emuleym currunt ad cervos et ursos i. e. divitias et voluptates, per quas plures tracti

sunt ad malefaciendum, quia divitiæ sæpe ponunt hominem extra viam rationis et propter magnas divitias volunt habere potentias et voluntatem propriam. Ideo sapienter utamur nostra potentia loco justitiæ, sit fortitudo nostra lex justitiæ hoc est dictu totum sit jus, quod nos volumus et possumus facere. Unde isti duo canes scilicet divitiæ et voluptates vel potentiæ currunt simul et multos post se trahunt et ad peccatum alliciunt; ideo scriptura dicit: Venator multum gaudet, quando vidit cervum viam capere versus rete; sic diabolus quando vidit hominem viam capere versus peccatum mortale et per consequens in infernum. Deinde venator i. e. diabolus permittit alium canem currere, scilicet Hanegiff i. e. accipite et donate. Isti duo canes currunt ad abbates priores et pastores, qui habent ecclesias conferre; isti dant, ut accipiant, quia, quod probis hominibus et bonis clericis dare deberent, hoc dant fatuis et discolis propter favorem et laudem, quod est contra scripturam, ubi dicitur: Da bonis et ne receperis peccatorem. Unde Hanegiff i. e. accipite et date ducit multos ad rete i. e. infernum, unde alter canis Bandyn ducit placitatores et advocatos ad rete, quia per cautelas eorum faciunt contra justitiam, unde dicit Job: Audacter deum provocant, quia si pars vera eis nihil vult dare, accipiunt de parte falsa bursam plenam, ita quod illa trahat ad se decreta et decretalia et facit discordiam contra veritatem, unde dicitur in Habacuk: Lacerata est lex, propterea egreditur judicium perversum. Unde contra tales ait Psalm.: Labor labiorum operiet eos i. e. in profundum inferni deprimet eos, in miseriis non subsistent. Deinde Crismel alter canis mittitur circa lepores, qui tam veloces sunt, quod montes transeunt i. e. ordinatos in ecclesia, sicut sunt presbyteri, rectores, capellani, monachi et fratres mendicantes, qui deberent per rationem transire ad montes altæ vitæ, scilicet de terrenis exonerari et mundum despicere. Sed plures sunt tantum tentati per canem istum, quod ducit eos pro voluntate sua ad rete diaboli, aut eo quod confidunt in rebus, in quibus decipiuntur, cum rector ecclesiæ vel plebanus de ducentis vel trecentis marcis collegit duos discos de residuo mensæ suæ, quos pauperibus deberent dare; sed videtur eis, quod multa fecerunt pro dei amore, ergo pessime exponunt illam totam pecuniam, quia pro mundi vanitatibus et pompa sæculi et quod pejus est in luxuria et gulositate, unde contra tales scriptum est: Duces cæci extollentes silicem. Aliqui sacerdotes et clerici tantum confidunt in privilegiis eorum ac in corona sua et reverentia, quam populus eis facit; quod si unam missam de die cantant, totum residuum diei, quod eis in vanitatibus licite concedatur æstimant. Contra tales dicit Salamon: Sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant.

Et tales cadent in confusionem extremam, nisi pœnituerint. Deinde alter canis est solutus, qui vocatur Belyn, qui versatur in usura i. e. ad mercatores, propter quam plures cadunt in rete diaboli, quia vendunt et emunt, ut tertiam partem lucrentur vel plus, dicit Psalm.: Non deficit de plateis eorum usura et dolus, ergo veniat mors super illos et descendant in infernum viventes. Deinde alter canis, qui vocatur Beamys i. e. luxuria, per quam multi clerici et laici, divites et pauperes, parvi et magni, juvenes et senes in rete diaboli sunt. Videns ergo deus totum genus humanum per retia diaboli destrui et captum teneri misit filium suum in castrum puellæ duplici armatura armatum, scilicet divinitate et humanitate, et postquam natus est die octava diabolum aggreditur, scilicet quando erat circumcisus, et postea dedit bellum, scilicet in parasceve, et obtinuit victoriam, utsic nos a vitiis et retibus diaboli liberaret, et ad vitam æternam perduceret.

Cap. 143.

De timore extremi judicii.

Quidam rex erat, qui statuit pro lege, quod quicunque subito mori deberet, mane ante ortum solis ante domum ejus tubas canerent, et statim talis vestibus nigris se indueret et sic ad judicium veniret. Ille rex magnum convivium fecit et omnes nobiles satrapas regni vocari fecit, qui omnes venerunt. In quo convivio erant periti de omni genere musicali, qui magnum solatium convivis fecerunt ex suavi melodia, rex vero nullum solatium nec signum lætitiæ ostendit, sed vultum tristem habuit et suspiria et gemitus emittebat. Hæc videntes convivæ mirati sunt et non fuerunt ausi petere ab eo causam tristitiæ, sed dixerunt fratri regis, ut causam tantæ tristitiæ indagaret, qui et fecit dicens sibi, quod omnes in convivio mirarentur de tanta tristitia et causam libenter scirent. Ait rex: Vade ad domum tuam! Die crastina responsum audies. Quod et factum est. Rex præcepit bucinatoribus, ut sequenti mane venirent ante domum fratris sui et tubis canerent et ipsum ad eum ducerent secundum legem, quod et fecerunt. Audiens frater regis de mane tubas ante domum suam commota sunt omnia viscera ejus et surrexit, vestibus nigris se induit, veniens ad regem, qui fecit fieri foveam profundam et ultra foveam cathedram fragilem, quæ quatuor pedes fragiles habuit et fecit fratrem suum exui vestibus et super cathedram poni. Cum autem in cathedra esset collocatus, ordinavit, ut gladius acutus ultra caput suum per filum sericum penderet; deinde ordinavit quatuor homines

cum quotuor gladiis acutissimis, unum a parte anteriori, alium a parte posteriori, tertium a parte dextra et quartum a parte sinistra. Cum autem sic starent, ait rex illis quatuor: Cum dixero, sub pœna mortis in eum infigite! Et tubas omniaque genera musicalia fecit adduci coram fratre et mensam parari et diversa fercula apponi et ait: O frater mi carissime, quare tantum doles et tantam tristitiam in corde habes? Ecce optima fercula, ecce melodia suavissima! Quare non gaudes et lætaris? At ille: Quomodo potero gaudere, cum in signum mortis hodie mane sonitum tubæ ante domum meam audivi et modo in corruptibili et fragili cathedra sum collocatus? Si indiscrete me moveam, ipsa frangitur et in puteum cado, de quo resurgere non potero; si caput meum erigo, gladius ultra caput meum usque ad cerebrum me interficiet; quatuor tortores in circuitu meo stant parati cum gladiis ad unicum verbum vestrum me occidere; istis consideratis, si dominus totius mundi essem, gaudere non possem. Cui rex ait: Jam ad quæstionem hesternam quare non gauderem respondeo. Ego sum sicut tu modo collocatus in cathedra corruptibili et fragili, quia in corpore fragili cum quatuor pedibus corruptibilibus, scilicet de quatuor elementis, et sub me est puteus infernalis; ultra caput meum gladius acutus scilicet divinum judicium paratum animam meam a corpore separare; ante me gladius acutus scilicet mors, quæ nulli parcet, et antequam speratur veniet, quomodo, ubi, quando, penitus ignoro; a parte posteriori alius gladius paratus est ad percutiendum, scilicet peccata mea, quæ in hoc seculo commisi, parata sunt ante tribunal me accusare; gladius a parte dextra est diabolus, qui circuit quærens quem devoret et semper est paratus animam meam recipere et ad infernum deducere; gladius a parte sinistra sunt vermes, quæ carnem meam post mortem corrodent; cum omnia ista considero, nunquam gaudere potero; si ergo tu tantum hodie me timuisti, qui sum mortalis, multo plus creatorem meum debeo timere. Vade ergo et noli amplius tales quæstiones quærere a me! Ille vero surrexit et gratias de vita sua regi reddidit, promittens firmiter ammodo corrigere. Hoc audientes laudabant responsum regis.

Cap. 144.

De statu mundi actuali.

Fertur de quodam rege, cujus regnum in tam subitam devenit mutationem, quod bonum in malum, verum in falsum, forte in debile, justum in injustum est mutatum. Quam mutationem rex admirans a

quatuor philosophis sapientissimis causam hujus quæsivit. Qui inquam philosophi post sanam deliberationem ad quatuor portas civitatis pergentes, quilibet eorum tres causas ibidem scripsit. Primus scripsit: Potentia est justitia, ideo terra sine lege; dies est nox, ideo terra sine via; fuga est in pugna, ideo regnum sine honore. Secundus scripsit: Unus est duo, ideo regnum sine veritate; amicus est inimicus, ideo regnum sine fidelitate; malum est bonum, ideo terra sine pietate. Tertius scripsit: Ratio habet licentiam, ideo regnum sine nomine; fur est propositus, ideo regnum sine pecuniis; corabola vult esse aquila, ideo nulla discretio in patria. Quartus scripsit: Voluntas est consiliarius, ideo terra male regitur; denarius dat sententiam, ideo terra male regitur; deus est mortuus, ideo totum regnum peccatoribus est repletum.

Moralisatio. Carissimi, quandoque terra solebat regi per justitiam secundum leges divinas et imperiales, nunc autem regitur per potentiam. Nota moraliter, et verum est, quia olim justitia dictavit, quod deus esset diligendus super omnia etc. Sed potentia in regno animæ vicit intantum, quod homo ex certa malitia contra inclinationem propriæ voluntatis, quæ naturaliter magis inclinatur ad bonum, quam ad malum, hoc facit. Secundum etiam verum est, quod olim clerici laicis per bonum exemplum ad æternam patriam viam præbuerunt, sed mutatus est color optimus, quia omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum. Patet de papa, qui olim beneficia dedit clericis dignis propter deum, spernendo munera, sicut Petrus respondit Simoni mago: Pecunia sit tecum in perditione! Hoc idem patet in religiosis, qui olim per bonam vitam viam ad æternam patriam per paupertatem ostendebant, quia attendebant ad illud, quod monachus habens obolum non valet obolum. Hoc idem patet in clericis, quia ut dicit Jerem.: Quidquid præter simplex vestimentum de altari retines, tu sacerdos, tuum non est, sed pauperum rapina est, sacrilegium est; isti enim omnes tam monachi quam canonici tam moniales quam clerici noctem verterunt in diem, et ideo arta est via, quæ ducit ad patriam, et pauci quia carent lumine incedunt per eam. Tertium primi: Fuga est in pugna probatur literariter, nam olim domini, si unus habuit aliquid adversus alium, solebant pugnare, sed modo honor recessit, quia nolunt pugnare, sed quotidie per rapinam et furtum et talia unus intrat terram alterius, nolunt pugnare, quia emunt equos velocissimos ad fugiendum. Spiritualiter verum est, quod olim homines tentationes vincebant et adversarios scilicet carnem mundum et diabolum superabant, et sic apud deum fuerunt magni meriti et honorem ex hoc reportabant;

etiam, quod isti villani rustici et alii pauperes modicum habent, vivites abundant. Quæ est ratio, nisi quod fures existunt? si unus alteri quinque marcas vel tot florenos acciperet, dicaretur? Sed isti quantum recipiunt de capitali summa, fessoribus, et ideo veri fures non suspenduntur, teste vidit, quod judex duxit furem ad patibulum philo- judice quærente, quare videret, respondit, quod parvum furem. Spiritualiter verum est de illis, tatione deo animas, quas suo sanguine acquisivit, iciunt. Tertium corabola; vulgariter der weuel are, aquila. Ideo non est discretio, nam illi, odie volunt dominari, nam postquam habent ium et equum, ipsi equitare volunt et vo- istiane et sic de aliis. Verum est de istis fuerunt pellifices et sutores etc. ipsi lica differentia est hodie in mundo. vis de mulieribus. Spiritualiter verum est monachis et clericis. Nota quomodo hodie vadunt philosophus dixit: Voluntas est ratio, ideo regnum male ur. Quæ est ratio, quod terra male regitur? Certe nulla alia, nisi quod dominorum consilium est malum; nam olim consiliarii solebant dare consilia juxta æquitatem, nunc autem ea dant secundum voluntatem. Applica sicut vis et scis, quare hoc faciunt. Spiritualiter etiam verum est; quidquid ratio dictat pro æterna salute, voluntas vult oppositum. Secundum: Denarius dat sententiam etc. Quæ est ratio, quod sic venditur justitia? Quia modo nulla alia justitia est, quam denarius. quia, si veneris ad judicium, et si habueris dare pecuniam et causam minus justam habueris, judex pro te sententiabit, non te videt, si reus fueris, quia munera judicum oculos excæcant. Spiritualiter etiam verum est in judicio confessionis; quia si volueris de magnis peccatis impetrare veniam faciliter et judicem confessorem placere, pecuniam ostendas, et licet non habuerit auctoritatem, te absolvet, pœnitentiam imponet. Nota etiam literaliter de istis officialibus et curia romana, quæ non petit ovem sine lana. Tertium: Deus est mortuus etc. Certe si deus adhuc viveret, sicut ante incarnationem, quando propter peccatum luxuriæ totum mundum submersit octo animabus exceptis. Nota, quomodo homines tunc se solebant retrahere a peccatis, saltem timore, si non amore eo, quod sciebant deum omnia vindicare! Sed nunc quasi mortuus a nobis reputatur, nec de futuro judicio, vel de inferno, vel æterna pœna, vel æterno regno cogitamus etc. Ecce audivistis duodecim rationes, quare totus mundus est in maligno positus.

Quiescite ergo, carisssimi, agere perverse! Discite bona facere! Jesai. Auscultate, ut cognoscatis veritatem, et veritas liberabit vos.

Cap. 145.

De via salutis, quam dominus deus per filium suum aperuit.

Albertus narrat, quod tempore Philippi erat quædam via, quæ ducit inter duos montes Armeniæ, quæ diu non erant frequentata; postea autem accidit, nullum posse transire viam propter aeris infectionem, nisi exspiraret. Unde rex causam a sapientibus tanti mali quærebat et nullus ex eis ei veritatem dicere poterat. Tandem vocatus Socrates dixit regi, quod ædificium ædificaret æqualis altitudinis cum montibus. Quo facto fecit Socrates fieri speculum de calibe planæ superficiei politum et mundum, ut ab omni loco montium foret aspectus et reflectio ad speculum. Quo facto intravit Socrates ædificium, et vidit duos dracones, unum ex parte montis, alium ex parte vallis, qui contra se ora mutuo aperiebant et aerem hauserunt, et dum sic respiceret, quidam juvenis in equo, qui periculum ignorabat, volens transire per viam illam, subito de equo cecidit et mortuus est. Socrates statim ad regem cucurrit et omnia visa ei narravit; postea vero per artem capti sunt dracones et interfecti, et sic via salutis omnibus transeuntibus facta est.

Moralisatio. Carissimi, per illos montes, qui elevabantur super omnem superficiem terræ, nobiles ac mundi potentes intelligo, qui ultra communitatem populi elevantur vel partem laicalem sive clericalem, unde Psalm.: Ascenderunt montes etc. Inter istos montes est communis transitus populi, quia totus per eos regitur. In istis montibus solent latere duo dracones i. e. duo vitia, scilicet superbiæ et luxuriæ, quorum veneno totus mundus inficitur, juxta illud I Joh. III: Omne, quod est in mundo, aut est superbia aut luxuria etc. Istorum draconum vis est nobis ignota, et ideo, qui per viam illam communem, in qua dracones latent, transeunt, subito illorum veneno præventi moriuntur. Sed antequam periculum sentiamus, debemus oculos nostros ad speculum mundum et politum i. e. ad salvatorem, dirigere, de quo Sapien. VII: Candor lucis æternæ et speculum sine macula. Item debemus altum ædificium ædificare; hoc ædificium est vita munda per pœnitentiam et bonis virtutibus ornata, qua debemus nostra pericula prævidere; et quomodo juvenis i. e. homo vanitati deditus cadit de equo virtutis et moritur spiritualiter, hoc videns Socrates scilicet bonus prælatus debet currere ad regem gloriæ et eum de nocte pro

subdito orare, ut possit viam periculosam præcavere et viam salutis æternæ gloriæ eligere et sic vitam possidere æternam. Quod etc.

Cap. 146.

De principibus et magnatibus fortiter arguendis pro eorum forefactis.

Refert Augustinus de civitate dei, quod Diomedes pirata galea una longo tempore in mari homines spoliavit et cepit. Qui cum multis navibus jussu Alexandri fuisset quæsitus et tandem captus, et Alexandro præsentatus, eum interrogavit dicens: Quare mare habet te infestum? Ille statim respondit. Quare te orbis terrarum? Sed quia ego hoc ago una galea, latro vocor, tu vero mundum opprimens navium multitudine magna, diceris imperator; sed si circa me fortuna mansuesceret, fierem melior; e converso tu quanto fortunatior tanto deterior. Alexander respondit: Fortunam tibi mutabo, ne malitia tuæ fortunæ, sed meritis adscribatur. Sicque ditatus est per eum et de latrone factus est princeps et celator justitiæ.

Moralisatio. Carissimi, latro in mari cum una galea est peccator in mundo cum sola vita, et tamen non desistit occidere virtutes et spoliare per peccatum, quas recepit in baptismo. Sed Alexander i. e. princeps vel prælatus habet talem ad viam rectitudinis adducere per naves i. e. per monita sanctæ ecclesiæ. Sed caveat prælatus vel princeps, ut se ipsum prius judicet, ut non inventus fuerit pejor illo, quem arguere voluerit, quia si sic, gravius puniretur. Demum latro ille factus est celator justitiæ et per bonum decorem peccator ad optimum finem pervenit, et tunc est majus gaudium super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.

Cap. 147.

De peccati veneno, quod animam intoxicat.

De quodam rege narratur, quem inimici ejus occidere cogitabant, et quia potens erat, veneno eum perdere voluerunt. Venerunt aliqui eorum simplici veste induti ad civitatem, ubi manebat, et ibi erat fons aquæ, de quo rex multotiens bibebat; hunc fontem veneno undique intoxicaverunt; rex autem ignorabat et bibit, sicut solitus erat, et mortuus est.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est Adam primus homo, cui subjectæ erant omnes creaturæ corporales. Psalm.: Omnia subjecisti sub pedibus ejus etc. Illum regem quærebant dæmones interficere veneno, quod fuderunt in fontem, in quo deo placuit. Fons ille est cor humanum, quia sicut rivuli respectu fontis exeunt, ita cor hominis influit virtutem et regimen omnibus membris. Ad illum fontem infusum fuit venenum, quando primus parens per suggestionem concepit contra dei præceptum facere et ei assensum præbuit, et tunc de isto fonte mortem bibit, et post eum quasi infiniti homines mortui sunt, donec Christus veniret et nos liberaret de isto forte; ex hoc descendunt rivuli, quia ratione illius peccati semper habemus promptitudinem ad peccandum, juxta illud: Sensus et cogitationes hominis prona sunt ad peccandum ab adolescentia sua.

Cap. 148.

Quod peccatum hic vel alibi punietur.

Refert Aulus Gellius de Ammone, quod cum ditissimus esset et transire vellet de uno regno in aliud, conduxit navem; sed nautæ propter pecuniam eum occidere volebant; sed ipse ab eis impetravit, ut prius cantare posset ad honorem delphinis, qui in cantu hominis delectantur. Cum vero in mare projectus esset, delphin eum suscepit et in terram deportavit, et dum nautæ eum mortuum crederent, ipse in terra apud regem eos accusavit, qui coram rege positi vincti sunt et damnati.

Moralisatio. Carissimi, sic modo est, si est aliquis dives divitiis virtutum, qui per hujus seculi mare patienter proponit ad deum transire, venient filii diaboli et ab ea famam et bona temporolia tollunt et aliis molestiis vexant; sed certe ipse inter hæc cavere debet devotis orationibus a deo auxilium petendo, et sic portatur in terram, de qua Psalm.: Portio mea, domine, sit in terra viventium et inimici tradentur pœnis æternis.

Cap. 149.

De vera gloria, quam multa mala sequuntur.

Valerius narrat, quod quidam nobilis consilium sapientis quæsivit, quomodo posset nomen suam perpetuare? Respondit, quod si virum illustrem occideret, nomen suum perpetuatum esset. Quo audito

Philippum patrem Alexandri magni interfecit, ut nomen sibi acquireret; sed ille cito post miserabili morte exstinctus est.

Moralisatio. Carissimi, aliqui nobiles ac mundi potentes per mala opera sua acquirunt nomen mundanum, sed sine dubio per illud nomen quantum est in eis dominum deum occidunt; ideo tales mala morte morientur, cum in inferno sepeliuntur.

Cap. 150.

De rore cœlestis gratiæ.

Plinius narrat, quod sit quædam terra, in qua nec ros nec pluvia descendit, unde maxima est ibi siccitas et defectus aquæ, quia tantum est ibi unus fons, qui aquam in profundum habet; cum vero homines aquam volunt habere, accedunt ad fontem cum omni genere musicorum, quod habent et circumeunt fontem dulcem facientes melodiam, post melodiam aqua ascendit ad os fontis in abundantia, et sic homines aquam capiunt et recedunt.

Moralisatio. Carissimi, terra illa, quæ sicca est, mundus iste est, qui hominem siccum reddit ab oratione et devotione et subtrahit rorem cœlestis gratiæ. Fons iste est deus, unde Ecclesiast.: Fons sapientiæ in excelsis dei. Eamus ergo ad fontem illum cum instrumentis musicis i. e. devotis orationibus, ut nostra vox sit dulcis in aure dilecti et accedat ad nos aqua gratiæ suæ, quam nobis concedat etc.

Cap. 151.

De anima peccatrice per peccati lepram infecta, quomodo curatur.

Quidam rex in regno suo habuit duos milites; unus erat avarus et alter invidus. Avarus pulchram uxorem habuit, oculis omnium gratiosam, invidus vero uxorem valde turpem et omnibus odiosam, et quandam terram annexam militi avaro habuit, quam miles cupidus per omnia habere desiderabat. Sæpius ad eum accessit et multa ei obtulit, si terram suam ei vendere vellet; miles vero invidus respondit, se non velle vendere hereditatem suam, nec pro auro vel argento, attamen ex invidia cœpit cogitare, quomodo pulchritudinem uxoris militi avaro posset denigrare et dixit militi avaro: Si desideras terram meam habere, nihil pro pretio desidero, nisi quod uxor tua mecum sit una nocte. Qui ei annuit et uxori dixit, quæ repulsam



Moralisatio. Carissimi, rex iste est Adam pri[illegible] ille miles subjectæ erant omnes creaturæ corporales. Psalm[illegible]mmiscuit, hoc sub pedibus ejus etc. Illum regem quærebar[illegible] voluit; quo facto veneno, quod fuderunt in fontem, in quo d[illegible], quomodo invidiam cor humanum, quia sicut rivuli respectu fo[illegible]set et ipsa tam pulchra; influit virtutem et regimen omnibus mer[illegible]tis facta est et flens amare fuit venenum, quando primus parens [illegible]ctus dixit uxori suæ: Do tibi dei præceptum facere et ei asser[illegible]præ in te apparet, hic prope mortem bibit, et post [illegible] in qua est universitas, ad illam Christus veniret et nos [illegible]sis communis, et qui prius ad te acrivuli, quia ratione ill[illegible] et ab omni lepra curaberis. Quod factum ad peccandum, juxt[illegible]ratoris ad amandum eam fecitque eam venire sunt ad peccandum [illegible] ut ei consentiret. Quæ negavit dicens: Absit a [illegible] pauperculа sim concubina filii imperatoris! At ille magis [illegible] eam pulsavit, ut ei consentiret. Illa cogitat: Hic filius imperatoris si lepram incurreret, magnum damnum esset. Ei proposuit, quomodo incideret lepram, si eam cognosceret. At ille nolens desistere, eam cognovit et lepram incurrit. Altera die sentiens se liberatam, ad patriam perrexit, discens ei: Si vos contingat lepram incurrere, ad me declinate, et ego vobis inquantum possum de necessariis providebo. Post hoc non diu filius imperatoris leprosus factus est et tantum verecundabatur, quod nocte nullo sciente ad dominam ivit, ubi manebat; hoc domina percipiens dixit marito suo: Ille est, qui per me infectus est, et ego a lepra liberata sum. Qui videns eum turpiter infectum, flevit amare, cameram sibi ordinavit, in qua solitarius manebat, et domina ei personaliter ministrabat et in eodem loco VII annis manebat. Accidit, quod in VII anno erat calor intolerabilis et leprosus vas magnum cum vino pro refocillatione habebat. Quidam serpens in horto existens vas intravit et se balneavit et in profundum post lotionem jacuit; leprosus cito a somno expergefactus multum sitiebat, vas cum vino accipiens, ipso ignorante serpentem inbibit. Post hoc serpens omnia interiora ejus cœpit rodere tam graviter, quod leprosus gemitus et suspiria dabat. Domina ei maxime compatiebatur. Passio illa durabat per tres dies continue, quarto die vomitum fecit, et cum vomitu et veneno interiori serpentem projecit. Statim dolor cessabat; de die in diem paullatim species lepræ ab eo recessit, et post septem dies caro ejus ab omni lepra est curata, sicut caro pueri, de quo domina multum est gavisa, et vestimentis pretiosis ipsum induebat, dextrarium optimum ei dedit, et ad imperatorem perrexit, ubi cum honore est receptus, et post mortem patris regnavit et vitam in pace finivit.

Moralisatio. Carissimi, per istos duos milites cupidum et invidum 'um et primum hominem scilicet Adam debemus intelligere. s erat invidus et habuit turpem uxorem scilicet effigiem per ɔ deturpatam, quia splendida fuit creata et per peccatum urpis. Miles avarus scilicet Adam uxorem pulchram habuit ɔam ad similitudinem dei creatam, Genes. I. Vidensque ɔd homo erat sic formatus, ut locum ejus in cœlo occuei invidebat, et studuit, quomodo ejus uxorem scilicet are possit, Adam vero cupidus, qui non tantum erat dei beneficio, quod sibi dedit, scilicet de paradiso, sed ɹıter deus esse volebat, et ideo expulsus est extra terram ɹadisi, quam injuste petiit, vidensque diabolus, ad Evam accessit dicens: Si comederitis de ligno vitæ, eritis sicut dii scientes bonum et malum, Genes. III. Diabolus prius se miscuit cum leprosa scilicet iniquitate, et sic ad innocentem accessit, et mortaliter peccat, quando divinum præceptum violavit, et sic homo factus est leprosus spiritualiter loquendo, propter quod extra regnum paradisi erat expulsus in universitatem hujus mundi. Filius imperatoris scilicet filius dei videns hominem, quem formaverat in miseria, cum natura ejus se miscuit, quando de cœlis descendit et carnem nostram assumpsit, intantum quod nos ab omni lepra peccati per passionem suam liberavit, et ipse peccata nostra tulit, in corpore suo factus est turpis in passione. Jesaï. LVI: Vidimus eum non habentem speciem neque decorem. Et sequitur: Reputavimus eum quasi leprosum percussum a deo et humiliatum. Nos vero sic liberati per mortem Christi poterimus ad patriam cœlestem secure, si voluerimus, pervenire, sed Christus nos quotidie tentat, pulsat ad januam cordis nostri, sicut ipse testatur, Cantic.: Ego sto ad ostium et pulso; si quis aperuerit mihi, cœnabo cum eo. Sed diligenter est advertendum, quod ostium cordis nostri debemus ei aperire per septem opera misericordiæ, et eum cum omni gaudio recipere, et in speciali camera extra homines eum ponere, ut nobiscum semper maneat, et sicut iste leprosus sitivit in cruce, cum dixit: Sitio. Quid sitiebat? Dico, non vinum sed salutem animarum nostrarum. Judæi hoc audientes acetum cum felle mixtum ei dederunt. Ecce serpentem venenosum pro nostra salute bibit et totum venenum peccati primi parentis projecit, et sic cum dextrario divinitatis cum humanitate in die ascensionis cum multitudine cœlos ascendit in jubilo et gloria sempiterna, ad quam nos perducat etc.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est Adam primus homo, cui subjectæ erant omnes creaturæ corporales. Psalm.: Omnia subjecisti sub pedibus ejus etc. Illum regem quærebant dæmones interficere veneno, quod fuderunt in fontem, in quo deo placuit. Fons ille est cor humanum, quia sicut rivuli respectu fontis exeunt, ita cor hominis influit virtutem et regimen omnibus membris. Ad illum fontem infusum fuit venenum, quando primus parens per suggestionem concepit contra dei præceptum facere et ei assensum præbuit, et tunc de isto fonte mortem bibit, et post eum quasi infiniti homines mortui sunt, donec Christus veniret et nos liberaret de isto forte; ex hoc descendunt rivuli, quia ratione illius peccati semper habemus promptitudinem ad peccandum, juxta illud: Sensus et cogitationes hominis prona sunt ad peccandum ab adolescentia sua.

Cap. 148.

Quod peccatum hic vel alibi punietur.

Refert Aulus Gellius de Ammone, quod cum ditissimus esset et transire vellet de uno regno in aliud, conduxit navem; sed nautæ propter pecuniam eum occidere volebant; sed ipse ab eis impetravit, ut prius cantare posset ad honorem delphinis, qui in cantu hominis delectantur. Cum vero in mare projectus esset, delphin eum suscepit et in terram deportavit, et dum nautæ eum mortuum crederent, ipse in terra apud regem eos accusavit, qui coram rege positi vincti sunt et damnati.

Moralisatio. Carissimi, sic modo est, si est aliquis dives divitiis virtutum, qui per hujus seculi mare patienter proponit ad deum transire, venient filii diaboli et ab ea famam et bona temporolia tollunt et aliis molestiis vexant; sed certe ipse inter hæc cavere debet devotis orationibus a deo auxilium petendo, et sic portatur in terram, de qua Psalm.: Portio mea, domine, sit in terra viventium et inimici tradentur pœnis æternis.

Cap. 149.

De vana gloria, quam multa mala sequuntur.

Valerius narrat, quod quidam nobilis consilium sapientis quæsivit, quomodo posset nomen suam perpetuare? Respondit, quod si virum illustrem occideret, nomen suum perpetuatum esset. Quo audito

Philippum patrem Alexandri magni interfecit, ut nomen sibi acquireret; sed ille cito post miserabili morte exstinctus est.

Moralisatio. Carissimi, aliqui nobiles ac mundi potentes per mala opera sua acquirunt nomen mundanum, sed sine dubio per illud nomen quantum est in eis dominum deum occidunt; ideo tales mala morte morientur, cum in inferno sepeliuntur.

Cap. 150.

De rore cœlestis gratiæ.

Plinius narrat, quod sit quædam terra, in qua nec ros nec pluvia descendit, unde maxima est ibi siccitas et defectus aquæ, quia tantum est ibi unus fons, qui aquam in profundum habet; cum vero homines aquam volunt habere, accedunt ad fontem cum omni genere musicorum, quod habent et circumeunt fontem dulcem facientes melodiam, post melodiam aqua ascendit ad os fontis in abundantia, et sic homines aquam capiunt et recedunt.

Moralisatio. Carissimi, terra illa, quæ sicca est, mundus iste est, qui hominem siccum reddit ab oratione et devotione et subtrahit rorem cœlestis gratiæ. Fons iste est deus, unde Ecclesiast.: Fons sapientiæ in excelsis dei. Eamus ergo ad fontem illum cum instrumentis musicis i. e. devotis orationibus, ut nostra vox sit dulcis in aure dilecti et accedat ad nos aqua gratiæ suæ, quam nobis concedat etc.

Cap. 151.

De anima peccatrice per peccati lepram infecta, quomodo curatur.

Quidam rex in regno suo habuit duos milites; unus erat avarus et alter invidus. Avarus pulchram uxorem habuit, oculis omnium gratiosam, invidus vero uxorem valde turpem et omnibus odiosam, et quandam terram annexam militi avaro habuit, quam miles cupidus per omnia habere desiderabat. Sæpius ad eum accessit et multa ei obtulit, si terram suam ei vendere vellet; miles vero invidus respondit, se non velle vendere hereditatem suam, nec pro auro vel argento, attamen ex invidia cœpit cogitare, quomodo pulchritudinem uxoris militi avaro posset denigrare et dixit militi avaro: Si desideras terram meam habere, nihil pro pretio desidero, nisi quod uxor tua mecum sit una nocte. Qui ei annuit et uxori dixit, quæ repulsam

Moralisatio. Carissimi, rex iste est Adam pri[mus]. At ille miles subjectæ erant omnes creaturæ corporales. Psalm[ista] commiscuit, hoc sub pedibus ejus etc. Illum regem quærebar[t] ens voluit; quo facto veneno, quod fuderunt in fontem, in quo [bi]bens, quomodo invidiam cor humanum, quia sicut rivuli respectu f[ontis] esset et ipsa tam pulchra; influit virtutem et regimen omnibus mer[istis] facta est et flens amare fuit venenum, quando primus paren[s] factus dixit uxori suæ: Do tibi dei præceptum facere et ei asser[it] lepræ in te apparet, hic prope mortem bibit, et post eum o[mnes], in qua est universitas, ad illam Christus veniret et nos li[beros] sis communis, et qui prius ad te acrivuli, quia ratione illi[us] et ab omni lepra curaberis. Quod factum ad peccandum, juxt[a] imperatoris ad amandum eam fecitque eam venire sunt ad peccandu[m] ut ei consentiret. Quæ negavit dicens: Absit a sim concubina filii imperatoris! At ille magis eam pulsavit, ut ei consentiret. Illa cogitat: Hic filius imperaincurreret, magnum damnum esset. Ei proposuit, quoideret lepram, si eam cognosceret. At ille nolens desistere, eam lepram incurrit. Altera die sentiens se liberatam, ad patriam perrexit, discens ei: Si vos contingat lepram incurrere, ad me declinate, et ego vobis inquantum possum de necessariis providebo. Post hoc non diu filius imperatoris leprosus factus est et tantum verecundabatur, quod nocte nullo sciente ad dominam ivit, ubi manebat; hoc domina percipiens dixit marito suo: Ille est, qui per me infectus est, et ego a lepra liberata sum. Qui videns eum turpiter infectum, flevit amare, cameram sibi ordinavit, in qua solitarius manebat, et domina ei personaliter ministrabat et in eodem loco VII annis manebat. Accidit, quod in VII anno erat calor intolerabilis et leprosus vas magnum cum vino pro refocillatione habebat. Quidam serpens in horto existens vas intravit et se balneavit et in profundum post lotionem jacuit; leprosus cito a somno expergefactus multum sitiebat, vas cum vino accipiens, ipso ignorante serpentem inbibit. Post hoc serpens omnia interiora ejus cœpit rodere tam graviter, quod leprosus gemitus et suspiria dabat. Domina ei maxime compatiebatur. Passio illa durabat per tres dies continue, quarto die vomitum fecit, et cum vomitu et veneno interiori serpentem projecit. Statim dolor cessabat; de die in diem paullatim species lepræ ab eo recessit, et post septem dies caro ejus ab omni lepra est curata, sicut caro pueri, de quo domina multum est gavisa, et vestimentis pretiosis ipsum induebat, dextrarium optimum ei dedit, et ad imperatorem perrexit, ubi cum honore est receptus, et post mortem patris regnavit et vitam in pace finivit.

Moralisatio. Carissimi, per istos duos milites cupidum et invidum
um et primum hominem scilicet Adam debemus intelligere.
s erat invidus et habuit turpem uxorem scilicet effigiem per
ı deturpatam, quia splendida fuit creata et per peccatum
urpis. Miles avarus scilicet Adam uxorem pulchram habuit
ıam ad similitudinem dei creatam, Genes. I. Vidensque
d homo erat sic formatus, ut locum ejus in cœlo occu-
ei invidebat, et studuit, quomodo ejus uxorem scilicet
rpare possit, Adam vero cupidus, qui non tantum erat
de dei beneficio, quod sibi dedit, scilicet de paradiso, sed
alter deus esse volebat, et ideo expulsus est extra terram
paradisi, quam injuste petiit, vidensque diabolus, ad Evam accessit
dicens: Si comederitis de ligno vitæ, eritis sicut dii scientes bonum
et malum, Genes. III. Diabolus prius se miscuit cum leprosa scilicet
iniquitate, et sic ad innocentem accessit, et mortaliter peccat, quando
divinum præceptum violavit, et sic homo factus est leprosus spiritua-
liter loquendo, propter quod extra regnum paradisi erat expulsus in
universitatem hujus mundi. Filius imperatoris scilicet filius dei videns
hominem, quem formaverat in miseria, cum natura ejus se miscuit,
quando de cœlis descendit et carnem nostram assumpsit, intantum
quod nos ab omni lepra peccati per passionem suam liberavit, et
ipse peccata nostra tulit, in corpore suo factus est turpis in passione.
Jesaí. LVI: Vidimus eum non habentem speciem neque decorem. Et
sequitur: Reputavimus eum quasi leprosum percussum a deo et humi-
liatum. Nos vero sic liberati per mortem Christi poterimus ad patriam
cœlestem secure, si voluerimus, pervenire, sed Christus nos quo-
tidie tentat, pulsat ad januam cordis nostri, sicut ipse testatur,
Cantic.: Ego sto ad ostium et pulso; si quis aperuerit mihi, cœnabo
cum eo. Sed diligenter est advertendum, quod ostium cordis nostri
debemus ei aperire per septem opera misericordiæ, et eum cum
omni gaudio recipere, et in speciali camera extra homines eum po-
nere, ut nobiscum semper maneat, et sicut iste leprosus sitivit in
cruce, cum dixit: Sitio. Quid sitiebat? Dico, non vinum sed salu-
tem animarum nostrarum. Judæi hoc audientes acetum cum felle
mixtum ei dederunt. Ecce serpentem venenosum pro nostra salute
bibit et totum venenum peccati primi parentis projecit, et sic cum
dextrario divinitatis cum humanitate in die ascensionis cum multi-
tudine cœlos ascendit in jubilo et gloria sempiterna, ad quam nos
perducat etc.

dedit primo, sed tandem per virum inducta consentit. At ille miles invidus, antequam ei condormiret, cum leprosa se commiscuit, hoc facto ad dominam accessit et eam cognovit quotiens voluit; quo facto eidem intimavit, quod lepram incurreret, dicens, quomodo invidiam de hoc habuisset, quod uxor sua tam turpis esset et ipsa tam pulchra; ideo eam ic deturpavit. Quod audiens, tristis facta est et flens amare marito suo intimavit, qui valde tristis factus dixit uxori suæ: Do tibi consilium: adhuc nullum signum lepræ in te apparet, hic prope extra regnum est magna civitas, in qua est universitas, ad illam pergas et omnibus venientibus sis communis, et qui prius ad te accessit, infirmitatem recipiet et ab omni lepra curaberis. Quod factum est. Venit filius imperatoris ad amandum eam fecitque eam venire ad se et eam rogavit, ut ei consentiret. Quæ negavit dicens: Absit a me, ut ego paupercula sim concubina filii imperatoris! At ille magis ac magis eam pulsavit, ut ei consentiret. Illa cogitat: Hic filius imperatoris si lepram incurreret, magnum damnum esset. Ei proposuit, quomodo incideret lepram, si eam cognosceret. At ille nolens desistere, eam cognovit et lepram incurrit. Altera die sentiens se liberatam, ad patriam perrexit, discens ei: Si vos contingat lepram incurrere, ad me declinate, et ego vobis inquantum possum de necessariis providebo. Post hoc non diu filius imperatoris leprosus factus est et tantum verecundabatur, quod nocte nullo sciente ad dominam ivit, ubi manebat; hoc domina percipiens dixit marito suo: Ille est, qui per me infectus est, et ego a lepra liberata sum. Qui videns eum turpiter infectum, flevit amare, cameram sibi ordinavit, in qua solitarius manebat, et domina ei personaliter ministrabat et in eodem loco VII annis manebat. Accidit, quod in VII anno erat calor intolerabilis et leprosus vas magnum cum vino pro refocillatione habebat. Quidam serpens in horto existens vas intravit et se balneavit et in profundum post lotionem jacuit; leprosus cito a somno expergefactus multum sitiebat, vas cum vino accipiens, ipso ignorante serpentem inbibit. Post hoc serpens omnia interiora ejus cœpit rodere tam graviter, quod leprosus gemitus et suspiria dabat. Domina ei maxime compatiebatur. Passio illa durabat per tres dies continue, quarto die vomitum fecit, et cum vomitu et veneno interiori serpentem projecit. Statim dolor cessabat; de die in diem paullatim species lepræ ab eo recessit, et post septem dies caro ejus ab omni lepra est curata, sicut caro pueri, de quo domina multum est gavisa, et vestimentis pretiosis ipsum induebat, dextrarium optimum ei dedit, et ad imperatorem perrexit, ubi cum honore est receptus, et post mortem patris regnavit et vitam in pace finivit.

Moralisatio. Carissimi, per istos duos milites cupidum et invidum diabolum et primum hominem scilicet Adam debemus intelligere. Diabolus erat invidus et habuit turpem uxorem scilicet effigiem per superbiam deturpatam, quia splendida fuit creata et per peccatum facta est turpis. Miles avarus scilicet Adam uxorem pulchram habuit scilicet animam ad similitudinem dei creatam, Genes. I. Vidensque diabolus, quod homo erat sic formatus, ut locum ejus in cœlo occuparet, multum ei invidebat, et studuit, quomodo ejus uxorem scilicet animam deturpare possit, Adam vero cupidus, qui non tantum erat contentus de dei beneficio, quod sibi dedit, scilicet de paradiso, sed quasi alter deus esse volebat, et ideo expulsus est extra terram paradisi, quam injuste petiit, vidensque diabolus, ad Evam accessit dicens: Si comederitis de ligno vitæ, eritis sicut dii scientes bonum et malum, Genes. III. Diabolus prius se miscuit cum leprosa scilicet iniquitate, et sic ad innocentem accessit, et mortaliter peccat, quando divinum præceptum violavit, et sic homo factus est leprosus spiritualiter loquendo, propter quod extra regnum paradisi erat expulsus in universitatem hujus mundi. Filius imperatoris scilicet filius dei videns hominem, quem formaverat in miseria, cum natura ejus se miscuit, quando de cœlis descendit et carnem nostram assumpsit, intantum quod nos ab omni lepra peccati per passionem suam liberavit, et ipse peccata nostra tulit, in corpore suo factus est turpis in passione. Jesaï. LVI: Vidimus eum non habentem speciem neque decorem. Et sequitur: Reputavimus eum quasi leprosum percussum a deo et humiliatum. Nos vero sic liberati per mortem Christi poterimus ad patriam cœlestem secure, si voluerimus, pervenire, sed Christus nos quotidie tentat, pulsat ad januam cordis nostri, sicut ipse testatur, Cantic.: Ego sto ad ostium et pulso; si quis aperuerit mihi, cœnabo cum eo. Sed diligenter est advertendum, quod ostium cordis nostri debemus ei aperire per septem opera misericordiæ, et eum cum omni gaudio recipere, et in speciali camera extra homines eum ponere, ut nobiscum semper maneat, et sicut iste leprosus sitivit in cruce, cum dixit: Sitio. Quid sitiebat? Dico, non vinum sed salutem animarum nostrarum. Judæi hoc audientes acetum cum felle mixtum ei dederunt. Ecce serpentem venenosum pro nostra salute bibit et totum venenum peccati primi parentis projecit, et sic cum dextrario divinitatis cum humanitate in die ascensionis cum multitudine cœlos ascendit in jubilo et gloria sempiterna, ad quam nos perducat etc.

Cap. 152.

Quod Christus ab æternis periculis et dæmonum obsidionibus nos liberavit.

Quidam vero princeps nomine Cleonitus, cujus populus in quadam civitate claudebatur obsessus, qui volens populo suo caute consulere, quid sibi utilius expediret, præcepit, ut unus de militibus suis obsidionem accederet, qui obsidentibus insultum præberet, ordinavit, quod in telis suis latenter et artificaliter scriberetur: Confortamine in domino et estote fideles in obsidione. In persona Cleoniti venio et obsidionem amovebo.

Moralisatio. Carissimi, princeps iste est Christus, populus obsessus in civitate peccatores in mundo, qui a dæmonibus obsidentur; quod si non divinitus admovemur, animas nostras occident; miles missus est prædicator, apostol. ad Timoth.: Labora sicut bonus miles! Ille miles in exteriori apparentia quasi adversarium peccatoribus ostendit, quia lanceam sagittam et insultus præbet, dum acuta verba nunc contra gulosos nunc contra luxuriosos et sic de ceteris proponit, sed pro certo amicus noster est, quia plus valent verbera diligentis, quam oscula blandientis.

Cap. 153.

De tribulatione temporali, quæ in gaudium sempiternum postremo commutabitur.

Antiochus in civitate Antiochia regnavit, a quo ipsa civitas Antiochia nomen accepit. Ex conjuge sua filiam speciosissimam genuit. Quæ cum pervenisset ad ætatem legitimam et species pulchritudinis accresceret, multi eam in matrimonium petebant cum magna et inæstimabili dotis quantitate. Sed cum pater deliberaret, cui potissime filiam suam daret in matrimonium, hoc nesciens, quia iniqua concupiscentia crudelitatisque flamma in amorem filiæ suæ exarsit, cœpitque eam amplius diligere, quam patrem oporteret. Qui cum luctaretur cum furore, pugnat cum pudore, vincitur amore. Quadam die accesit ad cubiculum filiæ suæ et omnes a longe sedere jussit, quasi cum filia sua colloquium secretum habiturus. Stimulante furore libidinis diu repugnante filia nodum virginitatis eripuit et pudorem violavit. Cumque puella quid faceret cogitaret, nutrix subito ad eam intravit. Quam ut vidit, flebili vultu ait: Ob quam rem

affligitur anima tua? Puella ait: O carissima, modo in cubiculo isto duo nobilia nomina perierunt. Ait nutrix: Domina, quare hoc dicis? Ait illa: Quia ante matrimonium meum pessimo scelere sum violata. Nutrix cum hæc audisset et vidisset, amens quasi facta dixit: Et quis diabolus tanta audacia thorum reginæ ausus est violare! Puella ait: Impietas hoc fecit. Nutrix ait: Cur non indicas patri? Puella ait: Ubi est pater? Si intelligas, peribit nomen patris in me; mortis mihi remedium placet. Nutrix audivit eam mortis remedium quærere, blando eam sermonis eloquio revocavit, ut a proposito suo recederet. Inter hæc impius pater, cum simulata mente ostenderet civibus pium patrem, inter domus parietes maritum se esse filiæ lætatur, et ut semper impiis filiæ thoris frueretur, ad expellendos petitores, qui eam in conjugem petebant, novum genus nequitiæ cogitavit; quæstionem vero præponebat, dicens: Si quis quæstionis meæ solutionem invenerit, filiam meam in uxorem habebit, et si defecerit, decollabitur. Plurimi undique reges propter incredibilem et inauditam puellæ speciem venerunt, si quis forte prudentia literarum quæstionis solutionem invenisset. Quasi nihil dixisset, decollabatur et caput ejus supra portam suspendebatur, ut advenientes imaginem mortis viderent et turbarentur, ne ad tales conditiones accederent. Hoc totum fecerat, ut ipsemet cum filia sua poterat in adulterio permanere. Cum vero tales crudelitates exerceret Antiochus, interposito brevi tempore adolescens quidam Tyrus patriæ suæ princeps locuples valde, Apollonius nomine, bene literatus, navigans Antiochiam intravit, ingressusque ad regem ait: Ave, rex! Et ille: Salvi sint nupturi parentes tui! Ait juvenis: Peto filiam tuam in uxorem. Rex, ut audivit, quod audire nolebat, respiciens juvenem et ait: Nosti nuptiarum conditionem? Ait juvenis: Novi et ad portam vidi. Indignatus rex ait: Audi ergo quæstionem! Scelere vehor, materna carne vescor, quæro fratrem meum matris meæ virum, nec invenio. Puer accepta quæstione paullulum recessit a rege, et cum scientiam quæreret, deo favente solutionem quæstionis invenit, et rursus ad regem ait: Bone rex, proposuisti quæstionem, audi ergo solutionem! Nam quod dixisti: Scelere vehor, non es mentitus; te enim ipsum intuere! Materna carne vescor; filiam tuam respice. Rex cum audivit solutionem quæstionis juvenem solvisse, timens, ne peccatum suum patefieret, irato vultu eum respiciens dixit: Longe es juvenis a quæstione, nihil verum dixisti, decollari quidem promerueris, sed ecce habebis dierum triginta spatium; recogita tecum, revertere ad terram tuam! Si solutionem quæstionis invenies, filiam meam in matrimonium accipies; sinautem, decollaberis! Juvenis

turbatus accepto comitatu navem ascendens tendit in patriam Tyrus, sed post recessum adolescentis vocavit rex dispensatorem suum, Taliarchum nomine, cui ait: Taliarche secretorum meorum magister fidelissime, scias, quod Tyrus Apollonius invenit quæstionis meæ solutionem! Ascende ergo confestim navem ad persequendum eum, et cum perveneris Tyrum, quære eum et cum ferro vel veneno interfice eum! Reversus dum fueris, præmium magnum accipies. Taliarchus scutum accipiens pecuniamque ad patriam juvenis venit. Apollonius vero prius venit et ad domum suam introivit, apertoque scrinio omnes libros respexit et nil aliud invenit, nisi quod regi dixerat, et dixit intra se: Ni fallor, Antiochus rex impio amore diligit filiam suam. Et recogitans secum dixit: Quid agis, Apolloni? Conclusionem ejus solvisti et filiam non accepisti? Ideo delatus es a deo, ut non morieris. Continuoque jussit sibi naves præparare et eas centum millibus modiorum frumenti onerari et multo pondere auri et argenti et veste copiosa, et cum paucis secum fidelissimis hora noctis tertia navem ascendit tradiditque se alto pelago. Alia vero die quæritur a civibus suis et non invenitur. Mœror ingens nascitur, quod amantissimus princeps patriæ nusquam comparuit, planctus magnus erat in civitate, tantus vero amor civium circa eum erat, ut multo tempore tonsores cessarent, publica spectacula tollerentur, balnea clauderentur, non templa nec tabernas quisquis ingreditur, et cum talia agerentur, supervenit Taliarchus, qui a rege Antiocho ad necandum missus erat, et videns omnia clausa, dixit quidam puero: Indica mihi, si vivere velis, ex qua causa civitas ista in luctu moratur? Ait puer: O carissime, nescis tu illud? Quid interrogas? Civitas hæc in luctu moratur, quia Apollonius princeps patriæ hujus ab Antiocho rege regressus nusquam comparuit. Taliarchus cum hoc audisset, gaudio plenus ad navem rediit et Antiochiam intravit, ingressusque ad regem ait: Domine mi rex, lætare, quia Apollonius vos timens nusquam comparuit. Rex ait: Fugere quidem potest, sed effugere non potest. Statim hujusmodi edictum posuit: Quicunque Apollonium Tyrum contemptorem regni mei exhibuerit, accipiet quinquaginta talenta auri; qui vero caput ejus centum accipiet. Hoc facto non tantum inimici sed amici cupiditate seducti ad persequendum Apollonium properabant. Quærebatur vero Apollonius per mare, per terras, per silvas, per universas indagines, et non inveniebatur. Tunc rex jussit sibi classes navium præparari ad persequendum juvenem, sed et moram facientibus, qui classes sibi navium præparabant, Apollonius Tharsim devenit et deambulans juxta litus, visus est a quodam servo suo Elinato nomine, qui

supervenerat in ipsa hora, et accedens ad eum dixit: Ave, rex Apolloni! Ille salutatus fecit, ut potentes facere consueverant, sprevit hominem. Tunc senex indignatus est valde et iterum salutavit eum et ait: Ave, rex Apolloni! Resulata et noli despicere paupertatem honestis moribus decoratam! Si enim scis, quod scio, cavendum est tibi! Et ille: Si placet, dicito mihi! Qui ait: Proscriptus es. Et ille: Quis patriæ suæ proscripsit principem? Elinatus ait: Rex Antiochus. Antiochus: Qua ex causa? Elinatus ait: Quia quod pater est, tu esse voluisti. Apollonius ait: Et pro quanto me proscripsit? Et ille: Quicunque te illi vivum exhibuerit, quinquaginta talenta auri, qui vero caput tuum protulerit, centum accipiet; et ideo te moneo fugere in præsidium. Sed cum hoc dixisset, Elinatus recessit. Tunc Apollonius eum rogavit, ut ad se veniret, et centum talenta auri daret ei, et ait: Accipe tantum de paupertate mea, quia meruisti, et amputa caput meum et regi præsentes et magnum gaudium habebit! Ecce habes centum talenta auri et tu es innocens, quia te conduxi, ut gaudium afferas regi. Cui senex ait: Domine, absit hoc a me, ut hujusmodi rei causa pretium accipiam! Apud bonos homines amicitia præmio non est comparanda. Et valedicens discessit. Post hæc Apollonius cum spatiatur in eodem loco supra litus, vidit hominem contra se venientem dolentem et mœsto vultu, Stranguilionem nomine. Accessit ad eum protinus et ait Apollonius: Ave, Stranguilio! Et ipse ait: Ave, domine Apolloni! Et rursum ait: Quare in his locis turbata mente versaris? Ait Apollonius: Quia filiam regis, ut verum dixeram, conjugem et in matrimonium petivi: petivi itaque, si fieri potest, in patria nostra nolo latere. Stranguilio ait: Domine Apolloni, civitas nostra pauperrima est et non potest tuam nobilitatem sustinere; præterea duram famem et sterilitatem patimur annonæ, nec etiam jam civibus ulla spes est salutis, sed crudelissima mors est ante oculos nostros. Apollonius ait: Agite gratias deo, qui me profugum vestris finibus applicuit! Dabo civitati vestræ centum millia modiorum frumenti, si fugam meam tantum celaveritis. Stranguilio ut hæc audivit, prostravit se ante pedes ejus et ait: Domine Apolloni, si esurienti civitati subveneris, non solum fugam tuam celabimus, sed, si necessitas fuerit, pro salute tua dimicabimus. Ascendensque Apollonius tribunal in foro præsentibus cunctis civibus de ejus civitate dixit: Cives tharsenses, quos annonæ penuria turbat et opprimit, ego Tyrus Apollonius relevo; credo enim vos hujus beneficii memores fugam celaturos. Scitote enim, non me malitia Antiochi esse fugatum, sed per viam feliciter huc sum delatus. Dabo itaque vobis centum millia modiorum frumenti eo pretio, quo sum

in patria mercatus, octo æreis singulos modios. Cives hoc audientes, quod singulos modios octo æreis mercarentur, hilares effecti sunt ac gratias agentes statim frumenta parabant. Tunc Apollonius ne deposita regia dignitate mercatoris magis quam donatoris nomen videretur assumere, pretiumque assumens ejusdem civitatis utilitatibus redonavit. Cives autem ut tanta viderent ejus beneficia, bigam in foro statuerunt, in qua stans dextra manu fruges et sinistro pede calcaret, et in base scripserunt: Civitati Tharsiæ Tyrus Apollonius donum dedit, quod civitatem a sæva morte liberavit. Deinde interpositis paucis diebus hortante Stranguilione et Dionysiade ejus conjuge ad Pentapolim Tyrrhenorum navigare proposuit, ut illic lateret eo, quod beneficia cum opulentia et tranquillitate agerentur. Ideo cum ingenti honore ducitur ad mare, valedicens omnibus, ascendit ratim, sed tribus diebus et noctibus totidem ventis prosperis navigans, subito pelagus mutatus est, postquam littus Tharsiæ reliquit. Nam paucis horis ventis concitatis aquilone vento auroque instante classe cœlum nimia se pluvia erupit, populus Tyri procella corripitur, ratis pariter dissolvitur, zephyri fretum perturbant, grando ac nubes tenebrosa incumbebant, stant venti fortiter, intantum, quod mors cunctos occuparet; tunc unusquisque rapuit sibi tabulas, tamen in illa caligine omnes perierunt, Apollonius vero unius tabulæ beneficio in Pentapolitanorum litore est pulsus. Stans autem in litore, intuens mare tranquillum, sic ait: O pelagi fides, facilius incidam in manus crudelissimi regis, quo pergam, quam patriam petam; quis notus huic ignoto auxilium dabit? Hæc dum loqueretur, aspexit juvenem venientem contra se, quendam robustum piscatorem, sordido sacco coopertum. Cogente necessitate prostravit se ad pedes ejus, profusis lacrimis ait: Miserere, quicunque es, nudo naufrago, non humilibus parentibus sed notabilibus genito, et ut scias, cui misereris, ego sum Tyrus Apollonius patriæ meæ princeps; deprecor te auxilium vitæ meæ. Piscator, ut vidit speciem juvenis, misericordia motus erigit illum et duxit infra tecta domus, posuit epulas, quas habere potuit, et, ut plenius suæ pietati satisfaceret, exuens se, tribunarium in duas partes dividens, unam dedit juveni, dicens: Tolle, quod habeo, et vade in civitatem! Ibi invenies forsitan, qui tui misereatur; si non invenies, huc ad me revertere; paupertas quæcunque sufficiat. Piscator ait illi: Illud tantum admoneo te, ut, si quando dignitati tuæ redditus fueris, ne despicias tribunarii paupertatem. Apollonius: Si non memor fuero, iterum naufragium patiar, nec tui similem inveniam! Et hæc dicens, demonstrata sibi via carpens portas civitatis ingreditur. Dumque cogitaret, unde peteret auxilium vitæ, vidit per

plateam puerum nudum currentem, oleo caput unctum, sabano præcinctum, voce magna clamantem et dicentem: Audite, omnes, audite, peregrini et servi, qui ablui vult, pergat gymnasium! Audito hoc Apollonius, exuens se tribunarium, ingreditur lavacrum, utitur liquore, et dum singulos intuetur, quærit sibi parem nec invenit, et subito Altistrates rex totius regionis ingressus est cum turba famulorum. Cum rex ludum speræ cum servis suis exerceret, admisit se Apollonius regi, et decurrentem sustulit speram, et subtili velocitate percussam ludenti regi remisit. Tunc rex suis famulis ait: Recedite, hic enim juvenis, ut suspicor, mihi comparandus, est Apollonius. Apollonius, ut audivit se laudari, constanter accessit ad regem, et accepto cyramoco docta manu circumlavit eum cum subtilitate; deinde in solio gratissimo fovit eum et exeunte eo ab officio discessit, dixitque rex ad amicos suos post discessum adolescentis: Juro vobis in veritate, melius me nunquam abluisse, quam hodie beneficio adolescentis nescio cujus. Et respiciens unum de famulis ait: Juvenis ille, qui mihi officium fecit, vide, quis sit! Et ille secutus juvenem, vidit eum sordido tribunario indutum, reversusque ad regem dixit: Juvenis ille naufragus est. Rex ait: Unde scis? Tacente illo, habitus indicat causam. Ait rex: Vade celerius et dic ei: Rogat te rex, ut venias ad cœnam. Apollonius, ut audivit, acquievit et cum famulo venit ad regem. Famulus prius ingressus ait ad regem: Naufragus adest, sed propter sordidum habitum introire verecundatur. Statimque rex jussit eum vestibus indui dignis et ad cœnam ingredi. Ingressus Apollonius triclinium regis contra regem assignato loco discubuit, infertur prandium, deinde cœna regalis. Apollonius cunctis epulantibus non epulabatur, sed aurum et argentum in ministerium regis diu flens intuebatur. Tunc unus de discumbentibus ad regem ait: Nisi fallor, juvenis iste fortunæ regis invidet. Rex ait: Male suspicaris, fortunæ meæ non invidet, sed plura se perdidisse tristatur. Et respiciens Apollonium hilari vultu ait rex: Juvenis, epulare nobiscum et de deo meliora spera! Et dum hortaretur juvenem, subito introivit filia regis virgo jam adulta, deditque osculum patri suo, deinde cunctis discumbentibus amicis. Quæ dum oscularetur singulos! reversa est ad patrem et ait: Bone pater, quis est iste juvenis, qui contra te locum honoratum tenet, qui multum dolet? Ait rex: O dulcis filia, juvenis iste naufragus est et gymnasia mihi gratissime fecit, propter quod ad cœnam vocavi illum; quis sit nescio; sed si vis scire, interroga eum; te decet omnia nosse, et forsitan, dum cognoveris, misereberis ei. Hæc audiens puella ad juvenem accessit et ait: Carissime, generositas nobilitatem ostendit.

Si tibi molestum non est, indica mihi nomen tuum et casus tuos. Et ille: Si nomen quæris, in mare perdidi, si nobilitatem, Tyro reliqui. Ait puella: Apertius dic, ut intelligam! Tunc Apollonius nomen suum et omnes casus exposuit. Finitis sermonibus fundere lacrimas cœpit. Quem ut vidit rex flentem, ait filiæ: Nata dulcis, peccasti; dum nomen et casus adolescentis petivisti, veteres ejus dolores renovasti. Dulcis ergo filia, ex quo jam scis veritatem, justum est, ut liberalitatem tuam quasi regiam ei ostendas. Puella ut audivit voluntatem patris, respiciens juvenem ait: Noster es, Apolloni! Depone mœrorem et a patre meo locupleteris. Apollonius cum gemitu et verecundia gratias egit. Tunc rex ait filiæ suæ: Defer lyram, ut cum cantu exhilares convivium. Puella jussit sibi afferri lyram et cœpit cum omni dulcedine lyram percutere. Omnes eam cœperunt laudare et dicere: Non potest melius nec dulcius audiri. Inter quos solus Apollonius tacuit. Ait ei rex: Apolloni, fœdam rem facis. Omnes filiam meam in arte musica laudant; quare tu solus vituperas? Ait ille: Bone rex, si permittas, dico, quod sentio. Filia tua in artem musicam incessit et nondum didicit; igitur jubeas mihi tradi lyram et statim scias, quod nescivisti! Rex ait: Apolloni, video te eruditum in omnibus. Jussit sibi tradi lyram et egresso foras corona capitis eum decoravit, accipiensque lyram intravit triclinium, pulsabat ante regem tanta dulcedine, ut omnes non Apollonium sed Apollinem crederent. Discumbentes cum rege dixerunt, quod nunquam melius audissent nec vidissent. Filia regis hæc audiens respiciens juvenem capta est in amorem ejus et ait ad patrem suum: O pater, permittas me dare juveni, quod mihi placet. Ait rex: Permitto. Illa respiciens Apollonium ait: Magister Apolloni, accipe ex indulgentia patris mei auri ducenta talenta, argenti libras quadringentas vestemque copiosam servos XX, ancillas X. Quibus ait: Afferte, quod promisi! Et præsentibus amicis exposito triclinio jussu reginæ allata sunt omnia. Quo facto levaverunt se omnes et licentiati discesserunt. Apollonius ait: Bone rex miserorum misericors et tu regina amatrix studiorum et dilectrix philosophiæ, valete! Et respiciens famulos, quos sibi regina donaverat, ait: Attobite, famuli, hæc, quæ mihi data sunt, et eamus et hospitium quæramus. Puella timens, ne amatorem perderet, tristis est facta; respiciens ad patrem ait: Bone rex et pater optime, placeat tibi, ut Apollonius hodie ditatus abscedat, et quod illi donavimus a malis ne rapiatur. Tunc rex festinus jussit sibi assignari aulam, ubi honeste quiesceret. Puella vero amore accensa inquietam habuit noctem, mane vero cubiculum patris adiit. Quam ut vidit pater, dixit: Quid est hoc, quod præter consuetudinem ita

mane evigilasti? Puella ait: Requiem habere non potero, et ideo, carissime pater peto, ut me tradas juveni ad doctrinandam, quod potero artem musicam et alia addiscere. Rex hæc audiens gavisus est, jussit ad se juvenem vocari, cui ait: Apolloni, filia mea multum cupit artem tuam addiscere; ideo rogo te, ut ei ostendas omnia, quæ nosti, et ego mercedem condignam retribuam. Et ille: Domine, paratus sum voluntati vestræ satisfacere. Docuit puellam, sicut ipse didicit; post hæc puella præ nimio amore juvenis infirmatur. Rex ut vidit filiam suam incurrisse ægritudinem, subito medicos vocavit, illi vero venas et singulas partes corporis tangebant et nullam ægritudinem invenerunt. Post paucos dies tres juvenes nobilissimi, qui per longum tempus filiam in matrimonium petierant, regem una voce pariter salutaverunt. Quos intuens rex ait: Qua de causa venistis? At illi: Quia sæpius nobis promisistis uni ex nobis dare filiam vestram in matrimonium; propter quod hodie simul venimus; cives tui summus, divites et ex nobilibus parentibus geniti, et ideo de tribus tibi elige, quem vis habere generum. Rex ait: Non apto tempore me interpellastis. Filia mea studiis vacat et ab amorem studiorum imbecillata jacet. Sed ne videar vobis nimis diferre, scribite in codicillis vestris nomina vestra et dotis quantitatem, quæ transmittam filiæ meæ, ut ipsa eligat, quem voluerit. Illi hoc fecerunt, rex accepit scripturam et legit, signavitque, dedit Apollonio, dicens: Tolle, magister, has scripturas et trade discipulæ tuæ! Apollonius recepit scripturas et puellæ portavit. Puella ut vidit, quem diligebat, ait: Magister, quid est, quod solus introisti in cubiculum? Apollonius ait: Sume codicillos, quos tibi misit pater tuus, et lege! Puella codices aperuit et legit tria nomina petitorum, projectisque codicillis respiciens Apollonium dixit: Magister Apolloni, non doles, quod alteri debeo in matrimonium tradi? Et ille: Non, quia omne, quod est tibi honor, erit et commodum meum. Ait puella: Magister, si me amares, doleres. Hæc dicens rescripsit, signavit codicillos, traditque Apollonio, ut eos regi deferret, et scripsit hæc: Rex et pater optime, quoniam clementia permisit mihi, ut rescribam, rescribo: Illum naufragum volo in conjugem habere. Rex cum legisset voluntatem puellæ, ignorans, quem naufragum diceret, respiciens ad juvenes ait: Quis vestrum naufragium passus est? Unus ex illis nomine Ardonius dixit: Ego passus sum naufragium. Alius ait: Morbus te consumat nec salvus nec sanus sis, cum sciam te coætaneum meum! Portam civitatis nunquam exiisti! Ubi naufragium fecisti? Rex cum non invenisset, quis eorum naufragium fecisset, respexit Apollonium dicens: Tolle codicillos et lege! Potest enim fieri, quod ego non

Si tibi molestum non est, indica mihi nomen tuum ... codi-
Et ille: Si nomen quæris, in mare perdidi, si no... rex ait:
liqui. Ait puella: Apertius dic, ut intelliga... dixit; rex
nomen suum et omnes casus exposuit. Fin... m tempus
lacrimas cœpit. Quem ut vidit rex flente... olus intravit
peccasti; dum nomen et casus adolesc... Illa prostravit
dolores renovasti. Dulcis ergo filia... pollonium peto.
justum est, ut liberalitatem tuam qu... erra et sic allo-
audivit voluntatem patris, respici... itare, quia talem
loni! Depone mœrorem et a p... amando factus sum
gemitu et verecundia gratia... n. Postera ergo die
ut cum cantu exhilares c... quibus ait: Carissimi,
cœpit cum omni dulce... o suo; peto ergo, ut vobis
laudare et dicere: N... prudenti viro sociatur. Hæc igitur
solus Apollonius... um. Quæ cito concepit, et dum pue-
Omnes filia... ccidit, quod cum ambularet cum rege Apollo-
Ait ille: Bo... juxta litus maris, vidit navem speciosam. Cognovit
artem mus... quod esset de patria sua; conversus ad nauclerum
lyram et... Apollonius, Unde venis? At ille: A Tyro. Apollonius ait: Patriam meam
eruditr... Alter respondit: Ergo Tyrus es tu? Et ille: Ut dicis.
capi... nosti. Nauclerus ait: Nosti aliquem patriæ illius principem, nomine Apol-
ar... lonius? Nauclerus dixit: Peto ubicunque illum videris, dicas ei, ut
gaudeat et exultet, quia rex Antiochus fulmine percussus est cum
filia sua, opes autem regni Antiochiæ reservantur Apollonio. Apol-
lonius ut hoc audivit, plenus gaudio ad conjugem suam ait: Peto
itaque, ut me abire permittas ad percipiendum regnum. Illa ut audi-
vit, profusis lacrimis ait: O domine, si in longinoquo itinere esses
constitutus, ad partum meum festinare debueras, et modo recedere
velis, cum juxta me sis; vel si hoc velis, pariter navigemus. Et
veniens ad patrem ait: O pater, lætare et gaude, quia sævissimus
rex Antiochus cum filia sua dei judicio in fulmine percussus est,
opes autem et diademata nobis sunt reservata. Permitte me navigare
cum viro meo! Rex autem exhilaratus naves jubet produci in litus
et omnibus bonis impleri; propterea nutricem ejus, nomine Ligozidem,
et obstetricem propter partum ejus simul navigare præcepit, et data
proficiscendi copia deduxit ad litus, osculaturque filiam et generum
navigando. Sed cum per aliquot dies in mari fuissent, surrexit tem-
pestas magna; puella interim infirmatur, procreans filiam, quod facta
est quasi mortua. Quod cum videret familia, exclamabat voce magna
et ululatu. Hoc audiens Apollonius, cucurrit, vidit conjugem suam
quasi mortuam jacentem, ut ei videbatur, scidit a pectore suo vestes,

is fletibus jactavit se super corpus ejus et ait: Cara conjux
is filia, quid respondebo patri tuo pro te? Et cum hoc di-
vit ei gubernator: Corpus mortuum navis sufferre non valet;
rpus in pelagum mitti, ut possimus evadere. Apollonius
Quid dicis, pessime? Placet tibi, ut hoc corpus in pe- 5
quod me naufragum et egenum suscepit? Vocavit
it: Faciatis loculum et foramina et cum bitumine
lumbea intus posita et obturetur perfecto loculo!
exornavit puellam, in loculo ponunt et copiam
dedit osculum funeri, fundens super eam la- 10
antem tolli et diligenter nutriri, ut pro filia
eret, et jussit loculum mitti in mari cum maximo
ie unda maris ejecit loculum ad litus Ephesorum a
uomo cujusdam medici, Cerimonis nomine, qui cum disci-
uis suis eadem die in litore ambulavit. Tunc vidit loculum effusis 15
fluctibus jacentem, ait servis suis: Tollite hunc loculum cum omni
diligentia et ad villam perferte! Quod cum fecissent, medicus aperuit,
vidit puellam regalibus ornamentis decoratam et speciosam valde et
quasi mortuam jacentem, obstupuit et ait: O bona puella, quare
estis sic derelicta? Vidit subtus caput ejus pecuniam positam et sub 20
pecunia cartam scriptam et ait: Perquiramus, quid continetur in
carta! Quam cum aperuisset, invenit titulum scriptum: Quicunque
hunc loculum invenit, peto, ut X aureos habeat et X funeri impendat;
hoc enim corpus multas lacrimas reliquit parentibus et dolores ama-
ros. Quod si aliud fecerit, quam quod dolor exposcit, ultimum diem 25
indicat, nec sit, qui ejus corpus sepulturæ commendat. Perlectis
autem cartulis ad servos suos ait: Præstemus corpori, quod dolor
exposcit! Juro vobis per spem vitæ meæ, in hoc funere amplius me
erogaturum, quam dolor imperat. Continuo jubet parari rogum, sed
cum ædificatur atque deponitur, supervenit discipulus medici ado- 30
lescens et, quantum ad ingenium pertinet, senex. Hic cum corpus
speciosum super rogum positum videret, intuens eum magister ait:
Bene venisti, hæc enim hora exspectavit te. Tolle ampullam unguenti
et quod supremum est de funere, superfunde sepulturæ! Venit juvenis
ad corpus, extraxit de pectore vestes, fudit unguentum tractum 35
manu, totum corpus ad præcordia vivere sensit. Obstupuit juvenis,
palpat venas et indicia rimatur narium, labia labiis probat, sensit
vitam cum morte luctantem et ait ad servos: Supponite faculas per
quatuor angulos lente et temperate! Quo facto sanguis ille, qui coa-
gulatus erat, est liquefactus. Quod ut vidit juvenis, ait magistro: 40
Puella, quam mortuam dicis, vivit, et ut facilius mihi posses credere,

noverim; tu intelligis, qui præsens fuisti. Apollonius acceptis codicillis velociter percurrit, et ut sensit se amari, erubuit. Cui rex ait: Apolloni, invenisti naufragum? At ille præ rubore pauca dixit; rex vero cum intellexit, quod filia eum voluit, aliis ait: Dum tempus fuerit, veniam ad vos. Illi valedicentes recesserunt. Solus intravit ad filiam suam et ait: Quem tibi elegisti conjugem? Illa prostravit se cum lacrimis et ait: Pater carissime, naufragum Apollonium peto. Rex cum lacrimas filiæ suæ vidisset, levavit eam a terra et sic alloquitur dicens: Nata, dulcis, noli de aliqua re cogitare, quia talem concupisti, quem et ego; ut enim vidi, quia et amando factus sum pater, diem tibi nuptiarum sine mora constituam. Postera ergo die vocantur amici vicinarum urbium ad regem, quibus ait: Carissimi, filia mea vult nubere Apollonio magistro suo; peto ergo, ut vobis omnibus sit lætitia, quia filia mea prudenti viro sociatur. Hæc igitur dicens constituit diem nuptiarum. Quæ cito concepit, et dum puerum in utero haberet, accidit, quod cum ambularet cum rege Apollonio viro suo juxta litus maris, vidit navem speciosam. Cognovit eam Apollonins, quod esset de patria sua; conversus ad nauclerum ait: Unde venis? At ille: A Tyro. Apollonius ait: Patriam meam nominasti. Alter respondit: Ergo Tyrus es tu? Et ille: Ut dicis. Nauclerus ait: Nosti aliquem patriæ illius principem, nomine Apollonius? Nauclerus dixit: Peto ubicunque illum videris, dicas ei, ut gaudeat et exultet, quia rex Antiochus fulmine percussus est cum filia sua, opes autem regni Antiochiæ reservantur Apollonio. Apollonius ut hoc audivit, plenus gaudio ad conjugem suam ait: Peto itaque, ut me abire permittas ad percipiendum regnum. Illa ut audivit, profusis lacrimis ait: O domine, si in longinoquo itinere esses constitutus, ad partum meum festinare debueras, et modo recedere velis, cum juxta me sis; vel si hoc velis, pariter navigemus. Et veniens ad patrem ait: O pater, lætare et gaude, quia sævissimus rex Antiochus cum filia sua dei judicio in fulmine percussus est, opes autem et diademata nobis sunt reservata. Permitte me navigare cum viro meo! Rex autem exhilaratus naves jubet produci in litus et omnibus bonis impleri; propterea nutricem ejus, nomine Ligozidem, et obstetricem propter partum ejus simul navigare præcepit, et data proficiscendi copia deduxit ad litus, osculaturque filiam et generum navigando. Sed cum per aliquot dies in mari fuissent, surrexit tempestas magna; puella interim infirmatur, procreans filiam, quod facta est quasi mortua. Quod cum videret familia, exclamabat voce magna et ululatu. Hoc audiens Apollonius, cucurrit, vidit conjugem suam quasi mortuam jacentem, ut ei videbatur, scidit a pectore suo vestes,

profusis fletibus jactavit se super corpus ejus et ait: Cara conjux Altistratis filia, quid respondebo patri tuo pro te? Et cum hoc dixisset, dixit ei gubernator: Corpus mortuum navis sufferre non valet; jube ergo corpus in pelagum mitti, ut possimus evadere. Apollonius ait ad eum: Quid dicis, pessime? Placet tibi, ut hoc corpus in pelagus inmittam, quod me naufragum et egenum suscepit? Vocavit servos suos et ait: Faciatis loculum et foramina et cum bitumine linite et sit carta plumbea intus posita et obturetur perfecto loculo! Regalibus ornamentis exornavit puellam, in loculo ponunt et copiam auri ad caput ejus, et dedit osculum funeri, fundens super eam lacrimas. Tunc jussit infantem tolli et diligenter nutriri, ut pro filia nepotem regi ostenderet, et jussit loculum mitti in mari cum maximo fletu. Tertia die unda maris ejecit loculum ad litus Ephesorum a longe a domo cujusdam medici, Cerimonis nomine, qui cum discipulis suis eadem die in litore ambulavit. Tunc vidit loculum effusis fluctibus jacentem, ait servis suis: Tollite hunc loculum cum omni diligentia et ad villam perferte! Quod cum fecissent, medicus aperuit, vidit puellam regalibus ornamentis decoratam et speciosam valde et quasi mortuam jacentem, obstupuit et ait: O bona puella, quare estis sic derelicta? Vidit subtus caput ejus pecuniam positam et sub pecunia cartam scriptam et ait: Perquiramus, quid continetur in carta! Quam cum aperuisset, invenit titulum scriptum: Quicunque hunc loculum invenit, peto, ut X aureos habeat et X funeri impendat; hoc enim corpus multas lacrimas reliquit parentibus et dolores amaros. Quod si aliud fecerit, quam quod dolor exposcit, ultimum diem indicat, nec sit, qui ejus corpus sepulturæ commendat. Perlectis autem cartulis ad servos suos ait: Præstemus corpori, quod dolor exposcit! Juro vobis per spem vitæ meæ, in hoc funere amplius me erogaturum, quam dolor imperat. Continuo jubet parari rogum, sed cum ædificatur atque deponitur, supervenit discipulus medici adolescens et, quantum ad ingenium pertinet, senex. Hic cum corpus speciosum super rogum positum videret, intuens eum magister ait: Bene venisti, hæc enim hora exspectavit te. Tolle ampullam unguenti et quod supremum est de funere, superfunde sepulturæ! Venit juvenis ad corpus, extraxit de pectore vestes, fudit unguentum tractum manu, totum corpus ad præcordia vivere sensit. Obstupuit juvenis, palpat venas et indicia rimatur narium, labia labiis probat, sensit vitam cum morte luctantem et ait ad servos: Supponite faculas per quatuor angulos lente et temperate! Quo facto sanguis ille, qui coagulatus erat, est liquefactus. Quod ut vidit juvenis, ait magistro: Puella, quam mortuam dicis, vivit, et ut facilius mihi posses credere,

experimento satisfaciam. His dictis tulit puellam et in cubiculum suum posuit, super pectus ejus calefaciens oleum, madefecit lanam et posuit super corpus suum, sic, quod sanguis ejus, qui intus erat coagulatus esset, tempore liquefactus est, cœpitque spiritus per medullas descendere. Venis itaque patefactis, aperuit oculos et recipiens spiritum ait: Qualis tu es, non tangas aliter, quam oportet tangere, quia filia regis sum et regis uxor. Juvenis hoc audiens, gaudio plenus introivit ad magistrum in cubiculum, et ait: Ecce, magister, puella vivit! Qui ait: Probo peritiam, artem laudo, prudentiam miror. Diligentiam audi disciplinæ, noli artis tuæ esse ingratus, accipe mercedem, hæc enim puella multam pecuniam secum attulit! Et jussit eam salubribus vestibus cibis et fomentis optimis recreari. Post paucos dies, ut cognovit eam ex regio genere ortam esse, adhibitis amicis, filiam sibi adoptavit, et rogabat ab eo cum lacrymis, ne ab aliquo tangeretur. Inter sacerdotes Dianæ templi eam cum feminis misit, ut inviolabiliter servaretur. Inter hæc dum Apollonius navigat cum ingenti luctu, gubernante deo applicuit Tharso et descendens a rati petiit domum Stranguilionis et Dionysiadis. Quos cum salutasset, omnes casus suos exposuit ei dicens: Cum dolore mortua est conjux mea; tantum filia est servata, de qua gaudeo; ideo sicut in vobis confido, amissum regnum, quod mihi servatur, accipere volo, neque ad socerum revertar, cujus in mari perdidi filiam, sed agam potius opera mercatoris. Vobis commendo filiam meam, ut cum filia vestra Philomacia nomine nutriatur, et ut filia mea vocetur Tharsia; præterea uxoris meæ nutricem Ligozidem nomine curam tuæ puellæ custodire volo. Hæc dicens tradidit Stranguilioni infantem, deditque aurum, argentum et vestes copiosas et juravit, neque barbam neque capillos nec ungulas tonsurum, nisi prius filiam suam dedisset in matrimonium. At illi stupentes, quod tam graviter juraverat, cum magna diligentia educaturos se puellam repromittunt; Apollonius autem navem ascendit et ad longinquas regiones navigabat. Interea puella Tharsia expleta quinquennis studiis liberalibus traditur una cum Philomacia filia eorum coætanea sua; cumque ad XIV annos pervenisset, reversa de auditorio invenit nutricem suam Ligozidem subitaneam invalitudinem incurrisse, et sedens juxta eam causam infirmitatis explorat. Cui nutrix: Audi, bona filia, verba mea et in corde tuo reserva. Quem putas tu patrem aut matrem vel patriam? Ait puella: Patriam Tharsum, patrem Stranguilionem, matrem Dionysiadem. Nutrix ingemuit et ait: Audi, filia, originem natalium tuorum, ut scias, quomodo post mortem meam agere debeas! Est tibi pater nomine Apollonius, et mater

Lucina Altistratis regis filia. Quæ cum te pareret, statim præclusa spiritu mortua est. Quam pater tuus Apollonius effecto loculo cum ornamentis regalibus in mare misit, et XX sestertias auri posuit sub caput, et ubicunque esset devoluta, illæ in auxilium ejus fuissent. Navis quoque luctantibus ventis cum patre tuo lugente et te in cunabulis posita pervenit ad hanc civitatem. His ergo hospitibus Stranguilioni et Dionysiadæ una mecum te commendavit Tyrus Apollonius, votumque fecit, nec barbam nec capillos nec ungues tonsuris, nisi te prius nuptui traderet. Nunc moneo, si post mortem meam hospites, quos parentes apellas, injuriam aliquando tibi forte fecerint, ascende in forum et ibi invenies statuam patris tui stantem! Apprehende illam et clama: Filia ejus sum, cujus est hæc statua! Cives vero memores beneficiorum patris tui injuriam tuam vindicabunt. Cui Tharsia: Cara nutrix, deum testor, si ista mihi non dixisses, unde essem penitus nescirem. Et cum adinvicem loquerentur, nutrix emisit spiritum. Tharsia vero corpus nutricis suæ sepelivit et per totum annum ejus mortem lugebat. Postea induit priorem dignitatem, petiit scholas ad studia liberalia, et dum de scholis reverteretur, non prius cibum sumpsisset, antequam nutricis monumentum introisset. Ferens ampullam vini ingrediebatur et ibi manens parentes suos vocabat. Et dum hæc agerentur, quadam die Dionysiades cum filia sua Philomacia transibat per forum. Videntes omnes cives speciem Tharsiæ et ornamentum dixerunt: Felix pater, cujus filia Tharsia est! Illa vero et quæ adhæret ei turpis est et dedecus. Dionysiades ut audivit Tharsiam laudari et filiam suam vituperari, conversa in insaniam furoris sola sedens secum cogitavit: Pater ejus, ex quo hinc profectus est, habet annos XIV; non veniet ad recipiendum filiam, nec literas pro ea misit; puto quod mortuus est, nutrix ejus mortua est, neminem habeo æmulum; occidam eam et ornamentis ejus filiam meam ornabo. Et cum hoc cogitasset, venit quidam de villa Theophilus nomine, quem vocans ait: Si cupis præmium accipere, Tharsiam interfice! Ait villicus: Quid peccavit innocens virgo? Et illa: Pessima est, et ideo mihi negare non debes; fac quod jubeo, et si non feceris, male tibi eveniet. Et ille: Dic mihi, domina, qualiter hoc potest fieri? Quæ ait: Consuetudo ejus est, mox ut venerit de scholis, non prius sumere cibum, quam nutricis suæ introierit monumentum, ubi te cum pugione paratum inveniat. Apprehende crines ejus a vertice, et eam interfice, et corpus ejus mitte in mare, et libertatem tuam a me cum magno præmio accipies! Villicus tulit pugionem; gemens et flens ibat ad monumentum et dixit: Heu non merui libertatem, nisi per sanguinis effusionem innocentis

virginis? Puella autem rediens de scholis monumentum cum ampulla vini intravit, sicut solebat facere; villicus impetum fecit et apprehendens crines puellæ jactavit eam in terram. Dum autem volebat eam percutere, ait ad eum Tharsia: O Theophile, quid peccavi contra te vel contra aliquem, ut moriar? Ait villicus: Tu nihil peccasti, sed pater tuus, qui te cum magna pecunia et ornamentis regalibus reliquit. Cui puella: Peto, domine, ut si nulla spes mihi est, permittas me deum testari. Cui villicus: Testare, et deus ipse scit, quod coactus te interficio. Illa vero cum esset posita in oratione, venerunt piratæ videntes puellam sub jugo mortis stare, et hominem armatum volentem percutere eam, clamaverunt: Parce, crudelissime barbare! Illa est nostra præda, non tua victoria. At ille, ut talia audivit, fugiens post monumentum latuit in litore, piratæ vero rapuerunt virginem, mare petunt. Villicus rediit ad dominam et ait: Quod jussisti, factum est; tu vero, ut consulo, induas te lugibilem vestem et ego tecum, et effundamus lacrimas falsas in conspectu civium, et dicemus eam ex gravi infirmitate defunctam. Stranguilio ut audivit, terror et stupor eum invasit, et dixit: Da ergo et mihi vestem lugibilem, ut lugeam, quia tali scelere sum involutus! Heu quid faciam! Pater puellæ istam civitatem a periculo mortis liberavit, propter istam civitatem naufragium pertulit, bona perdidit et penuriam perpessus est, et restitutum est ei malum pro bono! Filiam suam, quam nobis misit nutriendam, crudelis leæna devoravit. Heu cæcatus sum, lugeam innocentem, vinctus sum ad pessimum venenosumque serpentem. Elevans oculos ad cœlum ait: Deus, tu scis, quia mundus sum a sanguine Tharsiæ; et requiras a Dionysiade! Respexit uxorem suam et ait: Quomodo suffocasti filiam regis, inimica dei hominumque opprobrium! Illa vero induit se et filiam suam lugubres vestes, falsasque lacrimas fuderunt coram civibus, dicentes: Cives carissimi, ideo ad vos clamamus, quia spes oculorum nostrorum Tharsia, quam vidistis, subito dolore defuncta est et nobis cruciatus et amaros fletus reliquit; quam digne sepeliri fecimus. Tunc pergunt cives ubi figuratum erat ex promeritis patris fabricatum ex ære corpus, ubi cives Tharsiæ virgini pro beneficiis patris ejus sepulcrum ex ære collatum fecerunt. Igitur qui puellam rapuerant venerunt ad civitatem Machilentam; deponitur ergo illa inter cetera mancipia venalis. Audiens eam leno infaustissimus ac impurus, contendere cœpit, ut eam emeret; sed Athenagora princeps ejusdem civitatis videns eam nobilem, pulchram, sapientem, obtulit decem sestercias auri. Leno ait: Ego dabo XX. Athenagora ait: Ego dabo XXX. Leno: Ego XL. Athenagora: Ego L. Leno: LXXX. Athenagora:

XC. Leno: C sestertias in præsenti dabo. Et ait: Si quis amplius X sestertias auri, dabo supra. Athenagora ait: Ego, si cum lenone contendere voluero, ut unam emam, plures venditurus sum; permittam eum emere, et cum prostituerit eam, lupanar intrabo, prius ad illam, et eripiam nodum virginitatis ejus, et erit mihi sicut emerim eam. Quid plura? Perrexit cum lenone in salutatorium, ubi habuit Priapum aureum et gemmis adornatum et ait: Puella, adora istum! Ait illa: Nunquam tale adorem. Et ait: Domine, numquid Lapsatenus es tu? Leno ait: Quare? Et illa: Quia Lapsateni colunt Priapum. Leno ait: Nescis tu misera, quia in domum lenonis avari incurristi? Puella prosternens se ad pedes ejus ait: O domine, miserere virginitati meæ, ne prostituas hoc corpus pro tali turpi titulo! Cui leno: Nescis, quia apud lenonem et tortorem nec preces nec lacrimæ valent? Tamen vocavit villicum puellarum et ait: Hæc puella ornetur vestibus puellaribus pretiosis et scribatur ei titulus: Quicunque Tharsiam violaverit, mediam libram dabit; postea ad singulos solidos parebit populo. Villicus fecerat, quod jussum fuerat. Cum lenone antecedente turba tertia die cum symphonia ducitur ad lupanar, sed Athenagora princeps primus ingreditur velato capite. Tharsia videns eum, projecit se ad pedes et ait: Miserere mei, domine, propter deum, et per deum te adjuro, ne me violes! Resiste libidini tuæ, et audi casus infelicitatis meæ, et originem unde sim diligenter considera. Cui cum universos casus suos exposuisset, princeps confusus et pietate plenus ait ei: Habeo et ego filiam tibi similem, de qua similes casus metuo. Hæc dicens dedit ei XX aureos dicens: Ecce habes amplius pro virginitate, quam impositum est. Dic advenientibus, sicut mihi dixisti, et liberaberis. Puella profusis lacrimis ait: Ego pietati tuæ gratias ago, et ne alicui narres, quæ a me audisti! Athenagora ait: Nisi narravero filiæ meæ, cum ad talem ætatem pervenerit, similem casum ne patiatur. Et cum lacrimis discessit. Cui exeunti obviavit ei alius et ait: Quomodo tibi convenit puella? Ait princeps: Non potest melius. Erat enim tristis. Intravit juvenis, puella more solito ostium claudit. Cui juvenis: Quantum dedit tibi princeps? Ait puella: Quadraginta aureos. Et ille: Accipe integram libram auri! Princeps audiens ait: Quanto plus dabis, tanto plus plorabit. Puella nummos accepit, projiciens se ad pedes et casus indicavit. Apoziatus juvenis ait: Surge, domina, homines sumus, casibus omnes subjacemus. His dictis exiit, vidit itaque Athenagoram ridentem, ait illi: Magnus homo es, non habes, cui lacrimas propines, nisi mihi. Et jurabant, ne hæc verba cuiquam proderent, et cœperunt adventum aliorum exspectare. Venerunt multi dantes

pecuniam, sed flentes exibant. Postea obtulit pecuniam lenoni dicens: Ecce pecuniam virginitatis! Ait leno: Vide quotidie, ut tantas pecunias mihi offeras! Altera die adhuc eam virginem audiens iratus vocans villicum puellarum dixit: Duc eam ad te et frange nodum virginitatis ejus! Cui villicus ait: Dic mihi, si virgo es? At illa: Quamdiu vult deus, virgo sum. At ille: Unde tantam tulisti pecuniam? Puella ait: Lacrimis profusis exponens casus meos rogavi homines, ut misericordiam virginitatis meæ haberent. Et prosternens se ad pedes ejus ait: Miserere mihi, domine, subveni captivæ regis filiæ, ne violes me! At ille: Leno est avarus; nescio, si possis virgo permanere. Ait illa: Studiis liberalibus erudita sum et in genere musicali possum modulari. Duc me in forum, ubi poteris facundiam meam audire, propone quæstiones populo, et proposita solvam. In hac arte applicabo pecunias quotidie. At ille: Mihi bene placet. Omnis populus cucurrit ad virginem videndam. At illa ingreditur facundiam studiorum, quæstiones sibi proponi jussit, omnes clare solvit, et sic per talem modum multam pecuniam a populo recepit. Athenagora illam integra virginitate custodivit ut unicam filiam, ita, ut eam multis donis villico commendaret. Cum hæc agerentur, venit Apollonius, XIV anno jam transacto, ad domum Stranguilionis et Dionysiadis ad civitatem Tharsim. Quem cum vidisset Stranguilio, perrexit rapido cursu dixitque uxori suæ Dionysiadæ: Dixisti Apollonium naufragum esse mortuum; ecce venit ad repetendam filiam! Ecce, quid dicturi sumus pro filia? Et illa: Miser vir et ego conjux accipiamus vestres lugubres, perfundamus lacrimas et credet nobis, quia filia ejus naturali morte defuncta est. Cum hæc ita agerentur, intravit Apollonius; ut vero vidit eos lugubri veste indutos, ait: Quare in adventu meo funditis lacrimas? Credo, quod istæ lacrimæ non sunt vestræ, sed meæ. Ait mulier nequam: Utinam ad aures tuas alius et non ego aut conjux meus diceret, quod jam dicam! Tharsia tua filia subito defuncta est. Apollonius hoc audiens, totum corpus ejus contremuit, diuque defixus stetit. Tandem resumpto spiritu intuens mulierem ait: O mulier, si filia mea defuncta est, ut dicis, numquid et pecunia ac vestes simulque perierunt? At illa: Aliquæ sunt, aliquæ perierunt. Et dixerunt: Crede nobis, quia credidimus, quod filiam venientem invenires, et ut scias, nos non esse mentitos, habemus testimonium; cives enim nostri memores beneficiorum tuorum in proximo litore ex ære collato filiæ tuæ monumentum fecerunt, quod potes videre. Apollonius credens, eam esse defunctam, ad famulos ait: Tollite hæc, famuli, et ferte ad navem! Ego vadam ad filiæ meæ monumentum. Legit titulum sicut superius est scriptum. Stetit quasi extra se, maledicens oculos proprios te

ait: O crudeles oculi filiæ meæ Cernuæ, non potuistis lacrimas fundere! His dictis ad navem perrexit et ait famulis suis: Projicite me, quæso, in profunditatem maris! Cupio enim in undis exhalare spiritum. Et dum prosperis navigat Tyrum, reversus subito, mutatum est pelagus et per diversa maris discrimina naves jactabantur; omnibus autem deum rogantibus ad Machilenam civitatem, in qua erat filia sua Tharsia, venerunt; gubernator autem cum omnibus magnum plausum dedit. Ait Apollonius: Quis sonus hilaritatis aures meas percussit? Ait gubernator: Gaude, domine, quia hodie natalia celebrantur! Apollonius ingemuit et ait: Et omnes diem festum celebrant præter me; sufficiat famulis meis pœna mea ac dolor, dono eis X aureos, et emant, quæ voluerint, et diem festum celebrant, et quicunque vocaverit me vel gaudium mihi fecerit, crura illorum frangi jubeo. Dispensator itaque necessaria tulit et rediit ad navem. Cum ergo omnibus navibus navis Apollonii honoratior esset, cum magno convivio ceteris melius celebrant nautæ Apollonii. Athenagora, qui Tharsiam diligebat, juxta navem in litore ambulabat, vidit navem Apollonii et ait: Ecce, amici, navis ista mihi placet, quam video decenter esse paratam. Nautæ ut audiunt suam navem laudari, dixerunt ei: O domine, rogamus, in navem nostram ascendatis! Et ille: Mihi placet. Ascendit et libenti animo discubuit, posuitque decem aureos in mensa et ait: Ecce non frustra me invitaveritis! Et dixerunt: Domine, regratiamur vobis. Cum autem princeps vidisset omnes discumbentes, ait: Quis est dominus navis? Ait gubernator: Dominus navis in luctu moratur; jacet inferius et mori optat in mari, conjugem perdidit et filiam in terra aliena. Athenagora ait uni servo Ardalio nomine: Dabo tibi duos aureos; tantum descende et dic ei: Rogat te princeps civitatis hujus, procede de tenebris ad lucem! Ait juvenis: Non possum aureis tuis crura reparare. Quære alium, quia jussit, quicunque eum appellaverit, crura ejus frangantur. Athenagora ait: Hanc legem vobis constituit, non mihi; ego autem descendam ad eum. Dicito mihi, quomodo vocatur. At illi: Apollonius. Audito hoc nomine, ait intra se: Et Tharsia appellavit patrem suum Apollonium! Descendit ad eum; quem ut vidit barba prolixa, caput squalidum, submissa voce dixit: Ave, Apolloni! Apollonius ut audivit, putans se ab aliquo servorum apellari, turbulento vultu respiciens vidit ignotum hominem, honestum et decorum, siluit. Ait ei princeps: Scio, te mirari, quod ego ignotus te appellavi. Disce, quia princeps sum hujus civitatis, Athenagora nomine; descendi ad litus naves contuendas; inter ceteras vidi navem tuam decenter ornatam et amavi adspectum suum; invitatus eram a nautis tuis, ideo ascendi

et libenti animo discubui; inquisivi dominum navis, quem dixerunt in luctu grandi esse; propter quod ad te descendi, ut te de tenebris producerem ad lucem; spero, quia dabit tibi deus post luctum gaudium. Apollonius levavit caput et dixit: Quis es, domine, vade in pace; ego autem non sum dignus epulari, et ideo amplius vivere nolo. Athenagora confusus ascendit in superiori navis et dixit: Non valeo persuadere domino vestro, ut ad lucem exeat; quid faciam, ut revocem a proposito mortis? Vocavit unum de pueris suis et ait: Vade ad lenonem et roga eum, ut mittat ad me Tharsiam; habet enim sapientiam et sermonem suavem; poterit eum forsitan exhortari, ne talis taliter moriatur. Venit igitur puella ad navem, ad quam ait Athenagora: Veni ad me, Tharsia! Ubi nunc est ars studiorum tuorum, ut consoleris dominum navis in tenebris sedentem, et ut provoces eum exire ad lucem, quia nimis dolet pro conjuge et filia sua. Accede ad eum, ut ad lucem veniat, quia forte deus per te luctum suum in gaudium convertet. Si enim hoc poteris facere, dabo XXX sestertias auri et tot argenti et per triginta dies redimam te a lenone. Puella hæc audiens, constanter ad eum descendit et humili voce salutat eum dicens: Salve, quicunque es, et lætare, quia innocens virgo, quæ virginitatem suam inter naufragia sua et castitatem inviolatam conservavit te salutat! Tunc in carminibus cœpit modulata voce cantare et in tanta dulcedine, quod admirabatur Apollonius; et dixit cantando ea, quæ hic sequuntur:

Per scortes gradior, sed scortum conscia non sum,
Sic spinis rosa nescit violarier ullis,
Corruit et raptor gladium ferientis ab ictu.
Tradita lenoni, non sum violata pudore.
Vulnera cessassent animi, lacrimæque deessent.
Nulla ergo melior, si noscam certa parentes.
Unica regalis generis sum stirpe creata.
Ipsa jubente deo lætari credo aliquando.
Fuge modo lacrimas, curam dissolve modestam!
Redde polo faciem mentemque ad sidera tolle!
Jam deus est hominum plasmator rector et auctor;
Non sinet has lacrimas casso finire labore.

Ad hæc Apollonius levavit oculos, et ut puellam vidit, ingemuit et ait: Heu mihi misero, quamdiu luctabor! Gratias ago prudentiæ tuæ et nobilitati! Hanc vicem rependo, ut memor tui sim; quando lætari licet, regni mei viribus levabor; forsitan, ut dicis, regio genere orta es, natalibus parentum tuorum repræsentaberis; nunc accipe certum aureos et recede! Noli me apellare; recenti enim luctu renovata calamitate tabesco. Puella acceptis aureis abire cœpit et ait ad eam Athenagora: Quo vadis, Tharsia? Sine effectu laborasti; non

potuisti facere misericordiam ac subvenire homini interficienti se? Et ait Tharsia: Omnia, quæcunque potui, feci, et dans mihi centum aureos abire rogavit. Athenagora ait: Dabo tibi ducentos et descende et redde ei, quos dedit, et dic: Salutem tuam quæro et non pecuniam. Descendens Tharsia ait, ei sedit juxta eum: Si in isto squalore æstimasti manere, permitte me tecum sermocinari! Si ergo parabolarum mearum solveris quæstionem, vadam; sin alias, refundam tibi pecuniam et recedam. Tunc Apollonius, ne reciperet pecuniam, sed etiam puellæ prudenti ne negaret sermones, ait: Licet in malis meis nulla cura mihi suppetat, nisi flendi et lugendi, tamen, ne ornamento tuæ prudentiæ caream, dic, quæ mihi interrogatura es, et abscede; peto enim ut fletibus meis spatium tribuas. Ait Tharsia: Audito me!

Est domus in terris, quæ nobis clausa resultat;
Ipsa domus resonat, tacitus sed non sonat hospes,
Ambo cum currunt, hospes simul et domus una.

Et ait: Si rex es, ut dicis, convenit te mihi esse prudentiorem; solve quæstionem! Ait Apollonius: Nec scias, me esse mentitum! Domus, quæ in terra resonat, unda est; hospes tacitus piscis est, qui cum domo sua currit. At illa:

Longa feror velox formosæ filia silvæ,
Innumera pariter comitum stipante caterva,
Curro vias multas, vestigia nullo relinquo.

Apollonius ait: Si licitum esset, ostendam tibi multa, quæ nescis, cum respondebo quæstionibus tuis; miror te tam tenera ætate mirifica prudentia esse imbutam, namque arbor stipata catervis vias multas currens et vestigia nulla relinquens navis est. Et addit puella:

Per rotas et ædes innoxius ille pertransit,
Est calor in medio magnus, quem nemo removit;
Non est nuda domus, nudus sed convenit hospes;
Si luctum poneres, innocens intrares in ignes.

Apollonius ait: Intrarem balneum, ubi hincinde flammæ per tabulas surgunt; nuda domus, in qua nihil est, nudus hospes convenit et nudus sudabit. Cumque hæc et similia dicerent, puella misit se super Apollonium et distractis manibus eum amplexebatur dicens ei: Exaudi vocem deprecantis, respice virginem, quia virum talem prudentem mori nefarium est. Si conjugem, quam desideras, deus ex sua gratia tibi restituat, si filiam salvam, quam defunctam dicis, invenire poteris, præ gaudio oportet te vivere. Apollonius, cum verba hæc audisset, in iracundiam versus est, surrexit et puellam cum pede percussit. Impulsa vero cecidit virgo et genis ejus ruptis cœpit sanguis effluere. Conturbata virgo cœpit flere et dixit: O deus conditor cœlorum, vide afflictionem meam! Nata sum inter fluctus et

procellas maris, mater mea doloribus constricta defuncta est, et sepultura est ei negata in terris, ornata a patre meo et in loculo posita cum XX sestertiis auri mari tradita est; ego infelix Stranguilioni et Dionysiadæ impiissimis hominibus a patre meo sum tradita cum ornamentis et vestibus regalibus, et jussa sum a servis eorum occidi; tandem petivi, ut deum invocarem, antequam me occideret; mihi concessit; piratis supervenientibus rapta sum, et qui me occidere volebat, fugam petiit et in hunc locum deducta, et deus, quando ei placet, me reddat patri meo Apollonio. Apollonius audiens omnia hæc signa certissima, exclamavit voce magna et ait: O domine misericors, qui conspicis cœlum et abyssum, et omnia secreta patefacis, benedictum sit nomen tuum! Cum hæc dixisset, cecidit super amplexus Tharsiæ filiæ suæ et osculatus est eam cum lætitia et præ gaudio flevit amare et ait: O dulcissima nata mea et unica dimidium animæ meæ, non moriar propter te; inveni, propter quam volui mori! Alta voce clamabat dicens: Currite, famuli, currite, amici, currite, omnes, et miseriæ meæ finem imponite! Inveni quam perdideram, scilicet unicam filiam meam. Audito clamare, famuli currerunt, currit inter illos Athenagora princeps, et descendentibus illis in navem, invenerunt illum flentem præ gaudio super collum filiæ suæ et dicentem: Ecce filia mea, quam lugeo, dimidium animæ meæ! Jam volo vivere. Omnes præ gaudeo cum eo flebant. Tunc erigens se Apollonius, projectis vestibus lugubribus, indutus est vestibus mundissimis et omnes dixerunt: O domine, quam similis est filia tua vobis! Si non esset aliud experimentum, sufficeret ejus similitudo ad probandum, eam esse filiam tuam! Tunc filia bis, ter, quater osculata est patrem et ait: O pater, benedictus deus, qui mihi gratiam dedit, quod te videre potero, tecum vivere, tecum mori! Et narravit ei, quomodo a lenone comparata et in lupanari esset posita, et quomodo deus virginitatem suam custodivit. Audiens hæc Athenagora, timens scilicet, ne filiam alteri in uxorem daret, misit se ad pedes Apollonii dicens: Adjuro te per deum vivum, qui te patrem filiæ restituit, ne alteri filiam des in conjugem, nisi mihi; sum enim princeps hujus civitatis, meo auxilio virgo permansit et me duce te patrem agnovit. Cui Apollonius ait: Non possum tibi esse contrarius, quia multa pro filia mea fecisti, et ideo opto, ut sit uxor tua; et tunc restat, ut vindicem me a lenone. Athenagora civitatem intravit convocatisque civibus dixit: Ne pereat civitas propter unum impium! Sciatis Apollonium regem, patrem Tharsiæ, huc venisse! Ecce classes navium properant cum grandi exercitu ad destruendam civitatem propter lenonem, qui filiam suam Tharsiam in lupanari constituit. His dictis

concursus factus est et tanta commotio populi, ut nec viri nec feminæ manerent, quin currerent omnes ad Apollonium regem, videndo eum et misericordiam ab eo petendo. Ait Athenagora: Consulo ad hoc, ne destruatur civitas, deducatur ad eum leno. Captus est statim et ligatis manibus leno a tergo deducitur ad regem. Apollonius regia veste indutus, tonso capite, diadema imposuit capiti suo, tribunal ascendit cum filia et civibus dixit: Videtis Tharsiam virginem a patre suo hodie cognitam, quam cupidissimus leno, quod erat in eo, ejus corruptionem confusionem perpetuam procurabat, nec amicitia sua, nec pretio, nec prece desistere volebat. Facite ergo filiæ meæ vindicationem! Omnes una voce dixerunt: Domine, leno vivus comburatur, et divitiæ ejus puellæ dentur! Protinus adducitur leno et coram omnibus in igne ponitur et totaliter comburitur. Tharsia ait villico: Dono libertatem, quia beneficio tuo et civium virgo permansi. Et donavit ei ducentos aureos et libertatem, libertatem cunctis puellis coram se præsentatis perdonavit et dixit: Quid de corpore vestro hactenus servistis, ex hoc liberæ estote! Apollonius ad populum loquens: Gratias vobis de beneficiis vestris reddo, mihi et filiæ meæ factis; nunc ego tribuo vobis auri pondera quinquaginta. Illi ei capita sua inclinabant, gratias referentes; cives omnes statuam Apollonii in medio civitatis statuerunt et in basi scripserunt: Tyro Apollonio restauratori domuum nostrarum et Tharsiæ sanctissimæ filiæ ejus virgini. Post paucos dies Apollonius tradidit filiam suam in conjugem Athenagoræ cum ingenti lætitia totius civitatis et cum genero et filia navigans cum omnibus suis volens per Tharsum proficiscendo ad patriam suam ire, in somnis admonitus est per angelum, ut Ephesum iret et intraret in templum Ephesorum cum filia et genero suo, ibique omnes casus suos alta voce exponeret, quos passus esset a juventute sua; postea venerit Tharsum et vindicaret filiam suam. Apollonius expergefactus omnia indicavit genero et filiæ suæ; illi autem dixerunt: Fac, domine, quod tibi videtur bonum! Tunc jussit gubernatorem navigare Ephesum. Qui cum descendisset ratim, cum suis templum petiit, ubi conjux sua inter sacerdotes sancte vixit; rogavit, ut templum aperiretur, quod factum est; hæc audiens uxor ejus, quod quidam rex venerat cum filia et genero, gemmis regalibus ornavit caput suum et induit se veste purpurea et cum honesto comitatu templum intravit; erat nimis pulchra et ob nimium castitatis amorem asserebant omnes, nullam tam gratam esse virginem. Quam videns Apollonius in nullo notitiam ejus habebat, misit se ad pedes ejus cum filia sua et genero; tantus enim splendor ejus pulchritudinis imminebat, ut ipsa Dianam esse videntibus putaretur;

statuit in templo pretiosa munera et post hæc cœpit Apollonius dicere, sicut angelus ei dixerat: Ego ab adolescentulo rex natus Tyrus Apollonius nominatus, cum ad omnem scientiam pervenissem regis iniqui Antiochi quæstionem exsolvi, ut ejus filiam acciperem; ille vero eam defloraverat ac in impietate sua continue tenuit, et me occidere conabatur; fugam petii et in mari omnia perdidi, et post a rege Altistrate gratissime susceptus intantum ejus benevolentiam sum expertus, ut mihi filiam suam in uxorem daret. Deinde mortuo Antiocho ad regnum percipiendum uxorem meam mecum duxi. Hanc filiam peperit uxor mea in mari, de cujus partu defuncta est, quam ego cum viginti sestertiis aureis in loculo clausam in mare misi, ut inventa digne sepeliretur; et hanc filiam meam nequissimis hominibus ad nutriendum commendavi, et superiores partes Aegypti petii. Quarto autem decimo anno adveniens, ut filiam meam expeterem, dixerunt, eam esse defunctam, et dum credidi, in luctu vixi et in lugubribus vestibus, et mori cupiens, mihi filia mea reddita est. Cum hæc et his similia narraret, Altistratis regis filia uxor ejus levavit se et rapuit eum in amplexus, volensque eum osculari, Apollonius autem repulit eam a se cum indignatione, ignorans quod uxor sua esset. At illa: O domine mi, dixit cum lacrimis, dimidium animæ meæ, cur sic agis? Ego sum conjux tua Altistratis regis filia, et tu es Tyrus Apollonius maritus et dominus meus, tu es magister meus, qui me docuisti, tu es naufragus meus, quem amavi, non causa libidinis sed sapientiæ. Apollonius hæc audiens notitiam ejus statim habens, cecidit super collum ejus et præ gaudio lacrimas emisit dicens: Benedictus altissimus, qui mihi filiam cum uxore reddidit! At illa: Ubi est filia mea? Et ipse ostendens Tharsiam dixit: Hæc est filia tua Tharsia. Illa vero oscula est eam, et sic cum lætitia magna in tota civitate illa et in circuitu, quod rex Apollonius uxorem suam in templo invenit, famatum est. Apollonius ascendit navem cum uxore et filia et genero revertens ad patriam suam. Veniens igitur Apollonius Antiochiam, regnum sibi reservatum recepit, et pergens Tyrum constituit in locum suum Athenagoram generum suum. Deinde cum ipso genero uxore et filia et cum exercitu regio veniens Tharsum, jussit apprehendere Dionysiadem et Stranguilionem et duci ante se, et coram omnibus ait: Cives Tharsenses, numquid vestrum alicui exstiti ingratus? Omnes dixerunt: Non, domine! Parati sumus pro vobis mori. Hæc statua est facta, quia nos a morte servastis. Apollonius ait: Commendavi filiam meam Stranguilioni et Dionysiadi uxori suæ et eam mihi reddere noluerunt. Infelix mulier ait: Bone domine, numquid tu ipse titulum

monumenti ejus legisti? Apollonius jussit filiam suam venire in præsentia omnium, et Tharsia maledixit mulieri et dixit: Ave, salutat te Tharsia ab inferis revocata! Infelix mulier videns eam toto corde contremuit, cives mirabantur et gaudebant, et jussit Tharsia venire villicum, cui ait: Theophile, tu agnosti, clara voce responde, quis ad me interficiendum te obligavit? Villicus ait: Dionysiades domina mea. Tunc cives rapuerunt Stranguilionem et Dionysiadem, et extra civitatem trahentes lapidaverunt, volentes et Theophilum occidere; sed Tharsia eum a morte liberavit dicens: Nisi mihi spatium ad orandum dedisset, modo eum non defenderem. Apollonius dedit munera civitati ad restaurandum civitatem et moratus est ibi tribus mensibus, navigans inde Pentapolin civitatem. Curiam ingreditur ad Altistratem regem gaudens. Rex senex factus est, vidit filiam et neptim cum marito suo rege. Per integrum annum lætanter simul permanserunt. Post hæc moritur perfecta ætate, manibus eorum dimittens dimidietatem regni sui Apollonio et medietatem filiæ suæ. Omnibus his peractis dum ambularet Apollonius juxta mare, vidit piscatorem, qui eum post naufragium accepit, jussitque eum apprehendere et ad palatium duci. Videns piscator a militibus se apprehendi, putavit occidi. Ingressus Apollonius jussit eum adduci ad se dicens: Hic paranymphus meus, qui mihi post naufragium opem dedit, et ad civitatem venire ostendit! Et dixit ei: Ego sum Apollonius Tyrus. Et jussit sibi dari CC sestertias, servos et ancillas, et fecit eum comitem suum, quamdiu vixit. Elamitus, qui ei de Antiocho nuntiavit, procidens ad pedes Apollonii et ait: Memor esto, domine, Elamiti servi tui! Apollonius apprehensa manu ejus erexit eum fecitque eum divitem et ordinavit in comitem. His expletis genuit Apollonius filium de conjuge sua, quem in locum avi Altistratis constituit regem. Vixit Apollonius cum conjuge sua LXXXIV annos et tenuit regnum Antiochiæ, Tyri et Tyrensium quiete ac feliciter. Casus suos descripsit ipse, duo volumina perfecit, unum in templo Ephesorum, alterum in sua bibliotheca collocavit. Defunctus est perrexit ad vitam æternam, ad quam etc.

Cap. 154.

De cœlesti patria.

Narrat Gervasius, quod in Edissa civitate ob præsentiam sanctæ imaginis Christi nullus hæreticus vivere potest, nullus paganus, nullus idolorum cultor, nullus Judæus, sed nec locum illum barbari possunt

invadere. Si quando exercitus obvenit hostilis, stans super portam civitatis innocens puerulus epistolam legit, et sic eadem die, qua legitur epistola, aut placantur barbari aut fugiunt effeminati.

Moralisatio. Carissimi, civitas ista est civitas illa, de qua in apocalypsi dicitur: Vidi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo, novam sicut sponsam ornatam viro suo. Civitas ista construitur ex vivis lapidibus i. e. sanctis martyribus et aliis Christo devotis et placentibus; in qua propter præsentiam sanctæ imaginis Christi nullus idolorum cultor aut hæreticus neque barbarus audet accedere, nec locum illum invadere. Vel civitas ista potest dici corpus nostrum, in quo propter præsentiam sanctæ imaginis Christi i. e. animæ infusæ et per baptismum a peccato originali lotæ nullus hæreticus i. e. nulla diaboli versutia aut pompa vivere potest, quoniam in baptismo deo firmiter adhærere promisimus et diaboli pompis abrenuntiavimus, quoniam homo ad imaginem trinitatis sanctæ factus et creatus est, ut dicitur Genes. I: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Ideo diabolus in eo post baptismum vivere non potest, nisi homo voluerit; hostis enim noster ita debilis est, quod neminem superare poterit, nisi homo voluerit. Sed nec locum illum barbari possunt invadere. Barbari sunt peccata mortalia, quæ per præsentiam divinæ gratiæ animam nostram invadere non possunt. Et si ex fragilitate conditionis nostræ et carnis suggestione anima per peccatum aliquod mortale aut saltem enorme invaditur, puerulus innocens i. e. conscientia remordens exercitum hostilem obvenientem per epistolam confessionis debet repellere et post confessionem pro peccatis satisfacere. Et sic eadem die, qua puerulus stans in porta i. e. in inchoatione bonæ vitæ epistolam emendationis et confessionis legit, totiens quotiens barbari conscientiam invadentes et bonum opus nostrum retardantes aut placantur, aut effeminati fugiunt; sed nunquam placantur, quia dum opera nostra bona conspiciunt, plus in tentationis furiam vertuntur aut insaniunt. Si autem ex lapsu carnis nos in præsenti laqueum inciderimus, nullam tamen ex hoc placationem diaboli, ut a tentatione desistet, habere poterimus. Ergo effeminati et devicti a nobis fugiunt; stultum enim est servire diabolo, qui nullo placatur obsequio; sed adhærendum est deo, qui sibi servientibus vitam et mercedem æternam retribuit.

Cap. 155.

De modo pugnæ in passione Christi contra diabolum.

In Anglia, ut narrat Gervasius, ad terminos episcopatus elienensis est castrum Cathubrica nomine, infra cujus limites e vicino locus est, quem Vandaleburiam dicunt, eo quod illic Vandali partes Brittanniæ sæva Christianorum peremptione vastantes castrametati sunt. Ubi vero ad monticuli apicem fixere tentoria, planities in rotundum vallatis circumcluditur, unico adinstar portalis aditu patens ad ingressum. In hanc campi planitiam, ut ab antiquissimis temporibus colitur fama, quæ vulgo testatur, post noctis canticinium lucente luna, si quis miles exclamat: Miles contraveniat! statim ex adverso miles occurrit, qui ad congrediendum paratus concurrentibus equis aut resistentem dejicit aut dejicitur, et intra aditus illius septa solus miles ingreditur et ab exteriori adspectu alicujus foris non artatur. Ad hujus rei fidem rem gestam et multis vulgo cognitam subjungo, quam ab incolis et indigenis auditui meo subjeci. Erat in Brittannia majori paucis exactis diebus miles Albertus armis strenuissimus omnibus virtutibus decorus. Hic aliqua die castrum memoratum hospes ingreditur, et cum in hiemis intemperie post cœnam noctu familia diutius ad focum, ut potentibus moris est, recensendis antiquis historiis operam daret, tandem occurrit ab indigenis prætaxatum mirabile recensitum. Vir ergo strenuus, ut quod auribus hauserat rei ipsius experientia probaret, unum de nobilibus armigeris elegit, quo comite locum adiit. Ad ostensum locum loricatus miles appropinquans ascendit, dimissoque servo nobili solus campum ingreditur. Exclamat miles, ut alterum inveniat, et vocem ex opposito miles adinstar militis celer occurrit, pariterque ut videbatur armatus. Quid plura? Extensis clipeis, directis hastis equi concurrunt, equites impulsibus mutuis concutiuntur, et elisa jam alterius lancea ictuque evanescente per libricum, Albertus adversarium suum potenter impellit ad casum. Cadens et sine mora resurgens Albertum per luta respicit, equum ex causa lucrativa abducere, lanceam subducit, et dum eam modo jaculi missilis emittit, femur Alberto ictu atrocissimo transfodit. Ex adverso miles noster, aut præ gaudio victoriæ ictum vulnusque non sentiens aut dissimulans, disparente adversario campum victor egreditur, equum lucratum armigero tradidit, statura grandem, levitate agilem et in apparentia pulcherrimum. Regredienti viro nobili turba familiaris occurrit, eventum miratur, casum dejecti militis gratum habens, et strenuitatem tam illustris baronis commendans, et

cum caligas ferreas discalciaret, unam sanguinis coagulo vidit oppletam. Stupet familia de vulnere, sed dominus indignatur timere, concurrit excitatus populus, et quos ante somnus presserat, excrescens admiratio ducit ad vigilandum. Testis triumphi equus freno non dimisso tenetur ad publicum conspectum expositus, oculis torvis, cervice erecta, pilo nigro, sella militari. Jam gallicantus advenerat, equus saltibus æstuans, naribus ebulìens, pedibus terram pulsans, loris quibus tenebatur diruptis, in naturalem se recipit libertatem, fuga facta insecutus disparuit et nobilis miles noster id injusti vulneris perpetuum habebat monumentum, quod singulis annis, illo eodem noctis renovante momento vulnus in superficie cutis superductum recrudescebat. Unde factum est, ut post annos paucos miles illustris transfretavit et sub multiplicata contra paganos pugnandi strenuitate vitam domino reddens commendavit.

Moralisatio. Carissimi, miles iste strenuissimus est dominus noster Jesus Christus, qui est miles et rex regum et dominus dominantium, qui cum milite adversario scilicet diabolo pugnaturus de castro supernorum civium mundum istum ingreditur. Humanum genus redimi non potuisset, nisi dei filius mundum contra diabolum pugnaturus intrasset. Nam ante Christi nativitatem nullus sanctorum, quamquam justus fuerit, regnum cœlorum intrare potuit; propterea dei filius ex consultu dei patris ab indigenis suis hoc mirabile intelligens, qui ante multa annorum milia limbum inferni introierant. Unum de nobilibus armigeris elegit, quo comite mundum istum intravit, cui equum ante tempus pugnæ commendavit, quia dum Christus de Maria virgine nasci voluit, ab ejus purissimo sanguine spiritu sancto cooperante carnem assumpsit, quam pro armigero deputat. Sed cum miles iste campum intrasset et adversarium suum diabolum considerasset, exclamat miles, ut alterum inveniat, et ecce ex opposito alter miles scilicet diabolus adinstar militis per superbiam armatus occurrit. Sed dominus noster omnes, quos secum habuit, dimisit, solus campum intravit præter equum id est humanitatem; qui dum tempus passionis ejus appropinquaret et Judæi eum caperent et crucifigerent, nullum secum habuit, quia discipuli, ut evangelistæ testantur, relicto eo fugerunt, in horto solus, in captura solus, in cruce solus, in omnibus passionibus suis et angustiis corporis solus, ita ut impleretur illud Isai.: Torcular calcavi solus, de gentibus non est vir mecum. Quid plura? Extensis clipeis, directis hastis equi etc. Quia dum Christus humanam naturam, ad quam redimendam venerat a lapsu primorum parentum erigeret, humilitatis suæ clipeum extendit, hastam superbiæ nequissimi diaboli fregit et adversarium

suum potenter impulit ad casum, et ad inferni profundissima dimersit. Sed miles noster Jesus Christus in hac pugna i. e. passione sua per Judæ traditionem et multivariam derisionem ac postremum per mortis et crucis sententiæ prolationem cadens et cito resurgens, quia die tertia (sicut ipse de se testatur: Præcedam vos in Galilæam) resurrexit. Tunc adversarius Christi lanceam in die parasceues subducit et femur nobilissimi regis nostri ictu atrocissimo transfodit; quod Christus autem præ gaudio victoriæ ictum vulnusque non sentiens aut dissimulans, disparente adversario, quia dum Christus moreretur in cruce, diabolus, si quid in eo potestatis habere potuisset, ad eum venit, quia purum hominem eum credidit. Miles disparente adversario et debellato mundi campum victor egreditur, equum lucratum i. e. corpus et animam in die ascensionis suæ deo patri tradidit; sed dum nobilis iste de mundo in monte oliueti ad patrem regreditur, turba familiaris occurrit, quoniam omnium prophetarum et patriarcharum numerus aliorumque sanctorum exercitus lætissimi ex victoria facti et in limbo infernorum adhuc reclusi singulatim dicebant: Advenisti, desiderabilis etc. Eventum mirantur, casum dejecti militis adversarii sui gratissimum habentes et strenuitatem tam illustris baronis commendantes, sed et miles vulnera de triumpho in signum victoriæ retinuit, quæ in extremo judicio justis ad præmium et peccatoribus ad supplicium ostendet. Stupet familia de vulnere i. e. omnes electi mirantur de tam acerba morte et Christi passione, ei regratiantes, sed dominus dedignatur timere, quia viriliter contra mundum, carnem et dæmonem pugnavit ac potenter superavit. Devotus concurrit excitatus populus, qui prius cum Christo compassionem non habuit, sed visis vulneribus et in mente pertractis amaris passionibus, quos prius somnus oblivionis et ignorantiæ presserat, excrescens admiratio ducit ad vigilandum. Hujus triumphi testis est equus i. e. Christi cruentatum corpus, in quo, ut Jesaias dicit, a planta pedis usque ad verticem capitis non est sanitas. Ad publicum conspectum omnium fidelium in memoriam est expositum. Jam gallicantus advenerat et equus saltibus æstuans, naribus ebuliens, pedibus terram pulsans etc. Per gallicantum horam mortis Christi videlicet nonam, quæ tunc erat secundum gentiles hora veræ meridiei, intelligimus; attamen omnibus nobis erat nox, cum propheta dicat: Vanum est vobis ante lucem surgere, quia quotquot ante Christum nascebantur, ad infernum descenderunt. Propterea Christus æstuans est saltibus resurgendi et ad cœlos ascendendi, ebuliens naribus in terrorem omnium damnatorum in die judicii extremi, et pedibus terram pulsans i. e. homines de terra resurgere faciens, cum

vox tubæ novissimæ sonuerit: Surgite, mortui, et venite ad judicium! Tunc dicturus est justis: Venite, possidete paratum vobis regnum ab initio sæculi! Sed reprobi exspectabunt illam sententiam tremendam, qua eis dicetur: Ite, maledicti etc.

Cap. 156.

De causa subversionis Trojæ.

Ovidius refert de bello trojano, quod Helena fuit capta a Paride et quod prophetatum fuit, quod civitas trojana non esset subjecta, quousque Achilles mortuus esset. Mater hæc audiens eum in quadam camera inter domicellas cujusdam regis in habitu muliebri occultabat. Quod intelligens Ulysses navem cum mercimoniis præparavit, ponens etiam ornamenta muliebria et arma splendida, et sic ad castrum devenit, ubi Achilles cum domicellis inclusus manebat, qui statim cum navem cum ornamentis et armis vidisset, cum domicellis causa emendi mercimonia intravit; sed cum Ulysses curiose arma tractasset et illa apprehendere sollicitasset, Achilles hastam arripuit et vibravit, et sic paruit res. Quem Ulysses apprehendens et ad Trojam deducens, prævaluerunt. Ipso vero mortuo, capta est Troja, et obsides partis adversæ sunt liberati.

Moralisatio. Carissimi, Paris diabolum significat, Helena vero animam sive totum genus humanum a diabolo captum, Troja infernum, Ulysses Christum, Achilles spiritum sanctum, navis mercimoniis onusta est beata virgo Maria virtutibus adornata, arma Achillis sunt crux, claves, lancea, corona etc. Ante Christi mortem Troja scilicet infernus prævaluit et antiquos patres in obsidione tenuit, sed Christo mortuo in die paraceues infernus capitur et obsides, quos tenuit, reddidit.

Cap. 157.

De pœna peccatorum non satisfacientium in præsenti pro delictis.

Quidam imperator erat, qui janitorem prudentem habebat, qui a domino suo instanter petiit, ut eum janitorem civitatis per unum mensem esse concederet, ita quod ab omni gibboso, monoculo, scabioso, impetiginoso ac hernioso denarium haberet. Imperator ei

concessit et sigillo roboravit. Qui ministerio suscepto stetit in porta civitatis, ut intrantes et exeuntes notaret, et videret, si aliquod lucrum ex officio posset obtinere. Quadam vero die gibbosus bene cappatus portam intravit. Janitor ei obviam venit et denarium ab eo petiit secundum statutum et imperatoris præceptum. Gibbosus renuit et nihil dare voluit. Tunc janitor manus in eum injecit ejusque capucium accipere voluit. Dum autem capucium tolleret, levando invenit eum monoculum. Statim duos denarios ab eo petiit. Alter dare noluit, sed fugere proposuit. Sed janitor per capucium eum traxit, et ecce, nudato capite jam scabiosus apparuit. Statim tres denarios postulavit. Gibbosus hoc videns, incepit ei resistere, nudatisque brachiis apparuit impetiginosus. Janitor vero quartum denarium postulavit. Cui defendenti cappam abstulit, et cadente illa herniosus apparuit; quintum quare denarium ab eo petiit; et sic contigit, quod qui unum de jure dare noluit, invitus quinque dedit.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator est dominus noster Jesus Christus, janitor est prælatus aut discretus confessor, qui habet stare i. e. verba dei et ejus præcepta promulgare in porta civitatis. Civitas ista est mundus, qui tantum unam portam intrandi habet scilicet ventrem, quia unus introitus hominum et jumentorum; sed sunt multæ portæ ad exeundum, scilicet, aliqui moriuntur gladio, aliqui igne, aliqui subito, aliqui a bestiis, secundum diversitatem et mortis multiplicia genera. Sed antequam per portam mortis mundum istum exeat, oportet de necessitate, quod solvat janitori denarium, si aliquam maculam habeat. Per istum gibbosum, scabiosum etc. peccatorem intelligere congruit plenum vitiis et concupiscentiis, et præcipue, qui in septem peccatis mortalibus est involutus, qui pro quolibet vitio unum denarium solvat; scilicet avarus largitatem, gulosus sobrietatem, luxuriosus castitatem et sic de ceteris peccatis ad contraria procede, quia de necessitate est, ut solvat hic vel alibi, et quod potest una die solvi, vix alibi per annum poterit. Redde ergo quæ debes, et secure poteris transire per portam clarissimam ad vitam æternam.

Cap. 158.

De perpetuitate animæ.

Romæ inventum est corpus incorruptum altius muro civitatis cum istis versibus:

Filius Evandri, Pallas quem lancea curvi
Militis occidit, in morte sua jacuit hic.

Lucerna ardens erat apud caput, quæ nec liquore nec flatu exstingui poterat, donec subter flammam foramine facto cum acu aër fuisset immissus; vulnus autem gigantis quatuor pedum fuit et dimidii. Qui post eversionem Trojæ occisus jacuerat per duo millia annorum ducentos et quadringenta.

Moralisatio. Carissimi, gigas iste est primus pater noster Adam, qui erat plasmatus et non corruptus nisi per peccatum. Iste erat altior muro civitatis, quæ mundus iste dicitur, altior enim erat, quia teste psalm. omnia subjecisti sub pedibus ejus etc. Iste erat graviter vulneratus, quando contra dei præceptum de fructu ligni vetiti comedit; non tamen ipse vulneratus, sed totum genus humanum vulnere perditionis profundissimo laceratum erat, ita quod nec in cœlo nec in terra nec inter angelos nec inter homines inventus est aliquis, qui poterat illud curare, donec filius dei de regalibus sedibus ad ima nostræ mortalitatis descendens venerat, qui per passionis suæ sanguinem roseum vulnus humani generis atrocissimum perfecte curavit. Lucerna ardens ad caput, quæ nec liquore nec flatu exstingui poterat, est pœna infernalis, in qua divina visione carebat per quatuor millia annorum, quæ nec liquore i. e. oratione alicujus sancti nec flatu i. e. jejunio poterat eum ab ista pœna liberare nec exstinguere, donec flamma i. e. divina misericordia cum acu acerbissimæ passionis ex ejus virtute anima cum dignitate descendit ad inferos et eum secum ad paradisi gaudia perduxit, ubi æternaliter clara visione dei perfrui poterit, nisi peccatis se voluntarie subjiciens subjacere pœnis velit.

Cap. 159.

De inventione vinearum.

Josephus libro de causis rerum naturalium dicit, quod Noe invenit vitem silvestrem, scilicet labruscam a labris terræ et viarum dictam. Quæ cum esset amara, tulit sanguinem quatuor animalium scilicet leonis, agni, porci et simiæ, quo terræ mixto fecit fimum, quem ad radices labruscarum posuit. Sic ergo vinum eorum sanguine est dulceatum. Quo facto Noe postea de vino inebriatur, et nudatus jacens a filio juniori derisus, qui omnibus filiis ejus congregatis dixit, se ideo sanguinem dictorum animalium posuisse hominibus pro doctrina.

Moralisatio. Carissimi, per vinum multi facti sunt leones propter iram, nec illo tempore habent discretionem, aliqui agni per verecundiam, aliqui sunt simiæ per curiositatem assumptam ineptamque

lætitiam; nam simia omnia coram se facta etiam facere proponit, sed destruit. Quam si capere volueris, plumbeos calceos habeas, et dum te illos exuentem induentemque conspexerit et fortiter ligantem, similiter facit; quæ, cum currere tentat, torquetur gravedine et capitur; quod de multis hominibus est simile, qui dum singula tentant in ebrietatibus, vix aliqua perficiunt, sed sicut simia destruunt et confundunt.

Cap. 160.

De retractione diaboli, ne bonum operemur.

Frequens est, ut angeli Sathanæ in angelos lucis se transforment et in humanis mentibus aliquid diabolicæ immissionis nutriant; ad istorum cognitionem quoddam notitiæ dignissimum subditur exemplum. Erat in regni arelatensis finibus episcopatu valentino castrum quoddam, cujus domina in assiduam duxit consuetudinem, infra missarum solemnia post evangelium ecclesiam egredi; non enim poterat consecrationem dominici corporis sustinere. Cum per multos annos ad compertum vir ejus dominus castri istius notitiam habuisset nec tantæ præsumptionis causam sedulus investigator invenisset, semel quodam die solenni finito evangelio egrediens domina, per virum et ministros ejus invita et renitens detinetur, statimque sacerdote verba consecratoria proferente, domina spiritu diabolico levata sursum avolat, partemque capellæ secum in præcipitium ducens, amplius in finibus illis non est visa; sed et pars turris, cui capella innitebatur, adhuc supermanens rerum fert testimonium.

Moralisatio. Carissimi, castrum illud de quo dicitur mundus iste intelligitur; hujus castri dominus est homo mundanus totaliter mundo deditus, intantum quod cum per divinam inspirationem aliquando opus aliquod bonum incepit, propter mundi vanitatem, cui deditus est, perficere non potest, ita quod propter mundana sæpe vitam suam amittit; diabolus enim, quia humano generi semper inimicus est, plus de perficiendo aliquod bonum nos subtrahit, quam ad initiandum hoc adducit; considerat namque, quod in fine victoriæ pro virili pugna datur palma gratiæ; sed dominus hujus castri est discretus confessor, qui cum viderit dominam suam i. e. ovem sibi in ecclesia commissam errare et præceptis ecclesiæ non velle obedire, sed post evangelium i. e. monitionem fraternam exire ecclesiam, hoc est quando sacerdos et confessor tuus tibi vitam salutis pandit et instruit, et tu errans attendere spernis, certe per ministros i. e.

ecclesiasticas censuras et excommunicationem publicam te invito ad obedientiam introducet; sed si tunc verba consecrationis i. e. animæ tuæ salutem sustinere non poteris, spiritu diabolico levaberis et ad inferni novissima convolabis, ubi erit fletus et stridor dentium. Verba salutis nostræ sunt verba prædicationis et bonæ exhortationis, quæ quotidie et præsertim in diebus festis proferuntur; sed sunt aliqui ita spiritu diabolico inflati, quod cum ad sermonem pulsum audiunt, jam primo se ad requiem in lecto ponunt et tunc prius dormire incipiunt, cum totam noctem in vanitatibus et lasciviis aliisque comessationibus deduxerint, ita ut de illis merito Job dicat: Noctem verterunt in diem. Et sunt aliqui, qui, dum mane surgunt, ad ecclesiam non pro audienda missa aut sermone prædicationis intelligèndo properant, sed eorum mercantiis aut certe fabulis intendendis plus festinant; et sunt aliqui, qui dum corpore præsentialiter in ecclesia consistunt, cordis tamen sollicitudines ad exteriora vagantes ad deum placandum non dirigunt. Alii sunt, qui dum ecclesiam intrantes missam audire incipiunt, sed evangelio lecto more istius dominæ ecclesiam exeunt et in cœmeterii confinibus et muris se ponunt, ut sermone finito ad campanæ sonitum, ne prædicationem audiant, ad ecclesiam recurrant et cito recedant; hos discretus confessor admonitione præhabita invite renitentes ab ecclesiæ gremio, ut prædictum est, debet amputare et diabolo, dum non pœnituerint, commendare, ne ipse criminibus eorum quasi consentiendo reus a domino judicetur, quando dicetur ipsis: Ite, maledicti etc.

Cap. 161.

De deo pro suis beneficiis semper regratiando.

In regno Angliæ monticulus quidam est in nemoroso saltu ad staturam hominis in apicem surgens, in quem milites aliique venatores ascendere consueverunt, cum æstu et siti fatigati aliquod instantiæ suæ quærebant remedium; verum ex loci et rei conditione, relictis a longe sociis solus quisque ascendit, cumque solus quasi ad alterum loquens diceret: Sitio, statim ex improviso e latere propinator adstabat, celebri cultu vultu hilari manu exposita cornu grande gestans, auro gemmisque ornatum, sicut quorundam usque hodie moris est, vice calicis nectaris ignoti, sed suavissimi saporis offerebatur, quo hausto totus calescentis corporis æstus et lassitudo fugiebat, ita ut non laborasse, sed laborem arripere velle quis crederet; sed et sumpto nectare minister linteolum mundissimum ad ora

siccanda porrigebat et expleto suo ministerio disparuit nec mercedem pro obsequio nec pro inquisitione colloquium exspectabat. Hoc multis annositatis antiquis curriculis apud vetustissimos celeberrimum ac quotidianum agebat; denique venator quidam miles venandi causa locum dictum accessit et postulato potu ac sumpto cornu non id, ut consuetudinis et urbanitatis erat, pincernæ restituit, sed ad proprium usum retinuit. Verum dominus comperta rei veritate prædonem damnavit et cornu Anglorum regi Henerico vetustiori donavit, ne tanti criminis fautor fuisse censeretur.

Moralisatio. Carissimi, nemorosus saltus regnum cœlorum est et monticulum mundum hunc esse intelligimus, quoniam in mundo teste Psalm. reptilia sunt, quorum non est numerus. Venator est homo, qui quotidie in hoc mundo venatur, et singulis dierum cursibus unam dietam ad mortem venandam montem istum ascendit. Sed cum in ista venatione nil nisi reptilia tribulationis et animalia diabolicæ deceptationis invenit, æstu divini ardoris et siti remunerationis ad cornu olei misericordiarum accedat, quod de fonte suæ benignitatis omnibus effluenter tribuit et non improperat. Cornu filius dei est, qui nectar illud salutare suavissimi saporis in ara crucis ex suis sanctissimis vulneribus, celebri cultu, vultu hilari, manibus latissime expansis pro redemptione totius humani generis largiter propinavit. Cornu istud pretiosum auro est ornatum, quando corpus illud gloriosum salvatoris nostri diversis tormentorum suppliciis ac flagellationum vulneribus roseo sanguine a planta pedis usque ad verticem capitis Jesai. teste est transfusum. Cornu est gemmis decoratum, quando caput illud gloriosum spinarum densitate fixuris atrocissimis est perforatum. Iste pincerna dat nobis manutergium confessionis et indulgentiæ, quo crimina nostra abstergamus; quare sibi vas mundum i. e. contritum et humiliatum ac a peccatis purgatum reddere debemus, et pro potu suavissimo gratias sempiternas agere. Quod si non fecerimus judex vivorum et mortuorum cornu a nobis exiget in die extremæ ultionis, et in confusionem nostram cunctis videntibus ostendet et in patibulo infernali perpetuo cruciandos suspendet.

Cap. 162.

De cavendis imprecationibus.

Rem novam atque insolitam sed salubri consilio plenam et cautelam incautis facilem præstantem narrat Gervasius Tilbergensis ad Ottonem Romanorum imperatorem, quod in Cathilonia episcopatu

Gerundæ est quidam mons excelsus valde; hujus ambitus arduus est et pro parte inaccessibilis ad ascensum; in cujus summitate locus est aquam continens subnigram et in profundo inperscrutabilem. Illic mansio fertur esse dæmonum ad modum palatii dilatata et janua clausa; facies tamen ipsius mansionis sicut ipsorum dæmonum vulgare est incognita et invisibilis. In lacum si quis lapideam aut aliquam solidam projecerit materiam, statim tamquam offensis dæmonibus tempestas erumpit. Et in quadam montis particula est nix perpetua, glacies continua. Illic cristalli copia et nulla unquam solis præsentia. Ad hujus montis radicem fluvius est aureas habens arenas, unde ex ejus arenis aurum, quod vulgus pallium nominat, elicitur. In hujus montis consistentia et circuitu argentum foditur et multiplex fertilitas erumpit. Erat in conjuncta montis villa vir quidam agricola. Hic quadam die, cum domi rebus domesticis intenderet et ejulatu filiæ parvulæ continuo et implacabili turbaretur, tandem, ut offensis mos est, filiam suam dæmonibus commendavit. Commendationi statim incautæ paratus receptator occurrit, et invisibili raptu dæmonum turba puellam abduxit. Completo jam ab his septennio, dum ad radicem montis indigena quidam iter arriperet, vidit hominem celeri cursu transeuntem, qui flebili voce plangebat: Heu me, inquit, miserum, quid agam, qui tanto pondere premor! Requisitus ab alio viatore, quæ sit tanti doloris causa, respondit, se in monte jam septennium transisse sub commendatione dæmonum, qui ipso quotidie pro vehiculo utebantur, et ut auditor rei tam incredibili fidem adhiberet argumentum certissimum junxit, esse in simili commendatione quandam filiam vicini sui, quam noverat, de puellæ hujus educatione tædium facientes dæmones ipsam libenter commendatori suo restituissent, si modo pater eam in monte respiceret. Stupet auditor, incertus an sileat incredibilia, an loquatur. Eligit, ut patri statum filiæ denuntiat. Ad patrem transiens reperit de diutina filiæ amissione querelantem. Inquirit causam plagendi et audita rei fide adjecit, quæ præmisimus ab illo, quo vice vehiculi dæmones utebantur, audisse, consultius dicens esse, ut ad loca designata veniens sub divini nominis attestatione ad restitutionem commissæ filiæ dæmones adjuraret. Auditis nuntii verbis pater obstupuit, et dum intra se cogitat, quid deliberatius agat, eligit consilio nuntii se subponere. Montem ascendit, per loca lacus discurrit, dæmones, ut commendatam filiam reddant, adjurat, et tandem quasi repentino flatu filia prodit in medium procera statura, oculis vagis, ossibus et nervis pelle vix hærentibus, horrenda adspectu, idiomate nullo, vix aliquid humanum sapiens et intelligens. Receptam prolem pater admirans, et dubius an alendam

retineat, episcopum gerundinensem adiit, eventum tristem pandit, quid agendum ei sit, sollicitus exquærit. Episcopus ut vieligiosus et exemplo bono commissum sibi gregem informans, puellam in omnium adspectum exponit reique seriem pandens prædicando docuit subditis, ne de cetero sua dæmonibus commendent, eo quod adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, et quosdam ut datos mactet et sine spe reddendi incarceratos sibi retineat, quosdam ut commendatos ad tempus maceret et affligat. Nec diu post ille, quo dæmones pro vehiculo utebantur, consimili patris imprecatione in medium exiit, et quia cum raptus erat majoris perfectionisque discretionis exstiterat, fidelius ac intelligibilius, quæ apud dæmones gerebantur, exposuit. Asserebat, juxta prædictum locum in subterranea specu palatium esse latum, in cujus aditu janua est, et ibidem quædam obscuritas, ad quam cum mutuo applausu, postquam dæmones orbis partes percurrerint, conveniunt, et quid egerint majoribus suis nuntiant. Verum hanc palatii consistentiam nullus præter ipsos et eos, qui perpetuo damnationis jugo in dæmonum transierunt proprietatem.

Moralisatio. Ex prædictis, carissimi, informari possumus, ut cum aliquibus in factis nostris contrarietatibus advenientibus impedimur, non statim diabolum aut ejus quodlibet auxilium invocemus, neque familiam nostram quamvis in aliquo delinquentem diabolo commendemus, quia qui sibi commendatur, in corpore magis studet atque contrariatur de operibus bonis, quæ homo posset tunc operari in mente, sperans aliquid proprietatis in mente possidere, qui cautius insidiatur, ut rapiat pauperem animam per peccatum infectam, ut attrahat eam in pœnam et damnationem perpetuam in lacum miseriæ et lutum fæcis, quoniam ibi est nix perpetua, glacies continua attestante beato Job, qui ait: Ibi transitur ab aquis nivium ad calorem nimium et e contra, illic cristalli copia et nunquam solis præsentia. Cristallus speculum et faciem clarissimam sanctæ trinitatis significat, speculum inquam sine macula, in quo sanctorum angelorum exercitus videre congaudet, in infernis nullo tempore per misericordiam illucebat; sed illic est cristalli pœnitentia i. e. ignis intolerabilis perpetua copia, in qua hominis filia i. e. peccatoris damnata anima non solum septennis sed sempiternis suppliciis traditur crucianda.

Cap. 163.

De timore inordinato.

Alexander regnavit, qui unicum filium nomine Cœlestinum habebat, quem multum dilexit. In animo suo cogitabat: Bonum est, filium meum ad doctrinandum dare. Vocavit quendam philosophum et ait: Magister, accipe filium meum ad doctrinandum et dabo tibi mercedem! At ille: Domine, præsto sum voluntati vestræ per omnia satisfacere. Puerum secum accepit et circa eum diligens erat. Accidit uno die, quod ad quoddam pratum cum discipulo suo Cœlestino perrexit. Ambo in prato unum equum scabiosum viderunt jacentem. Juxta equum erant duæ oves adinvicem ligatæ, quæ herbas comedebant. Accidit, quod istæ duæ oves juxta equum pascebant, una ex parte dextra equi et alia ex parte sinistra, sic quod equum appropinquabant et corda, qua erant ligatæ, continue super dorsum lata est, quousque super scabiem in medio dorsi pervenit. Equus, cum cordam in vulnere dorsi sentiebat, surrexit, et magis ac magis gravabatur et præ magno dolore cum impetu incepit currere, et duas oves portabat, et quando plus oves ponderabant, tanto magis vulnus corda penetravit, ac dolorem augmentavit. Erat tunc prope pratum domus molendinarii; equus ex magno dolore furiosus domum illam cum ovibus intravit, in qua nemo erat nisi ignis; equus vero hincinde ignem dispersit, intantum quod tota domus incepit comburi et seipsum cum ovibus totaliter combussit. Tunc ait magister discipulo suo Cœlestino: Carissime, jam vidistis principium et medium istius facti! Fac mihi de ista materia versus sine falsitate, et quis debet pro combustione domus solvere? Quod nisi feceris, amen dico tibi pœnam sustinebis. Cœlestinus absente magistro per se perrexit et multum studebat, sed versus componere minime sciebat. Ex hoc multum tristis erat. Statim diabolus in specie hominis ei obviabat et ait: O fili, cur tantum tristaris? Qui ait: Non expedit tibi dicere. Et ille: Dic mihi secure, et tuum negotium expediam. Ait Cœlestinus: Deberem versus componere sub pœna gravi de equo scabioso et duabus ovibus, et penitus ignoro. Ait ille: Ego sum diabolus in specie hominis et optimus versificator. Magistrum noli timere. sed mihi promitte, quod meus servus fidelis eris! Versus tibi componam melius, quam magister tuus. Cœlestinus vero consentit fide

data, quod fideliter ministraret, si promissum compleret. At ille sibi hos versus dixit:

Nexus ovem binam per spinam traxit equinam;
Læsus surgit equus, pendet utrumque pecus.
Ad molendinum pondus portabat equinum,
Dispergendo focum se cremat atque locum.
Custodes aberant; singula damna ferant!

Puer vero cum istos versus habuisset, gavisus est valde, domum perrexit. Ait magister: Fili, numquid versus legisti sive fecisti? Et ille: Etiam, magister. Versus recitavit, sicut superius est scriptum. Magister cum hæc audisset, admirabatur et ait: Dic mihi, fili, quis tibi fabricavit? Et ille: Nemo. Qui ait: Nisi mihi veritatem dixeris, usque ad sanguinis effusionem flagellatus eris. Puer vero timens, a principio usque ad finem ei omnia retulit, quomodo diabolo esset obligatus. Magister vero contristatus est valde, fecit puerum revocari et contritione magna confiteri, ac diabolo abrenuntiare, et post hæc factus est homo sanctus, et deo animam post vitam bonam reddidit.

Moralisatio. Carissimi, iste rex est dominus noster Jesus Christus, in custodia scilicet propheti et prælati traditus ad doctrinandum in bonis operibus, qui sæpius circa pratum i. e. mundum ambulat. Videt equum scabiosum jacentem, hoc est peccatorem in peccatis suis involutum, et duas oves ligatas i. e. prælatum ecclesiæ et prædicatorem, qui debent adinvicem ligari cum corda caritatis. Prælatus ecclesiæ tenetur, secundum jura prædicatores admittere, sicut sunt fratres minores et prædicatores. Isti duo propter nimiam caritatem, per quam sunt ligati, sæpe tangunt locum doloris in peccatore, hoc est prælatus per censuram ecclesiasticam aliquos excommunicat, prædicator sermocinando peccata eorum tangit, unde videmus, quod aliqui, qui tacti sunt per prælatum aut prædicatorem, non corrigantur; statim ad modum equi incipiunt recalcitrare, murmurare, quod ambos secum portat eos, ubique detrahendo oblata ac decimas sufferendo elemosinas facere. Sed tunc quid sequitur? Equus ambas oves ad molendinum etc. i. e. peccator sæpe ad utrumque hoc inconveniens ducit, quotiens eos verbo aut opere lædit, et igne detractionis comburit, quotiens famam eorum denigrat. Vel aliter potest reduci. Equus iste scabiosus erat totum genus humanum per peccatum primi parentis infectum; duæ oves ligatæ duo testamenta, quia in utraque lege decem præcepta sunt posita. Ecce ligantur magna adinvicem per istas duas leges. Equus scilicet peccator tangitur, quando propter peccatum pœna secundum utramque legem apponitur; sed sæpius peccator recalcitrat, sicut Datam et Abyron contra deum

murmurabant, et ideo perierunt, et ideo totum genus humanum, si per pœnitentiam tactum fuerit per Christi passionem, oportet quod recurrat ad molendinum cum duabus ovibus i. e. cum duobus testamentis; ad ecclesiam scilicet recurret et ibi seipsum comburit gratia divini amoris, quia lex antiqua dicit illud, quod dicebatur, in figura, in nova habetur etc., quia lex antiqua non est totaliter destructa sed combusta spiritus sancti gratia, quia in antiqua lege hoc, quod dicebatur in figura, in nova habetur expositum. Lex nova etiam spiritus sancti gratia est combusta, sicut testatur Salomo: Mittam vobis spiritum sanctum etc. scilicet ignem amoris. Vel aliter potest reduci. Equus scabiosus in prato peccator est in mundo; duæ oves ligatæ corpus et anima per baptismum adinvincem ligati, ut sint de una voluntate; caro spiritui non contradicat, sed miser homo sæpe se ipsum cum corpore et anima trahit ad molendinum i. e. ad infernum, ubi omnes singula damna ferant i. e. omnes sensus per peccatum absentes erant inter virtutes, quas in baptismo receperunt; ideo quilibet pœnitentiam suam portabit, ut si visus vidit, illicita, auditus audivit detractoria, et sic quilibet in suo genere puniatur. Tunc debes versus componere; hoc nihil aliud est, quam animam et corpus ad rectitudinem per opera misericordiæ ligare; et hoc non debes ad suggestionem diaboli facere, sed ad informationem boni prælati et per consequens vitam æternam obtinere, ad quam etc.

Cap. 164.

De perversitate mundi.

Habetur in quodam libro de colloquio Petri ad Jesum: Vidi aliquando quinque viros, quos quidem freneticos arbitrabar; vidi unum comedentem arenam maris ita avide, quod per utramque partem oris exiret; alium vidi stantem super foveam sulphuream et pice plenam, de qua fœtor intolerabilis exibat, qui toto nisu nitebatur fœtorem illum in os suum haurire; tertium vidi in ardente fornace jacentem, cui tantus calor sufficere non valebat, unde nitebatur capere scintillas de fornace volantes ad devorandum; quartum vidi, quod supra pinaculum templi sedebat, ut ventum caperet, et semper os apertum habebat, ut ventus per eum transiret; quintum vidi, per omnia et singula membra sua quidquid potuit in os suum capere, devorabat, et alios continue deridebat; istos quinque homines multi viderunt et admirabantur, quomodo talia facere potuerunt.

Moralisatio. Carissimi, per primum hominem, qui arenam maris comedebat, possumus intelligere virum avarum. Ecclesiast. IV: Unus est et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen a labore non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis, nec recogitat dicens: Laboro; cui, nescio; et fraudo animam meam bonis. Exemplum de illo divite, qui dixit: Destruam horrea mea. De secundo, qui stetit supra foveam sulphuream; talis comparatur gulosis et luxuriosis. Philipp. III: Nunc autem dico flens inimicos crucis Christi, quorum deus venter est, et gloria eorum in confusione ipsorum. Tales enim intantum dati et intenti sunt ebrietatibus et gulositatibus suis; quod si deus eos in tali statu vivere et permittere vellet, nunquam cœlos intrare peterent. Qui teste Boetio in quarto libro de consolatione philosophiæ summam felicitatem in voluptatibus esse constituunt, hi cum calice mœroris et arena tribulationis apud inferos potabuntur, quia impossibile est, ut hic ventrem et illic mentem repleant, et de deliciis ad delicias transeant. De tertio, quem vidit in ardenti fornace jacentem, cui talis fervor sufficere non potuit, sed ad hoc ignem deglutivit; talis comparatur illis, qui divitiis et honoribus ceteris se præponunt, sed et hoc nec eis sufficit, sed toto conamine laborant ad hoc, ut pauperes spoliant et per usuras suas aut alia quæcunque extorquendi genera illicita, quæ habent, ab eis habere poterunt, de quibus Job. XX: Abstulisti pignus fratrum tuorum sine causa et nudos spoliasti vestibus. Proverb. XVIII: Qui coacervas divitias etc. De quarto, qui stetit supra pinaculum templi; significantur illi, qui omnia opera sua bona faciunt, ut videantur ab hominibus, sicut hypocritæ, qui sub specie boni omne malum, quod possunt, faciunt. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Unde Job. XXI. Quia cum Pharisæi et simulati aliquod opus bonum scilicet elemosinam aut hujus modi facere voluerunt, posuerunt se ad terminum et angulum alicujus publici transitus, ut viderentur, et cum hoc tubis et citharis canebant. De quinto, qui membra sua devorabat; signat eos, qui omnia bona opera virorum ecclesiasticorum et doctorum sacrorum, qui zelatores sunt, sacræ doctrinæ detrahunt, et inquantum in ipsis est perverse devorantes intelligunt, nec a detractionibus cessare volunt.

Cap. 165.

Item de mundi perversitate.

Legitur in vita patrum, quod angelus ostendit cuidam sancto tres homines triplici fatuitate laborantes. Primus homo fasciculum

de lignis faciebat, et cum non posset portare præ nimia gravedine, adhuc plura ligna adjungebat. Secundus aquam de puteo profundo cum multo labore hauriebat cum vase cribrato et foraminibus pleno et tamen non cessabat implere. Tertius trabem in curru gerebat, volensque domum intrare, janua tam arcta et parva erat, quod intrare non potuit, et tamen non cessabat equum verberare et pungere, quousque in foveam profundam simul ceciderunt. Tunc ait angelus: Quid tibi videtur de istis tribus hominibus? At ille: Tres stulti sunt. Cui angelus: Primum, quem vidisti, per illum intelligas homines, qui peccata perpetrant et de die in diem credunt secum portare usque ad finem, et quotidie addunt plura et plura, intantum quod portare non possunt, quousque mors subito veniat et animam ad ad pœnam auferat et in profundum lacum demergat. Per secundum, quem vidisti, aquam de puteo profundo in vanum haurientem, intellige illos, qui opera meritoria perpetrant et tamen locum meritorium in eis non occupant, quia pleni sunt foraminibus i. e. peccatis et quidquid boni operantur, per peccatum totum destruitur. Per tertium, qui trabem portavit, designantur mundi potentes, qui credunt per ostium regni cœlorum intrare cum superbia vitæ et mundi pompa; tamen impediuntur, intantum quod ad infernum cadunt, a quo nos etc.

Cap. 166.

De ludo schachorum.

Schacharium habet LXIV puncta per VIII divisa, scilicet virum et mulierem, sponsos et sponsas, clericos et laicos, divites et pauperes. Istum ludum sex homines ludunt; primus est rochus, et est in duplici genere, scilicet albus et niger; dexter est albus et sinister niger; hujus virtus est, quod cum omnes schachi fuerint in locis suis situati, tam nobiles quam populares, habent virtualiter certos terminos, ad quos possunt progredi; soli autem rochi, cum sint inclusi, nullum habent progrediendi virtutem, nisi eis per nobiles aut populares via fuerit expedita, et vadit semper recto tramite et nunquam ad angulum, sive antecedat sive revertatur, et quando vadit lateraliter, ex altera parte capit alium et fit fur. Carissimi, sic pauper verus nihil habet, nisi unum transitum paupertatis suæ, per quam recto tramite incedit ad omnium pauperum dominum Jesum Christum, et fit regina juxta regem regum. Sed si murmurans de statu suo lateraliter retrocedat, fit fur et rapit quidquid potest; nec de reginæ solio curat. Secundus est alphinus, qui currit per tria puncta, nam in sede

propria ille, qui est niger, ad dexteram regis collocatur et albus ad sinistram; dicuntur autem albi et nigri non ex colore, sed ex loci situatione; dexter enim, qui niger est, pergens versus dextram se in spatio nigro et vacuo ante agricolam locat; sed sinister de propria virtute habet duos progressus, unum versus dexteram ad spatium vacuum et album, alium versus sinistram ad spatium vacuum et album, et sic de tertio ad tertium quadrum vadunt servando proprium situm in forma, ut si est niger, semper in nigro et econtra, et hoc procedendo semper in angulo. Carissimi, alphini isti sursum et deorsum ambulantes signant mundi sapientes, qui habent tria, scilicet intellectum, rationem et fortitudinem. Ista deberent dirigere sursum ad deum per opera misericordiæ, sed tendunt deorsum per eloquentiam et humanam fraudulentiam, et currunt lateraliter ad angulum per tria puncta, quæ significant gulosos in crapulis quotidie currentes, raptores aliena bona sine consensu deprædantes et auferentes, ac superbos in prosapia, pulchritudine et divitiarum affluentia gloriantes. Hi homines lateraliter et a recta via currunt et tandem per regem i. e. diabolum rapiuntur et in infernum justo dei judicio detruduntur. Tertium est genus militum, quorum dexter est albus et sinister niger. Albus habet tres progressus in loco proprio situatos, unum versus dextram in loco nigro ante agricolam, secundum in spatio nigro et vacuo ante lanificem; tertius versus sinistram in loco mercatoris. Cum vero ad regem constituitur, sex quadra ambulare potest; cum vero ad medium, octo. Idem est de sinistro; cum enim niger adversus regem et albus versus eundem perambulant, unus ante reginam ut sinister, alius ad regem ut dexter se locat. Carissimi, sic milites descendentes et campum requirentes strenui et fortes bellare debent et regem ad modum coronæ cingere ac defendere; omnes enim nos milites sumus et pugnare contra diabolum in campo hujus mundi nos oportet, et regem nostrum i. e. animam defendere, quia adversarius noster fortis est tentando aliqua mala et illicita suggerendo, sed debilis est, si volumus superare; cui, ut Paulus ait, fortes in fide resistere debemus, nec timere; consueverunt namque fortes milites et experti in principio, cum arma suscipiunt, tremere, colore pallescere, sanguinem de naribus emittere, cujus signum probitati potius attestatur, quam vitio; credibile namque est, eum, qui in principio belli timore concutitur, cum ad bellum redierit, constantius agere nec terga vertere, cum ad hoc pervenerit, ubi timor mortis ante prævisus præsentialiter videtur imminere; timor enim nobis omnibus imminet de morte futura, utinam temporali saltem! Ideo strenue et sine omni timore armis fidei susceptis et clipeis boni

operis protelatis pugnare oportet, ut secundam mortem i. e. æternam fortiter devincamus, de qua Boetius ait: Jacetis prorsus ignorabiles; jam vos secunda mors manet. Milites isti cum post pugnam ad fines exiliunt, tanquam cordati et virtute assumpta ad octo quadra prosiliunt, et inventos hostes prosternunt. Sic est de omni homine, qui de se humilia sentit et in nullo superbit; postea saltabit ad octo quadra octo beatitudinum, quia omnis, qui se humiliat, exaltabitur. Quartum genus est popularium, quorum omnium est unus atque idem progressus; nam de uno quadro, in quo situati sunt, possunt progredi ad tertium quadrum, eo quod quasi securi infra regis confinia consistunt. Cum vero extra regis terminos prosiliunt, uno quadro contenti semper in directum ascendunt, nunquam tamen revertuntur in rectum, ut euntes curent per virtutem acquirere, quod nobiles situati retinent in dignitate. Unde si sic per milites et alios nobiles adjuti fuerint, quod ad lineam adversariorum nobilium quadratam perveniant, per virtutem acquirunt, quod reginæ per gratiam est concessum; est autem sciendum, quod populares ascendentes in rectum, si quem nobilem aut popularem invenerint adversarium, et hoc in angulis ipsum a dextris et a sinistris capere et occidere possunt, nunquam autem extra lineam rectam ad dextram vel sinistram progreditur popularis, nisi cum reginæ obtinet dignitatem. Carissimi, populares isti utriusque conditionis et sexus homines significant, inter quos reges potentes nobiles et alii illustres ad regendum et perficiendum positi sunt. Qui cum eorum officia secundum leges et rationes non dirigunt, nobilitatis suæ virtutem amittunt et actum conditionemque popularium incurrunt; omnes enim ab uno patre geniti et procreati sumus Adam, inter quos virtutibus præclari regis et nobilium nomina merito sortiuntur; sed dum populares i. e. plebeji homines simplices juxta discretorum confessorum suorum consilia viventes et mandatis ecclesiæ obedientes lineam rectæ vitæ ascendunt, merito regum et nobilium sanctorum nomina ex officio perfectionis vitæ in coelestibus sortiuntur. Nemo ergo tales populares despiciat, quia tam ad imperium quam ad summum pontificatum virtutibus plenos et gratiis eos legimus pervenisse. Cum gigas quidam nomine Arius divitiis esset in opulentissimo Indiæ regno inflatus et omnino rex impius, hic cum venisset ad hospitium Apollinis sciscitaturus, an aliquis mortalium esset eo felicior, ex abdito sacrorum specu vox insonuit, quæ ei prætulit quendam popularem Agalaum nomine; hic erat pauperrimus rebus, animo vero dives et ætate senior, qui terminos agri sui nunquam excesserat. Sic ergo Apollo magis approbat cum securitate tranquilla Agalai rude tugurium,

quam tristem et sollicitudinibus aulam plenam gigantis ditissimi. Magis enim approbavit paucas glebas pavorum inexpertes quam oram Lidiæ pinguissimam metu plenam. Hic pauper Agalatus virtuosissimus fuerat; quanto enim homo est natione inferior, virtute vero superior, tanto gloriosior redditur et famosior. Virgilius, Longobardus origine, natione Mantuanus prosapia humili ortus, sapientia tamen maximus et eximius poetarum claruit. Cum quidam sibi diceret, quod versus Homeri operi suo insereret, respondit, magnarum esse virium clavam excutere de manu Herculis. Quintus, qui in isto scacacio ludit et nominatur, est regina, cujus progressus est de albo in nigrum, et ponitur juxta regem; et quando recedit a rege, capitur. Quæ cum mota fuerit de proprio quadro nigro, ubi primo fuit locata, non potest procedere, nisi a quadro in quadrum unum, et hoc angulariter, sive procedat, sive retrocedat, sive capiat, sive capiatur. Sed si quæratur, cur regina bellis exponatur, cum conditio mulieris debilis sit et fragilis, dicendum est, si scire velimus, quod morem illarum mulierum sequitur, ubi viri ad bella procedentes mulieres et uxores cum tota familia ad castra deducuntur; Tartari enim hoc faciunt, et licet non utantur arcu, magis possunt tamen homines impedire, quam corporis virtute prosternere. In solatium tamen regis factum est et ad amoris ostensionem provisum, ut ad bella regem regina sequatur. Carissimi, per reginam animam nostram intelligimus, quæ regina in cœlis per tramitem bonorum operum constituetur. Hæc regina alba est et nigra; alba per confessionem et absolutionem, quando servus ejus scilicet corpus pure confitetur et absolvitur, satisfaciens pro delictis in tantam albedinem redditur, et decies clarior sole apparebit; sed nigra efficitur per peccati fuliginem et deturpationem. Hæc juxta regem stare debet; quod si non fecerit, capitur et violatur. Anima enim nostra ad hoc corpori infusa est, ut ejus recuperatione et salvatione angelorum exercitus, qui ruinam magnam cum Lucifero fecerat, ad integrum restauretur, et ut ad regem gloriæ ut regina collocetur. Quæ cum a rege, cujus cura regitur et gubernatur, discesserit, capitur et per mortalia facta ad inferos mactatur, et ibi irrecuperabiliter demergitur, et quamvis regina ista i. e. anima ab extra bellare nesciat, corpus tamen, ut meritoria operetur, abintus instiget, quia corpus nostrum sicut insessor equum anima i. e. ratio nostra dirigere debet ad virtutes et informare, ne ultra limites mandatorum ecclesiæ prosiliat, sed recto tramite de quadro unius virtutis in quadrum alterius gressum faciat; propterea regina in scacario gressum lentum et non saltum debet habere et infra proprios limites permanere, nam Dyana Jacob filia virginitatem servavit, dum in domo

fratrum suorum quievit, sed statim cum ad videndum alias regiones curiose exivit, a filio Sichen corrupta fuit. Seneca dicit, quod mulieres, quæ malam faciem habent, leves et impudicæ sunt; non enim illis deest animus, sed corruptor. Solinus dicit, quod præter mulieres pauca animalia coitum movent gravida, nigram faciem ad omnium virorum adspectum debent habere, ne ab aliis sollicitatæ de incontinentia diffamentur. Ovidius:

Quæ dant quæve negant, gaudent tamen esse rogatæ;
Ludunt formosæ; casta est, quam nemo rogavit.

Sexti, qui hunc ludum exercent, reges sunt et nuncupantur; rex enim super omnes alios est, quod motionis et progressionis natura manifestat; cum enim resideat in quarto quadro albo, cum ipse sit niger, habet a dextris in albo militem, alphilem vero et rochum in nigro, in sinistra vero tenet loca opposita; quia vero rex, ut dictum est, super omnes obtinet dignitatem et dominium ratione dignitatis, non decuit eum multo spatio a regni sui solio absentari, et ideo quando moveri incepit de suo quadro albo, naturam sequitur rochorum a dextris et a sinistris, ita tamen quod a sinistris non potest se ponere in loco nigro juxta rochum situatum in albo, sed potest se ponere in albo loco juxta dictum rochum ad angulare quadrum, ubi situati sunt civitatis custodes et ibi naturam habet militis in tali progressu; istos autem duos progressus sortitur vice reginæ. Carissime, rex iste est dominus noster Jesus Christus, qui est rex regum super omnes in cœlo et in terra, quod progressionis et motionis suæ natura manifestat. Dum enim progreditur, omnes sanctorum angelorum chori ipsum tanquam dominum venerantes comitantur, qui et secum habet rochum et alphilem aliaque schachalia, et locum universorum recto tramite occupat circum quaque, teste Psalm., qui ait: Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero ad infernum, ades. Denique reginam secum ducit i. e. misericordiarum piam matrem et dominam nostram Mariam. Cujus vice unum progressum miserationis ad popularium quadrum i. e. hominum in mundo viventium facit, unde merito nomen illud gloriosum per prophetam sortitus est, ubi eum patrem misericordiarum et deum totius consolationis esse protestatur; dum enim mœroris et perditionis nostræ per peccatum protoplasti nullus sanctorum aut electorum recuperationem facere poterat, ipse misericors rex ad popularium suorum restaurandum gregem et numerum de cœlestibus sedibus ad hujus mundi miserabilem quadrum ingredi dignatus est, et a servitute diabolica liberavit, cujus sibi gratias per infinita sæcula reddamus.

Cap. 167.

De audiendo bono consilio.

Sagittarius quandam aviculam nomine philomenam capiens, quando volebat eam occidere, vox data est philomenæ et ait: Quid tibi proderit, o homo, si me occideris? Neque enim ventrem tuum de me implere valebis; sed si dimittere me velles, tria mandata tibi darem, quæ si diligentius servares, magnam utilitatem inde consequi posses. Ille vero ad ejus loquelam stupefactus promisit, ut eam dimittere vellet, si hæc tria mandata utilia proferret. Quæ ait: Audite ergo! Primum est: nunquam rem, quæ apprehendi non potest, apprehendere studeas! Audi secundum: de re perdita et irrecuperabili nunquam doleas! Audi tertium: verbo incredibili numquam credas! Hæc tria bone custodi et bene tibi erit! Ille autem, ut promisit, eam volare dimisit. Philomena enim per aerem volitans dulciter cantavit; finito cantu dixit ei: Væ tibi, homo, quia malum consilium habuisti, et quia magnum thesaurum hodie perdidisti, est enim in visceribus meis margarita, quæ strucionis ovum vincit magnitudine! Ille hoc audiens contristatus est valde, quod eam dimisit, rete suum expandit et conabatur eam apprehendere, dicens ei: Veni domum meam, et omnem humanitatem exhibebo tibi, et propriis manibus te pascam et ad tuam voluntatem te volare permittam. Cui philomena: Nunc pro certo te fatuum esse cognosco, nam ex illis, quæ tibi dixi, nullum profectum habuisti, quia de re perdita et irrecuperabili doles et me nequeas capere; et tamen per rete tuum tentasti, et insuper margaritam in meis visceribus esse credidisti, cum ego tota ad magnitudinem strucionis ovi non valeam pertingere. Stultus es et in stultitia tua semper permanebis. His dictis avolavit; homo autem dolens et tristis ad domum rediit et philomenam non vidit.

Moralisatio. Carissimi, iste potest dici quilibet bonus christianus, qui in baptismo a peccato originali est lotus, in quo baptismo sagittas acutas recepit scilicet virtutes contra diabolum, mundum et carnem. Accepit philomenam scilicet dominum nostrum Jesum Christum, quando renuntiavit diabolo et omnibus pompis ejus. Qui miro modo dulciter cantavit, quando orationem patri cœlesti pro genere humano infudit, sed miser peccator istam philomelam, scilicet dominum nostrum Jesum Christum, cogitat occidere, quotiens cogitat peccatum mortale perpetrare, sicut dicit apostolus: Iterum, quantum est in eis, crucifigunt filium dei. Sed diligenter attendas, quod deus dedit tibi tria mandata! Quæ si diligenter homo custodierit, ad magnum

profectum pervenire posset etc. Rex iste est trinitas, in qua sunt tres personæ, unus deus, quam rem nunquam poterimus apprehendere, quamdiu sumus in hoc mortali corpore, secundum quod dicit apostolus: Jam videmus in ænigmate, postea videbimus sicuti est. Nec fides habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum. Item salvator in evangelio respondit mulieri petenti: Dic, ut sedeant hi duo filii mei etc. Respondit salvator: Nescitis, quid petatis. Item dicebat Petro, quærenti de consummatione sæculi etc. Dixit: Non est vestrum nosse tempora vel momenta etc. Ecce isti stupebant rem apprehendere, quam non potuerunt attingere.

Aliter istud exemplum potest reduci ad illos, qui appetunt honores et divitias. Exemplum de Lucifero, qui rem appetiit, sed impossibile ei apprehendere erat, quando dicebat: Ascendam usque ad tertium cœlum. Quid ergo sequitur post? In infernum cecidit. Item de primo parente, qui per esum pomi deus esse voluisset, propter quod a paradiso est expulsus et mortem sibi et nobis omnibus paravit. Consulo ergo, ut vos divites ac mundi potentes nolite rem apprehendere, quæ apprehendi non potest, sicut sunt bona temporalia ac sæculi honores, quæ nunquam veraciter poterunt sine damno animæ apprehendi, sicut dicit apostolus: Qui voluerit dives fieri, indicit in laqueos diaboli. Et licet bona obtinueris, quando melius speras de eisdem gaudere, defraudaberis. Exemplum de illo divite, qui dicebat: Destruam horrea mea. Et eadem nocte defunctus est. Secundum mandatum est: de re perdita et irrecuperabili non dolebis! Carissimi, debetis scire, quod per rem perditam debemus intelligere corporis sanitatem aut divitias, quas deus aufert ab eo, quem diligit, juxta illud: Flagellat deus filium suum, quem diligit. Sed cum aliqui facti sunt cæci claudi aut membro aliquo privati vel divitiis spoliati et ultra quam credi potest dolent et gratias deo non offerunt, sicut Esau multum dolebat, quod benedictionem patris amisit et tamen obtinere non potuit. Tertium mandatum est: verbo incredibili non credas! In isto verbo, carissimi, multi sunt decepti per diabolum, mundum et carnem. Diabolus suggerit multa et falsa promittit, quæ sunt incredibilia, sicut de primo parente, qui credidit diabolo, quando dixit: Si comederitis de ligno, eritis sicut dei. Credidit et erat deceptus, et ideo a paradiso est expulsus. Promissio diaboli erat incredibilis propter duo: primo, quia mendax, secundo, quia deus ei prædixit: In quacunque hora comederitis de ligno illo, moriemini. Sic modo aliqui tamen credunt diabolo, mundo et carni, quod statim eis adhærent et in peccatis consentiunt et dicunt: Ovum est tam pretiosum etc. Per ovum mundus intelligitur, qui est rotundus.

Mundus dicit homini: Bonum est uti mundo in juventute, quia licet hoc fecerimus et peccatum inciderimus, tunc major est strutione i. e. major est divina misericordia, quam nostra miseria. Contra tales dicit Psal.: Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem. Studeamus ergo etc.

Cap. 168.

De æterna damnatione.

Barlaam narrat, quod peccator similis est homini, qui, cum timet unicornium, recedit in baratrum; dum autem caderet, manibus arbustulam quandam apprehendit, quæ de profundo ascendebat, et aspiciens inferius, vidit ad pedem arboris puteum teterrimum et draconem horribilem arborem cingentem et ejus casum ore aperto exspectantem; duobus autem muribus, quarum una erat alba, alia nigra, arborem incessanter corrodentibus in radice, sensit eam vacillare; quatuor quoque vipræ albæ a basi qua pedem fixerat procedentes totam foveam flatu suo mortifero intoxicabant. Elevans oculos vidit exitum mellis de ramis arboris stillantis, oblitusque periculi, in quo undique positus erat, illi dulcedini se totum dedit. Quodam autem amico ejus porrigente sibi scalam, ut egrederetur, melle delectatus distulit, et cadente arbore cecidit in os draconis, qui descendens in puteum ibi eum devoravit, et sic misera morte heu mortuus est.

Moralisatio. Carissimi, homo iste est peccator; unicornis est mors, qui hominem semper sequitur; baratrum est mundus iste; arbor est vita, quæ per horam diei et noctis quasi per murem album et nigrum incessanter consumitur; basis, ex qua procedunt vipræ, est corpus humanum habens quatuor qualitates humorum, quibus inordinate compositis corporis compago dissolvitur; draco est diabolus; puteus infernus; dulcedo ramusculi delectatio peccati, per quam homo seducitur, ut periculum non intueatur; amicus est Christus aut prædicator; scala est pœnitentia, cui cum homo differt acquiescere, subito vita deficiente in os diaboli cadit, qui eum in infernum devorat et rapit.

Cap. 169.

De duodecim legibus et modo vivendi.

Narrat Trogus Pompejus de Ligurio nobili milite, qui civitatem quandam cum populo jurare indixerat, ad servandum leges quasdam

justas et utiles licet principio graves, donec ipse ab Apolline deifico, quem ipse finxit esse auctorem dictarum legum, responsum reportaret, Quo facto in Cretam ivit et ibi perpetuum exilium egit; moriturus autem, ossa sua ad civitatem redirent, et omnes a juramento se liberas esse credentes legum observantiam violarent. Harum autem legum duodecim numero erant; prima lege populum in obsequium principum et principes in custodiam subditorum et ad coertionem impiorum reformavit; secunda lege parcimoniam et frugalitatem omnibus persuasit, credens militiam laudabilius fieri modestia, quam crapula; tertia lege jussit singula non pecunia, sed meritorum compensione opportuna; quarta lege institui aurum et argentum, velut omnium materiarum viliorem; quinta administrationem rei publicæ per ordinem divisit, dans regibus potestatem bellorum, magistratibus judicia et omnes offensiones, senatui custodiam legum, populo creandi vel eligendi magistratus potestatem; sexta fundum omnibus æqualiter divisit et omnibus patrimoniis æqualibus, ita quod alter altero nullus potentior redderetur; septima jussit omnes convivari publice ne alter alteri foret causa luxuriæ; octava, juvenibus toto anno una sola voluit uti veste; nona, pueros pauperes in agrum non in forum publicum deduci jussit, ut primos annos ducerent in opere, non in levitate; decima lege statuit virgines sine dote nubere; undecima voluit uxores eligi non pecunia; duodecima maximum honorem non divitum, sed pro gradu ætatis statuit fore. Omne autem, quodcunque lege statuit, ipse pro exemplo aliis primus servavit.

Moralisatio. Carissimi, iste nobilis est dominus noster Jesus Christus, qui intravit quandam civitatem i. e. mundum istum et fecit populum jurare i. e. in baptismo firmiter promittere servare leges suas i. e. decem præcepta, donec veniet ad judicium. Cum autem mortuus erat, non tantum ossa, sed totum corpus in mari i. e. in terra posuit. Prima lex est in obsequium principum etc. hoc est, quod christiani semper sunt parati per omnia prælatis et ecclesiarum rectoribus sine excusatione et aliqua contradictione simpliciter obedire, et quod princeps, per quos prælatos intelligimus, qui curam animarum custodiendarum susceperunt, subditos suos in viam salutis dirigant et per bona exempla in vita sua eos antecedant, quia

Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Secunda lex frugalitatem omnibus persuasit et simoniam aut cetera contraria interdixit, parcimoniam suadens, ac gulam carnisque crapulam, quibus multi hodiernis temporibus intendentes et dediti vitam breviant, exercere prohibuit, sed frugalitatem bonorum operum et largitatem elemosynarum omnibus nobis per legem, qua octo opera

misericordiæ instituit, servandam esse voluit atque persuasit, quia quidquid ultra necessitatem vitæ prælati aut alii viri ecclesiastici divites habent, in elemosynam pauperum distribuere tenentur, aliter, teste beato Hieronymo, rapina est et sacrilegium coram deo. Tertia lex jussit singula non pecunia sed meritorum compensione opportuna comparari; hoc est quantum habes tantum vales. Deus non tantum dona respicit, sed cor et intentionem donantis, et ideo secundum cordis tui merita deus retributionem tuam magnam vel parvam faciet; nihil enim absconditum est oculis ejus, quod non sciatur, et nihil apertum, quod sibi non reveletur, quoniam omnia intuetur. Quarta lex instituit materiam auri etc. i. e. divitias hujus mundi vilius apud deum reputari, quam aliquid alterius materiæ totius mundi. Sed acceptat preces et miserias pauperum, sicut legitur de divite epulone, qui miseriam pauperis Lazari et ulcerati non respiciens neque compatiens, postquam in inferno sepultus jacuit et pauxillum aquæ a digito stillantis petiit, non obtinuit, sed flammis et cruciatibus perpetuis expositus semper urit, et Lazarus est ab angelis propter suam patientiam in sinu Abrahæ collocatus. Quinta lex dedit regibus potestatem etc. Hoc est intelligendum, quod principes et prælati jam habent subditos judicare; sed cavendum est, ne sint muneribus corrupti, ut non recte judicent, quia si sic, eadem mensura, qua mensi fuerint, scilicet justitiam vel injustitiam, remetietur eis per judicem vivorum et mortuorum in extremo judicio; quia moderni temporis judices munera pauperum vel divitum quorumcunque recipientes a justitia ita excæcantur, quod viam æquitatis et sententiæ rectæ vix videre possunt; sed qui modo plus dederit, fortiorem causam favorabilioremque sententiam licet contra justitiam obtinebit. Sexta lex fundos omnibus æqualiter divisit hoc est deus ab æterno instituit omnibus æqualiter gratiam suam, secundum quod viderit hominem proficere, unde in evangelio dicit: Petite et accipietis. Item alibi dicit: Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, credite, quod accipietis et fiet vobis. Quia Christus in divitiis est abundantissimus; postquam digne a nobis rogatus fuerit, in muneribus expendendis est largissimus; plus enim potest dare, quam mens nostra scit rogare. Septima lex est, ne divitiæ causa sint luxuriæ. Propterea publica convivia celebrari instituit, quia propter divitias multi perierunt et sunt multis causa, quare in luxuriam aut alia peccata mortalia sæpius cadunt. Propterea Salomon dominum rogavit, dicens: Divitias et paupertates ne dederis mihi! Octava juvenibus toto anno una sola voluit uti veste; quid per hanc vestem nisi solam caritatem intelligimus, quæ operit multitudinem peccatorum? Per hanc enim vestem possumus

placere deo, qui super omnia caritatem fraternam in nobis diligit. Caritas, teste apostolo, non agit perperam, non quærit quæ sua sunt, non æmulatur etc. Sic nos in caritate radicati non debemus solam nostram salutem et salvationem quærere, sed et fratris nostri debemus saluti providere, et per vitam exemplarem aut bonam admonitionem in viam rectam dirigere, ne sicut ovis errans a pastore pereat, sed pascua vitæ cœlestis per vestem caritatis inveniat. Nona pueros pauperes etc. i. e. ut introducantur in agrum ecclesiæ secundum merita sua ad promovendum sicut ceteri; quia deus eligit pauperes in hoc mundo ipsos heredes regni sui faciens, ubi dicit: Beati pauperes! Glossa: Non omnes, sed spiritu! Quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Item Psalm.: Iste pauper clamavit et dominus exaudivit eum etc. Et quis est pauper ille? Glossa: Spiritu. Pauper iste laborat in agro i. e. in hoc mundo, quoniam agricultura dei sumus et ad laboram a juventute nascimur, sicut avis ad volandum, Job IX, et in vinea domini i. e. ecclesia laborem pœnitentiæ suscepimus, et post conductionem conventione facta laboris nostri secundum merita vel demerita gratiam vel pœnam in æternitate a dispensatore et patre familias Jesu Christo recipiemus. Decima statuit, virgines sine dote nubere, i. e. bonos christianos sine dote i. e. amore mundano nubere Christo. Sunt multi, qui spontanea voluntate castitatem fovent, terrena despiciunt, ut cœlestia præmia postmodum recipient. Undecima, uxores eligi i. e. animas deo placentes ad ejus servitia coaptemus; nihil deo tantum placet, sicut anima munda, quæ totaliter deo est data. Duodecima, quod quilibet secundum meritum honores et divitias obtinebit; sed videant principes et prælati aliique rectores, quod in se ipsis prius opera meritoria exerceant, antequam alios informent, sicut de Christo dicitur in evangelio: Cœpit Jesus facere et docere.

Cap. 170.

De revocatione peccatoris ad viam pœnitentiæ.

Quidam lusor occurrit beato Bernhardo equitanti, dicens ei: Pater ludo tecum et animam meam ponam contra equum tuum. Sanctus Bernhardus statim de equo descendens dixit: Si plura puncta me jeceris, meus equus tuus erit; si ego plura projecero, anima tua mea erit. Lusor concessit; statim taxillos tres arripiens, octo puncta projecit; quo facto frenum equi tanquam suum tenuit. Ait sanctus Bernhardus: Fili, adhuc plus restat in tribus taxillis, quam istud. Et accipiens projecit XVIII puncta, uno puncto plus quam

lusor. Quo viso lusor sub obedientia patris sui Bernhardi se dedit et post vitam sanctam fine felici ad dominium migravit.

Moralisatio. Carissimi, lusor iste est homo mundanus vanitatibus deditus et subjectus; sanctus Bernhardus est discretus prælatus sive confessor, qui habet cum tali tota prudentia ludere, ostendendo ei vitam, quæ est ludus et gaudium animæ. Equum suum debet ponere i. e. cor suum et animam laboribus exponere, ut educat errantem ad viam veritatis, sicut ait apostolus: Sicut Christus animam suam pro nobis posuit, sic et nos debemus animas pro fratribus nostris ponere; omnes enim fratres sumus ab uno patre Adam; quare merito nos diligere debemus. Tres taxilli sunt pater, filius et spiritus sanctus, qui habent multa puncta i. e. infinita gaudia, quæ debent ostendi et peccatori recitari, unde in evangelio: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Imo, tot sunt ibi gaudia, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec hominis cogitatio exprimere potest, quæ præparavit deus diligentibus se; ibi requies sine labore, vita sine morte, gaudia sine luctu, et ut breviter concludam, omnis gaudii plenitudo.

Cap. 171.

De dilectione et fidelitate nimia et quod veritas a morte liberat.

Refert Petrus Alphonsus, quod erant duo milites, quorum unus manens in Aegypto, alter in Baldach. Inter istos duos duo nuntii sæpius perrexerunt, unde quidquid erat in terra Aegypti miles de Aegypto per nuntios ad militem de Baldach misit et e converso, sic quod amor fidelis inter eos factus est et nullus adhuc alium vidit. Miles vero de Baldach cum semel in stratu suo jacuisset, intra se cogitabat, dicens: Socius meus de Aegypto mihi magnam amicitiam ostendit et nunquam oculis carnalibus eum vidi; vadam ad eum et eum videbo. Conduxit navem, venit in Aegyptum, audiensque amicus ejus, obviam ei perrexit et cum gaudio ad domum suam duxit. Miles ille quandam puellam nimis pulchram in domo sua habebat; quam cum vidisset miles de Baldach, captus est in oculis ejus et præ nimio amore infirmabatur. Miles vero de Aegypto cum hoc percepisset, ait ei: Carissime, dic mihi, quid tibi est? At ille: Est puella una in domo tua, quam desiderat cor meum et tota mente intantum, quod, nisi eam habuero, filius mortis sum ego. Miles cum hoc audisset, omnes mulieres domus suæ ei ostendit excepta illa puella. Ille cum omnes vidisset, ait: De omnibus istis parum aut

nihil curo; sed est una alia, quam non video, quam diligit anima mea. In fine illam puellam ei ostendit; visa puella ait: Carissime. in ista sola stat mors et vita mea. Ait miles: Et ego dico tibi, quod istam a juventute sua in domo mea nutrivi, ad hoc ut uxor mea esset, et quod cum ea infinitas divitias obtinerem; veruntamen tantum te diligo, ut, antequam moriaris, ipsam tibi in uxorem concedo cum omnibus divitiis, quas ego recipere deberem. Miles hoc audiens consolatus est et gavisus est valde, eam in uxorem accepit, cum qua divitias multas obtinuit, et sic ad patriam suam Baldach cum conjuge sua perrexit. Post hæc cito miles de Aegypto ad egestatem magnam pervenit intantum, quod nec domum nec aliquam rem habebat; intra se cogitabat: Pauper sum ego; ad quem melius potero accedere, quam ad socium meum de Baldach, quem ego ad divitias promovi, et ipse me in egestate mea respiciat? Navem ascendit et venit in Baldach ad quandam civitatem post solis occasum, in qua manebat dives socius ejus et intra se cogitabat: Nox est; si modo ad domum socii mei pergam, notitiam mei non habebit, quia male sum vestitus et nullum mecum habeo, ubi solebam magnam familiam ducere et omnibus abundare. Ait intra se: Nocte ista quiescam et die crastina ad eum pergam. Ille respexit versus cimiterium, vidit ostia ecclesiæ aperta, intravit, ut tota nocte quiesceret. Cum autem ibi fuisset et dormire volebat, duo in platea ad invicem pugnabant et unus alium occidit, interfector vero ad cimiterium fugit et ex alia parte exivit. Post hoc vero cito clamor factus est in civitate: Ubi est interfector et proditor? Cum vero audissent, quod cimeterium intrasset, intraverunt multi, neminem videntes nisi militem in ostio ecclesiæ jacentem, dixeruntque ei: Ubi est proditor, qui hominem interfecit? Ait ille: Vere ego sum, accipite me et in patibulum me suspendite! Illi manus in eum injecerunt et per totam noctem in carcere incluserunt. Mane vero campana civitatis erat pulsata, judex contra eum sententiam dedit et illum ad suspendendum duxerunt. Inter alios, qui secuti sunt eum ad patibulum, erat miles socius ejus, ad quem venerat. Cum vero eum duci ad patibulum respexisset, ait intra se: Ille est socius meus de Aegypto, qui mihi uxorem meam cum divitiis multis dedit, et jam vadit ad suspendendum et ego vivam? Clamavit alta voce et dixit: O carissimi, nolite innocentem interficere! Ille est innocens, quem vos ad mortem ibi ducitis, ego vero sum, qui hominem interfecit, et non ipse. Illi hoc audientes manus in eum injecerunt et ambos ad patibulum duxerunt. Cum vero prope patibulum essent, reus cogitabat intra se: Mihi grave peccatum esset, ex quo reus hujus facti sum ego et istos innocentes mori permittam;

non poterit esse, quin deus aliquando vindictam de me sumat; melius est mihi, hic pati breve supplicium, quam æternam pœnam sustinere in inferno. Clamabat voce magna et dicebat: O carissimi, nolite propter deum innocentes occidere! Nullus ex eis signo, verbo, vel facto consilium dederat, ut ille occideretur, qui occisus est; sed ego sum, qui propriis manibus eum occidi. Ideo me interficite et innocentes permittatis libere abire. Illi hoc audientes admirabantur, manus in eum injecerunt et illos tres coram judice duxerunt. Judex cum eos vidisset, admirabatur et ait: Quare reversi estis? Illi vero totum processum a principio usque ad finem retulerunt. Ait judex primo militi: Carissime, qua de causa dixisti, quod tu hominem occidisti? At ille: Sine fallacia vobis veritatem dicam. Quando in terra mea in Aegypto locuples fui et in omnibus abundans, deinde ad magnam egestatem perveni intantum, quod domum nec locum nec aliquam rem habui, verecundia ductus terram istam intravi, ut sic aliquod remedium obtinerem, et ideo dixi, quod hominem interfecissem, quia libentius mori vellem, quam vivere, et adhuc propter deum peto, ut me occidatis. Ait judex secundo militi de Baldach: Et tu, carissime, quare dixisti, quod hominem occidisti? Qui respondit: Domine, miles iste de Aegypto mihi uxorem cum infinitis divitiis dedit, quam pro se ipso nutrivit, per quem factus sum dives in omnibus; cum vero socium meum tam carum, qui me ad tot et ad tanta promovit, vidi ad patibulum duci, alta voce clamavi: Ego sum reus mortis ejus, et non ipse. Quia libenter pro amore ejus vellem mori. Ait judex interfectori: Ob quam causam dixisti, te hominem interfecisse? Qui ait: Domine, verum dixi; ego sum, qui hominem interfeci; sed cum vidi illos innocentes sine causa duci ad patibulum, cogitavi, grave peccatum mihi fuisset, si innocentes mori permisissem et ego viverem, et ideo potius elegi veritatem dicere et pœnam hic sustinere, quam innocentes sine culpa damnari, et ego in inferno vel alibi puniri. Ait judex: Quia veritatem dixisti et innocentes salvasti, modo studeas vitam tuam emendare, mortem tibi remitto; vade in pace! Omnes audientes judicium, judicem laudabant quod tam pie dedit judicium eo quod veritatem dicebat reus.

Moralisatio. Carissimi, imperator iste est pater cœlestis; duo milites est dominus noster Jesus Christus et Adam primus pater; scil. Jesus Christus in Aegypto manens, juxta illud: Ex Aegypto vocavi filium meum. Adam primus pater in agro damasceno plasmatus est. Inter istos erat maxima amicitia et nuntios inter eos miserunt, quando pater ad filium et spiritum sanctum loquebatur dicens: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram! Postea

miles de Baldach scilicet Adam in paradisum translatus in domo domini nostri Jesu Christi; in domo illa vidit quandam pulchram puellam scilicet animam, quam appetiit, quam deus ei dedit cum infinitis divitiis et dominum mundi eum constituit juxta illud Psalm.: Omnia subjecisti etc. Et in mundum istum cum uxore perrexit. Post hoc miles scilicet dominus noster Jesus Christus factus est egenus et pauper juxta illud: Vulpes foveas habent et volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet. Venit in mundum istum, in quo duo pugnabant, scilicet caro et spiritus. Christus vero templum intravit, scilicet uterum beatæ virginis Mariæ, juxta illud: Templum dei sanctum est, quod estis vos. Unus alium occidit, scilicet caro spiritum. Clamor factus est in cœlo et in terra de interfectione spiritus, quando Adam peccavit. Multi sequebantur, hoc est Judæi cum fustibus et laternis et gladiis eum quærebant, ille vero sicut miles respondit pro peccato alterius: Dimittite eos, ego sum, sinite illos abire! Statim ipse se obtulit mori pro genere humano in cruce. Per secundum militem, qui pro socio suo obtulit se mori, debemus intelligere apostolos martyres, qui pro Christi nomine ac veritate mortui sunt; per tertium, qui dicebat: Ego sum reus etc. peccatorem debemus intelligere, qui nudam veritatem in confessione debet dicere: Ego sum, qui peccavi, qui male egi, ego iniquitatem feci. Et si sic feceritis, tunc sine dubio judex in die judicii sententiam contra vos mutabit, ita quod vitam æternam obtinebimus. Ad etc.

Cap. 172.

De constantia fidelis animæ.

Quidam rex erat in Anglia, in cujus regno duo milites erant; unus Guido vocabatur, alter Tyrius. Guido plurima bella commisit et in omni bello victoriam obtinuit. Quandam puellam pulchram generosam nimis dilexit; tamen eam in uxorem non poterat obtinere, quousque ardua bella tentasset pro ejus amore. Deinde in quodam bello speciali eam obtinuit et cum magno honore illam desponsavit. Tertia nocte post gallicantum de lecto surrexit, intime firmamentum vidit, in quo clare dominum nostrum Jesum Christum inter stellas respexit ei dicentem: Guido, Guido, sicut bella sæpius commisisti pro amore unius puellæ, tempus est, ut pro meo amore amodo studeas viriliter contra inimicos meos pugnare! His dictis evanuit Jesus Christus. Ille intellexit, quod voluntas dei esset, ut ad terram

sanctam pergeret et Christum de infidelibus vindicaret. Ait uxori suæ: Credo, quod jam a me concepisti infantem. Nutrias, quousque venero, quia ad terram sanctam pergere volo. Illa hoc audiens quasi furibunda de lecto surrexit, pugionem ad caput lecti accepit et dixit: O domine mi, semper te dilexi et tantum pro tuo amore exspectavi, quousque fuero tibi in matrimonio copulata, ut committeres multa bella, ut per totum mundum fama tua esset divulgata; jam concepi et modo velis a me separari? Prius me ipsam cum ista pugione volo occidere. Ille surrexit et pugionem ex manibus ejus accepit et ait: Carissima, paveo verba; votum deo feci terram sanctam visitare. Jam est tempus plus acceptabile votum meum implere, quam in senectute; sustineas, quia deo volente cito redibo. Illa de verbis ejus confortata anulum ei tradidit et ait: Accipe istum anulum, et quotiens illum respexeris in peregrinatione tua, memoriam mei habebis, et ego usque ad reditum tuum patienter sustineam. Miles valefecit ei, militem Tyrium cum eo accepit, illa vero multis diebus planxit nec consolari poterat. Cum tempus advenit, filium pulcherrimum peperit et eum tenerrime nutrivit. Guido et Tyrius multa regna transierunt et plurima bella pro Christi amore commiserunt. Tandem regnum Daciæ per infideles erat destructum. Ait Guido socio suo: Carissime, ad illud regnum pergere debes et regem contra infideles totis viribus juvare, quia christianus est; ego vero terram sanctam intrabo et contra Christi inimicos pugnabo et per te redibo, et six Angliam intrabimus cum gaudio. Ait Tyrius: Quid tibi, placet et mihi. Regnum illud intrabo, et si vivus fueris, per me redeas, ut ad patriam nostram intrare poterimus. At ille: Fideliter tibi promitto. Osculati sunt invicem et in separatione amare flebant. Guido terram sanctam intravit et Tyrius Daciam. Guido plurima bella contra Sarazenos et paganos commisit et in omni bello victoriam obtinuit, unde fama ejus per totum mundum volabat; Tyrius vero similiter omnes infideles de regno Daciæ expulit, multa bella commisit et victoriam obtinuit; rex eum super omnes dilexit et honoravit et ab omni populo est intantum dilectus, quod rex eum ditavit. Erat tunc in regno quidam tyrannus strenuus valde, nomine Plebeius, qui Tyrio invidebat, quod tam subito ad divitias et honores promotus esset. Eum de proditione apud regem accusavit, quod regem de regno privare intendebat. Rex dictis ejus credens, quod potens ac strenuus esset, Tyrium omni honore et divitiis privavit, ita quod Tyrius ad magnam egestatem pervenit, intantum quod vix sustentationem habebat. Tyrius multum dolebat, quoniam solus est derelictus et in paupertate positus; flevit amare et ait: Heu mihi, quid faciam ego? Dum semel

tristis perrexit solus spaciando, Guido in forma peregrini ei obviabat. Quem cum Tyrius vidisset, notitiam ejus non habebat, sed Guido eum statim agnovit, sed ei qualis erat revelare nolebat et dixit: Carissime, unde es? Qui ait: De partibus longinquis sum ego, sed moram per plures annos in isto regno traxi. Quendam socium habebam, qui terram sanctam intravit; sed si vivus vel mortuus, aut aliter quoquo modo secum fuerit, omnino in mea non est notitia. Ait Guido: Ob amorem socii tui me in gremio tuo permittas quiescere, ut parum dormiam, quia ex itinere lassus sum. Ille ei annuit. Cum Guido in gremio suo dormiret, Tyrius vidit os ejus apertum et unam mustelam candidam exire et ad quendam montem juxta eum intrare. Cum vero ibidem per aliquod spatium moram traxisset, rediit et in os ejus reintravit. Hoc facto Guido est expergefactus a somno et ait ei: Carissime, vidi somnium mirabile. Mihi videbatur, quod una mustela de me exiit et in illo monte intravit. Ait Tyrius: Carissime, sicut in visione vidisti, ita oculis meis respexi; sed quid mustela in isto monte fecerat, penitus ignoro. Qui ait: Montem ambo intrabimus, quia forte aliquid utile inveniemus. Montem intrabant et ecce draconem mortuum invenerunt, ventrem ejus auro plenum cum gladio polito; super gladium erat superscriptio talis: Per gladium istum miles Guido devincet Tyrii adversarium. Guido cum istum draconem invenisset, est valde gavisus et ait Tyrio: Carissime, totum thesaurum tibi do, sed gladium juxta me habere volo. Ait Tyrius: O domine, apud te non merui, ut mihi tale donum dares. Et ille: Eleva oculos tuos et vide! Ego sum Guido socius tuus. Ille vero hoc audiens intime eum respexit, statim notitiam ejus habebat, ad terram præ gaudio cecidit et amare flevit et dixit: Sufficit mihi de cetero vivere, ex quo semel vidi te. Et ille: Surge velociter! Potius de adventu meo gaudere debes, quam flere. Pro te pugnabo contra tuum adversarium et ambo in Angliam cum honore pergemus; sed videas ante omnia, ut nemini, qualis ego sum, dicas. Surrexit Tyrius, super collum ejus cecidit et osculatus est eum. Tyrius vero ad domum suam cum auro perrexit. Guido vero ad palatium regis ad januam pulsavit. Janitor vero causam pulsationis quæsivit. At ille: Ego sum peregrinus, qui noviter a terra sancta veni. Statim introitum ei dedit et regi est præsentatus. Juxta latus regis tyrannus ille sedebat, qui Tyrium divitiis ac honore privavit. Ait rex: Qualis pax est in terra sancta? Et ille: Domine, modo est pax bona; multi ad christianitatem conversi sunt. Qui ait: Vidisti illum militem de Anglia Guidonem, qui tot bella ibidem fecerat? Qui ait: Domine, sæpius eum vidi et cum eo comedi. Et ille:

Numquid est tibi mentis de regibus Christianorum? Ait: Etiam, domine, de persona tua, quomodo Sarazeni ac ceteri infideles regnum tuum per multa tempora occupaverunt et per quendam militem nomine Plebeium ab illo omni honore et divitiis illum nobilem militem privastis, et hoc injuste; de vobis ista ibidem dicuntur. Plebejus cum hoc audisset, ait: Tu false peregrine, qui ista mendacia narras. nunc dignus esses eum defendere, quia si sic contra te pugnarem, quia Tyrius ille privare dominum nostrum regem volebat a regno. Ait Guido regi: Domine mi, ex quo ille dicit, me falsum peregrinum esse et Tyrium militem proditorem, de vestro beneplacito contra eum pugnabo et eum falsum super corpus meum probabo. Ait rex: Mihi bene placet, imo te rogo, ut a proposito non desistas. Qui ait: Domine, arma mihi concedas. Ait rex: Quidquid indiges, paratum invenies. Rex diem belli inter eos constituit. Rex timens, ne peregrinus Guido per insidias interim occideretur, vocavit filiam suam virginem et ait ei: O filia, sicut vitam tuam diligis, peregrinum istum diligenter custodias et omnia necessaria invenies! Ille peregrinum in cameram suam introduxit, balneari fecit et eum ad libitum suum habebat. Adest dies belli, mane Plebejus armatus in porta stetit et clamabat: Ubi est falsus ille peregrinus? Quare tantum tardat? Ille hoc audiens armavit se, ambo ad campum perrexerunt, duos ictus adinvicem fecerunt intantum duros, quod Plebejus fere spiritum emisit, nisi poculum gustasset, et ait: O bone peregrine, me permittas, semel aquam haurire. At ille: Si mihi fideliter promittas, hanc curialitatem mecum agere, si necessitas requirit, tibi concedo. Qui ait: Et ego tibi fideliter promitto. Ille vero ad aquam accessit, bibit quousque saturatus esset, statim cum toto conamine in Guidonem irruit, ad invicem ambo viriliter pugnabant, intantum quod Guido modo sitiebat et ait: Carissime, eandem curialitatem, quam tibi ostendi, jam mihi concedite, quia ultra quam credi potest sitio! At ille: Deo voveo, quod non gustabis, nisi in manu forti! Guido hæc audiens se defendebat in quantum potuit, ad aquam appropinquavit, et cum prope fuisset, in aquam saltavit, et hausit quantum volebat; deinde aquam exiit et sicut leo rugiens in eum irruit, aliusque fugam petiit. Rex hoc videns fecit eos abinvicem separari et illa nocte quiescere, ut die crastina ad bellum parati essent. Peregrinus cameram filiæ regis intravit, illa vero omne solatium ei præbuit, vulnera ejus ligavit, cœna facta in lecto ligneo firmissimo eum requiescere fecit; ille vero ex bello fatigatus incepit dormire. Plebejus septem filios strenuos habebat, vocavit eos et ait: Carissimi, vos estis filii mei; vobis denuntio, nisi ille peregrinus

exstinctus ista nocte fuerit, die crastina inter mortuos computabor; fortiorem eo nunquam vidi. At illi: Pater, nocte ista erit expeditus. Circa mediam noctem omnibus dormientibus cameram puellæ intrabant, quæ erat juxta mare constructa, ita quod aqua maris sub camera fluebat. Inter se dixerunt: Si eum in lecto occiderimus, filii mortis sumus. Omnes eum cum toto lecto in mare projiciemus et tunc penitus a populo dicetur, quod fugam recepit. Et illum dormientem receperunt et in mare projecerunt; ille vero dormiebat et nihil percepit. Nocte illa erat quidam piscator supra mare; cum sonitum lecti audisset, per lumen lunæ lectum respexit, admirabatur, alta voce clamabat: Dic mihi propter deum, qualis es, ut potero te juvare, antequam submersus fueris! Guido audiens clamorem a somno est expergefactus, stellasque in firmamento videns, admirabatur, ubi esset, et cum se in aqua percepisset, ad piscatorem clamabat: O carissime, adjuva me et dabo tibi mercedem, quia ego sum peregrinus ille, qui heri in campo pugnabat; sed quomodo huc veni, penitus ignoro. Piscator hoc audiens eum in naviculam recepit et ad domum suam duxit et in loco quiescere fecit. Veneruntque filii Plebeji ad patrem suum nuntiabantque ei, quod submersus fuisset, unde amplius timere non deberet. Plebejus non modicum gaudens mane surrexit et armavit se, ad januam palatii accessit et clamabat: Illum peregrinum deduc foras, ut potero me de eo vindicare! Rex cum audisset, præcepit filiæ, ut eum excitaret et ad bellum se præpararet. Illa vero ad lectum ejus accessit et non invenit. Puella vero amare flevit et ait: Heu mihi, thesaurus meus mihi est ablatus. Denuntiansque patri, quod eum non invenit. Rex vero contristatus est valde; sed cum lectum non invenerunt, admirati sunt. Aliqui eum fugam accepisse dixerunt, aliqui quod jugulatus fuisset. Plebejus in porta continue clamabat: Educ foras peregrinum tuum, quia caput suum hodie regi præsentabo! Dum vero in palatio de peregrino facta est quæstio, unde devenit, venit piscator ad regem et ait: Domine nolite contristari! Nocte ista in mari piscando eram et peregrinum in mari projectum inveni, quem accepi et in domum meam introduxi et eum dormientem dimisi. Rex cum hoc audisset, gavisus est valde, mittit ad eum, ut se ad bellum præpararet. Plebejus cum audisset, quod mortuus non esset, timuit valde, inducias belli a rege petiit. Rex inducias unius horæ ei concedere nolebat. Ambo campum intrabant, duos ictus dederunt, sed in tertio ictu Guido brachium ejus amputavit. Deinde caput et regi præsentavit. Rex vero gavisus est valde, quod peregrinus tam gloriose triumphavit, et cum audisset, quod filii Plebeji eum in mare projecerunt, eos in patibulo suspendi

fecit, peregrinus vero licentiam a rege accepit. Ille vero donaria multa ei obtulit, ut secum maneret; sed ille nolebat ei consentire. Aurum et argentum in magna quantitate dedit, qui omnia Tyrio suo dedit et eum cum rege in pristino gradu et in divitiis multis instituit et vale regi fecit. Rex vero ait: Carissime, propter deum unum a te peto, antequam recedas, dicito mihi, quod est nomen tuum! Ait ille: Domine, Guido vocor, de quo sæpius audisti. Rex hoc audiens, cecidit super collum ejus, magnam partem ei promisit regni sui, si moram cum eo traheret. Ille nullo modo ei volebat consentire, sed osculatus est regem et ab eo recessit. Guido Angliam intravit et ad proprium castrum perrexit. Ante portam pauperes sedentes in magna multitudine invenit et inter eos in forma peregrinæ comitissa sedit uxor ejus, personaliter singulis diebus ministrabat et cuilibet pauperi denarium dedit dicens: Orate pro domino meo Guidone, ut antequam moriar gaudium de eo habeam, et ut feliciter ad me revertatur, quoniam ad terram sanctam diu perrexit. Accidit eodem die, quod filius ejus, qui septem annorum erat, splendide indutus esset et matrem inter pauperes sequebatur. Filius cum audisset, matrem cuilibet pauperi dominum Guidonem nominare, ait: O mater, est illene pater meus, quem pauperibus istis sic recommendas? At illa: Etiam, fili mi. Tertia nocte, postquam te concepi, a me recessit et amplius eum non vidi. Cum vero domina inter pauperes per ordinem ambularet, venit ad virum suum Guidonem et elemosynam ei dedit; sed qualis esset, penitus ignorabat. Ille vero caput suum inclinabat, ne agnosceretur. Domina cum ad alios pauperes ambulasset, filius sequebatur, Guidoque oculos suos elevans videnque filium suum, quem ante nondum viderat, non poterat se continere; filium inter brachia accepit et osculatus est eum, et ait: O fili dulcissime, deus det tibi gratiam deo placere! Domicellæ videntes peregrinum ei osculum tradere, vocatus est ut amplius ibidem non staret. Guido ad uxorem accessit et locum in foresta petiit, ut ibi poterat semper permanere. Illa videns eum peregrinum, pro dei amore et viri sui locum ei construxit; ibidem per multa tempora permansit. Cum autem ad mortem appropinquaret, famulum suum advocari fecit et ait: Ito, carissime, festinanter ad comitissam et istum anulum ei trade et dicito, si me desiderat videre, statim ad me veniat sine ulteriori dilatione. Nuntius ad dominam perrexit et anulum ei ostendit. Viso anulo alta voce clamabat: Iste est anulus domini mei. Agili cursu ad forestam perrexit, et antequam venit, Guido est defunctus. Illa vero super cadaver cecidit. Alta voce clamabat: Heu mihi, spes mea periit! Et lamentationes et suspiria

emisit, dicens: Ubi jam sunt elemosynæ meæ, quas pro domino meo feceram omni die? Vidi dominum meum elemosynam de manibus meis accipere et eum non cognoscebam. Vidisti filium tuum ante oculos tuos, palpasti, osculatus fuisti, nec mihi nec sibi indicasti! Quid fecisti, o Guido, Guido! Amplius te non videbo? Cum maximo honore corpus sepulturæ tradidit et mortem ejus per multos dies planxit.

Moralisatio. Carissimi, per istum militem deum intelligere debemus, qui multa bella fecerat; primo in cœlo, quando dæmones expulit, sicut scriptum est: Factum est prœlium magnum in cœlo. Deinde in terra; sæpius, quando Pharaonem et exercitum ejus projecit in mare, et in parasceue, et hoc totum propter amorem puellæ i. e. animæ. Deinde Tyrium secum duxit i. e. hominem assumpsit, ut infideles i. e. vitia de regno corporis expelleret et virtutes plantaret. Tyrium i. e. Moysen constituit, ut populum suum ad vitam rectitudinis duceret. Deinde Guido de terra sancta venit, quando filius dei de cœlo descendit et Tyrium vagantem scilicet totum genus humanum in via perditionis invenit, quia, quotquot ante eum venerunt, ad inferna descenderunt. Dormivit in gremio nostro, quando nostram humanitatem assumpsit de virginis utero. Mustela exiit et montem intravit etc. i. e. Johannes et prophetæ alii de ejus adventu prophetabant, in montem i. e. in mundum intraverunt, verbum dei prædicando, sicut testatur de Johanne: Ecce mitto angelum meum etc. Post hoc rediit ad Christum, cum dixit: Ecce agnus dei! Christus vero invenit draconem mortuum, scilicet legem antiquam conculcatam per ceremonias, et cum in ea thesaurum invenit, scilicet decem præcepta, quæ homini dedit, cum gladio potestatis diem latuit, quam sibi retinuit, sicut scriptum est: Judicium meum alteri non dabo. Per istum gladium Plebeum tyrannum interfecit, qui Tyrium i. e. hominem ab honore et divitiis privavit, quando primum parentem transgredi fecit. Pugnavit fortiter in campo istius mundi et per unam virginem scilicet beatam Mariam armis humanitatis erat armatus. Sed septem filii i. e. propter septem peccata mortalia de cœlo descendit et cum eo semper fuit in mare istius mundi projectus, ubi piscator scilicet spiritus sanctus super eum descendit et semper cum eo fuit et in fine diabolum devicit et victoriam regi i. e. patri cœlesti præsentavit, et sic ad terram suam i. e. cœlum se transtulit et nobis anulum fidei suæ reliquit, per quam poterimus ad æternam patriam pervenire. Guido cum ad patriam suam venerat, incognitus erat. Sic filius dei in cœlo intravit; parentes sui, scilicet angeli aliqui, qualis esset, penitus ignorabant; unde dicebant: Quis est iste, qui venit de Edam tinctis vestibus de Bosra? Unde debemus patrem nostrum osculari scilicet

orationem ei infundere, quia ipse est pater noster, unde in Deuter.: Antequam esses, ipse est pater tuus etc. Studeamus ergo patrem nostrum Christum sequi per opera misericordiæ, et per consequens veniemus ad æterna gaudia.

Cap. 173.

De sarcinis et gravaminibus mundi et gaudiis cœli.

Accidit semel, quod rex quidam ad nundinas perrexit et secum quendam magistrum philosophum cum discipulo suo duxit. Qui stantes in foro octo sarcinas viderunt venditioni expositas, de quarum prima discipulus magistrum interrogavit, quale pretium paupertas scilicet et tribulationes propter deum requireret. Qui ait: Regnum cœlorum. Discipulus: Grande pretium est, amoveat secundam et videamus, quid intus habeat. Magister: Mansuetudinem. Beati, inquit, mites! Discipulus: Præclara res et deo digna mansuetudo. Cujus pretii est? Magister: Non dabitur aurum obrisum pro ea, nec appendetur argentum pro commutatione ejus, sed terram requiro, non nisi terram desidero pro ea. Discipulus: Ab India usque ad Britaniam terra spatiosa est et cultoribus indiget; accipe quantum placet. Magister: Nequaquam; hæc terra est morientium, quæ devorat habitatores suos. Moriuntur in ea homines; ego vero quæro terram viventium. Discipulus: Quid perpendo quod moriuntur et tu invitus morieris? Vivere vis in æternum? Ecce beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Tertia quid continet? Magister: Esuriem et sitim. Discipulus: Quomodo possunt hæc comparari? Magister: Justitia illi nomen est. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Discipulus: Saturaberis ergo et proveniet tibi justitia; si non interfuerit negligentia. Quarta quid continet? Magister: Lacrimas, fletus et ploratus, irriguum superius et irriguum inferius. Discipulus: Luctus et fletus non solent emi, redimi tamen, quia hoc pretium desiderant sancti. Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Quintus ille sacculus quid habet? Magister: Rem pretiosam, misericordiam, quam tibi placere perpendo, ne te protraham; pro misericordia volo misericordiam, pro temporali æterna. Discipulus: Non es bonus rerum arbiter; pro temporalibus enim nunquam accipies æterna, nisi pro te ageret misericordia; ipsa tamen fiet tibi secundum fidem tuam, et beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sed jam paupertatibus et miseriis et tribulationibus abundamus. Revolve sextum, si forte quid melius contineat. Magister: Plenus plane,

sed hoc non amat publicum ut purpur, sed in secreto cubiculo videbitur ibique de præmio ejus taxabitur. Discipulus: Examinati sumus; quidnam est modo? Magister: Munditia est cordis pretiosa; ibi et vasa aurea et argentea continentur, scilicet pietas, bonitas, misericordia, caritas et gaudium in spiritu sancto; hinc pretiosa illa pallia explicabuntur, ut sunt lectiones, meditationes, orationes, contemplationes, judicia domini vero justificata, in semet ipsa desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum. Discipulus: In custodiendis illis retributio multa; pete igitur quid vis? Magister: Visionem dei. Discipulus: Beati ergo mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt! Evolve septimam. Magister: Pacem continet. Discipulus: Pacem tuam mihi venditurus es? Magister: Non meæ expedit paupertati, nec tuæ justitiæ competit, nec decet divitias tuas, ut gratis a me aliquid accipias; sed jam te in omnibus largiente abundo; unde quid superest? Homo sum rusticus et ignobilis et de luto factus, de limo terræ compactus, tædet me ignobilitatis meæ, nolo mihi ulterius improperari: Terra es et in terrum ibis; sed potius volo mihi dici: Cœlum es et in cœlum ibis. Sortem filiorum dei desidero, filius dei esse concupisco. Discipulus: Dixi, fateor nec diffiteor: Beati pacifici, quoniam filii dei vocabuntur. Si igitur filiorum servas caritatem, paternam habebis hereditatem. Jam ultima restat sarcina, explica eam. Magister: Non habet nisi persecutiones et tribulationes pro justitia. Discipulus: Et quid pro his exigis? Magister: Regnum cœlorum. Discipulus: Jam pro præmio vel pretio paupertatis id est concessi. Magister: Utique, sed mensis ex mense, sabbatum ex sabbato; erras; desidero præsenti hebdomada vel mense; quod residuum est exspecto. Discipulus: Miror in negotiando prudentiam tuam; et nunc audi: Serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui! Labores manuum etc.

Cap. 174.

Quod natura docet, nemo tollere potest; et de talione ingratitudinis.

Quidam imperator post meridiem ad venandum equitabat. Accidit, quod transiret per quandam silvam et invenit quendam serpentem a pastoribus captum et ad arborem fortiter alligatum, serpens vero horribiliter clamabat. Imperator pietate motus solvit eum et in sinu posuit, ut eum calefaceret. Cum autem esset calefactus, incepit

eum mordere et venenum suum in eum effundere. Ait imperator: Quid facis? cur malum pro bono reddis? Data est vox serpenti, ut quondam asinæ Beleam, et ait: Quod natura docet, nemo tollere potest. Tu fecisti; quod in te fuit, ego vero secundum naturam meam feci; tu ostendisti mihi omnem humanitatem, quam potuisti, ego vero reddidi tibi omne quod in me est; venenum obtuli, quia aliud nihil quam venenum habui, et semper ero inimicus homini, quia propter hominem sum punitus et maledictus. Illis sic contendentibus vocatus est quidam philosophus, ut inter eos judex esset et judicium rectum discerneret. Ait philosophus: Ista solum per relatum et auditum vestrum audio; sed si viderem ipsam rem, de qua dicitis, judicarem. Volo, ut serpens ligetur ad arborem pariformiter, sicut prius ligatus fuit, et dominus imperator sit liber; tunc judicabo pro utraque parte. Quod et sic factum est. Tunc ait philosophus serpenti: Jam es ligatus; solvas te ipsum, si potes, et recedas. Ait serpens: Non possum, quia tam fortiter ligatus sum, ut vix me movere valeo. Ait philosophus: Morieris ergo justo judicio, quia semper et usque modo ingratus fuisti homini et semper eris. Post hoc convertit se ad imperatorem et ait: Domine, jam liber es, venenum de sinu tuo excutias et perge viam tuam; amodo de tali fatuitate te non intromittas, quia serpens nihil aliud potest facere, nisi quod natura ei dedit. Imperator hoc audiens dedit gratias philosopho, qui tam rectum judicium dedit, et abscessit.

Moralisatio. Carissimi, iste imperator potest dici quilibet bonus christianus et vir ecclesiasticus, sicut est bonus prælatus, qui habet continuo venari circa salutem animarum, unde oportet quod transeat per silvam. Ista silva mundus dicitur, in quo invenit serpentem ligatum. Serpens est diabolus, qui per Christi passionem intantum est ligatus, quod nihil potuit nisi permissive, hoc est inquantum homo, qui est liberæ voluntatis, eum tentare permittit et ei consentit. Miser vero homo non præmeditans de futuris, solvit diabolum et in sinum suum ponit, quotiens in peccato mortali jacet et in eo delectatur. Quid ergo facit diabolus? Certe projicit venenum in corde illius hominis; venenum diaboli est, peccatum peccato addere, et malum malo cumulare. Isto veneno plures hodiernis temporibus inficiuntur. Quidam cum sunt in peccato luxuriæ, non solum apud se incontinentes sunt, sed et alios malo exemplo ad simile peccatum inducunt. Alii venenum illud pessimum a faucibus diaboli diffusum detractionis scilicet ita abundanter recipiunt, quod cum se ipsos intoxicatos conspiciunt, non ad clamorem alicujus adjutorii per confessionem vociferant, sed ut alii ad venenum hoc hauriendum ac aliis ministrandum ulterius

accedant. De istis detractoribus Psalm. ait: Venenum aspidum sub labiis eorum. Item alibi: Lingua eorum gladius acutus. Istud venenum est ita detestabile, quod vix aliquod malum veneno detractionis comparari potest, unde Ambrosius ait: Deteriores enim sunt, qui bonam famam aliis surripiunt, quam qui bona eorum violenter rapiunt; bona autem possunt eis restituere, famam autem nunquam; melius enim est nomen bonum, quam unguenta pretiosa. Inimicus ergo noster diabolus peccati venenum semper in nobis fundere studet, quia natura sua mala est, et ergo bonum facere non potest, et inimicitiæ sunt inter diabolum et hominem ab initio; sed peccator diabolum ligatum solvit, quando peccatum immissum per tentationem opere perficit; solutione facta inimicum suum in gremio fovet, quando peccatum continuatur et peccator per consuetudinem in eo manet, quod grave est, et ad ultimum in desperationis baratrum immergit et subducit. Pastores, qui istum serpentem ligabant, sunt prophetæ, patriarchæ, apostoli et alii moderni ecclesiæ doctores et prædicatores, qui eum vinculo linguæ eorum ita ligant, quod potestatem nullam exercere potest, et per vitam sanctam et opera misericordiæ et cum dominica oratione potestatem ei omnes subtrahunt. Sed miser homo, qui non timet deum, contra diabolum non pugnat nec eum ligat, sed et potius eum solvat peccata mortalia committendo, et in gremium eum recipiens fovet, et tunc est plenus veneno peccati in corpore et anima. Si ergo desideras liberari, voca ad te philosophum i. e. discretum confessorem, qui habet judicare inter te et diabolum, qui scit discernere inter lepram et non lepram, inter peccata et peccatorum genera, cui pandas cor tuum. Sed nullus poterit judicare, nisi prius diabolus sit ligatus. Et quomodo debet ligari? Certe triplici catena, scilicet contritionis, confessionis et satisfactionis, quia teste Psalm. cor contritum et humiliatum deus non despicies, quia non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat. Propterea peccator hanc triplicem catenam, quotiescunque sibi aliquod peccatum objecitur, ad collum diaboli debet extendere et eum sic ad desistendum eompellere. Adversarius iste est, qui tanquam leo rugiens circuit nos, quærens quem devoret; ideo humano generi adversatur, quia locum unde ipse cum sociis suis per peccatum cecidit, ut peccatis renovatis homo similiter eundem amitteret et gratiam cœlestium non obtineret. Quare omnia peccata quanquam minima et per confessionem non deleta ad faciem nobis ostendet in extremis. Propterea hujus catenæ capiamus partem secundam et ad collum ejus ligemus, ut sic vinctum ducere poterimus per confessionem, qui in nostram perpetuam laborat confusionem. Tunc confessor dabit nobis

remedium salubre de tertia parte istius catenæ scilicet pœnitentiæ ac satisfactionis et dicet: Jam liberatus es a diabolo. Vade in pace hoc est noli amplius peccare! Rogemus ergo etc.

Cap. 175.

De diversitate et mirabilibus mundi cum expositione inclusa.

Plinius narrat, quod aliqui homines sunt canina capita habentes, qui cum latratu loquuntur et vestiuntur pellibus animalium. Tales significant prædicatores, qui omnes animalium pellibus debent vestiri i. e. aspera pœnitentia propter bonum exemplum aliis dandum indui. Item in India sunt quidam homines, qui tantum unum oculum super nasum habent in fronte et carnes animalium comedunt. Isti designant homines, qui tantum habent oculum rationis, scilicet quo in fronte utuntur et non voluntate. In Libia sunt aliquæ feminæ sine capite, os et oculos habentes in pectore. Tales designant homines, qui volunt humiliter obedire ex corde, non habentes pectora levia, et quidquid extrinsecus faciendum est in opere, prius bene deliberant in corde. In oriente contra paradisum sunt homines nihil comedentes, quia os tam modicum habent, ut calamo potum sumant. De odore pomorum et florum vivunt, ex odore malo subito moriuntur. Isti designant claustrales, qui præcipue contra cibum et potum debent sobrii esse, et hoc est modicum os habere et cum calamo i. e. cum discretione sumere cibum. Tales debent ex odore pomorum et florum i. e. præceptorum et bonarum virtutum spiritualiter vivere, et sic aliis modum vivendi in castitate et parsimonia præbere; sed de odore malo i. e. peccato cito moriuntur, quia quam cito peccatum perpetratur, homo Christo moritur. Item ibidem sunt homines sine naso facie plena, et quidquid vident hoc totum bonum putant. Tales designant stultos sine naso discretionis, ita quod totum eis bonum esse videtur, quod vident et ipsi faciunt. Sunt et ibidem homines habentes nasum et labium inferius tam longum, quod totam faciem cooperiunt dormientes. Tales designant justos, qui habent inferius scilicet ad mundum magnum labium considerationis, attendentes mundi vanitatem detractionis et mendacii; tamen per labium custodiæ protegunt totam faciem i. e. totam vitam per jugem meditationem ne in peccatis dormiant. In Sichia sunt homines habentes tam magnas aures, ut tegant per illas totum corpus. Hi designant illos, qui libenter audiunt verbum dei, per quod possunt animam et corpus a peccatis custodire. Item aliqui sunt, qui ut pecora ambulant, et

signant illos, qui nec deum nec sanctos ejus honorant, sed ut pecora et jumenta irrationalia de peccato in peccatum ambulant, contra quos dicit Psalm.: Nolite fieri sicut equus et mulus etc. Item aliqui homines sunt cornuti naso brevi, pedibus caprinis. Tales sunt superbi qui in omni loco cornua superbiæ ostendunt, et habent parvum nasum discretionis ad salutem propriam, sed habent pedes caprinos currendo ad luxuriam; caprea enim velocissimi cursus est et ad ascensum prona. Applica ad superbos! In Aethiopia sunt homines. tantum unum pedem habentes, tantæ tamen velocitatis sunt, ut bestias currendo insequantur. Hi sunt illi, qui habent tantum unum pedem perfectionis erga deum et proximum, scilicet pedem caritatis. Tales sunt veloces versus regnum cœleste. In India sunt Pigmei duorum cubitorum in longitudine, equitantes super hircos et cum gruibus prœliantes. Hi designant illos, qui parvi sunt in longitudine bonæ vitæ, inchoantes sed non perseverantes et non viriliter contra grues i. e. vitiorum sordes pugnant. In India etiam sunt aliqui homines sex manus habentes, nudi et pilosi in flumine morantes. Homines cum sex manibus designant studiosos, qui laborant, ut vitam æternam obtineant. Psalm.: Anima mea in manibus meis semper. Per homines nudos intelliguntur peccatores virtutibus spoliati, qui morantur in flumine istius mundi. Ibidem sunt homines in manibus et pedibus sex digitos habentes; per septimanam ab omni pollutione peccati se custodiunt et diem septimum omnino celebrant et totaliter sanctificant; et mulieres cum barbis usque ad pectus, sed capite earum plano. Istæ designant homines justos planam viam mandatorum ecclesiæ observantes, qui amore vel odio non flectuntur. In Aethiopia sunt homines quatuor oculos habentes, et designant illos. qui timent deum, mundum diabolum et carnem; unum oculum dirigunt ad deum recte vivendo et quomodo debeant sibi placere; secundum ad mundum, quomodo debeant eum fugere; tertium ad diabolum, quomodo debeant contra eum stare; quartum ad carnem, quomodo debeant eam castigare. In Europa sunt homines formosi sed capite et collo gruico cum rostris. Isti designant judices, qui debent habere ad modum gruis collum longum, ut prius prudenter cogitent, in corde, quæ per sententiam proferenda sunt in ore. Si sic essent omnes judices, non tam et tot malæ essent sententiæ.

Cap. 176.

De medicina spirituali.

Quidam puer erat natus ab umbilico et sursum divisus ita, quod haberet duo capita et duo pectora et quodlibet proprios sensus, ita quod uno edente vel dormiente alter non dormiebat. Postquam per duos annos vixissent, mortuus est alter, altero in tertium diem superveniente. Item, sicut dicit Plinius, erat quædam arbor in India, cujus flores dulcem habent odorem et fructus saporem; juxta ejus situm manebat quidam serpens, qui Jacorlus vocabatur, qui odorem arboris multum odit, et ideo ut flores et fructus destrueret, ad radicem arboris veniens illam intoxicavit. Quod videns hortulanus illius patriæ tyriacam accepit et in quadam virgæ summitate ad ramos arboris illius supremos infudit, quæ cito venenum expulit a radice infecta et arborem sterilem fructificare fecit.

Moralisatio. Carissimi, per istum puerum intelligi potest quilibet homo, qui constituitur ex duobus scilicet corpore et anima, et quælibet pars sua propria habet opera, Galat. II: Opera carnis sunt immunditia, fornicatio, luxuria, idolorum servitus; opera animæ gaudium et pax in spiritu sancto, patientia, longanimitas et hujus modi. Ista opera sibi invicem adversantur; una dormiente vel comedente, altera contrarium semper facit, quia caro concupiscit adversus spiritum. Quando enim anima quiescit ab operibus, quæ sua sunt, tunc caro non quiescit, imo sollicita est circa opera sua mala et perversa, et sic una pars est mortua, altera viva; quia caro facit opera mortis, anima concupiscit opera vitæ. Per istam arborem intelligi potest homo; fructus hujus arboris sunt bona opera, unde Matth. V: A fructibus eorum cognoscetis eos. Fructus dulces protulit hæc arbor ante peccatum, sicut dicit sapiens: Flores mei fructus honoris et honestatis. Hos fructus serpens antiquus sustinere non potuit, sed venenum imposuit in radice, dum peccatum posuit in primo parente. Tunc sic infecta fuit arbor ista, quod fructum dulcem ferre non potuit, quia per opera quantumcunque meritoria homo cœlum ingredi non potuit, sed ad multa annorum millia tanquam exul ab hereditate vera profugus et propulsus exulavit, donec sapiens hortulanus i. e. pater cœlestis tyriacam infudit in una virga hujus arboris. Hæc virga est beata virgo Maria, de qua dicitur in Jesai.: Egredietur virga de radice Jesse. Item Virgilius in secundo bucolicorum:

Jam redit et virgo, redeunt saturnia regna,
Jam nova progenies cœlo dimittitur alto,
In modo nascendi puero quo ferrea primum
Desinet et toto surget gens aurea mundo.

In hac virga posita erat tyriaca, quando filius dei a patre missus est in uterum virginis, cooperante spiritu sancto, et quando de virgine natus est Christus. Arbor infecta per medicinam hujus tyriacæ salutiferæ dulcedinem suam pristinam recuperavit, de qua omnibus pœnitentibus affluenter dat et non improperat, ut in Jesaia dicitur: Omnes sitientes, venite etc.

Cap. 177.

De persecutione.

Rex Assuerus grande convivium cunctis principibus et populo regni sui fecit. Ad epulas reginam Vasti introduci jusserat, ut populus ejus pulchritudinem videret. Quam intrare renitentem rex regno privavit, Hester pro ea in sceptro sublimavit. Post hæc rex quendam Amam super regnum exaltavit, cunctos principes ei subjugavit. Cum autem cœpissent omnes genu curvare, solus Mardocheus patruus reginæ noluit eum adorare, unde indignatus disposuit eum cum omni progenie sua neci tradere. Cum regis sigillo decrevit, omnes Judæos in regno Assueri exterminare, altumque erexit eculeum, in quo voluit suspendere Mardocheum. Interea duo volebant regem occidere, quos Mardocheus accusavit et proditos jussit rex perdere, Mardocheum purpuram indui et coronam imponi et regio equo per civitatem duci, Aman cum militibus præire, laudes ei concinere. Hoc facto Mardocheus reginæ dixit, quod Amam eam cum omni populo scilicet parentela sua morti addixit, quæ omni populo jejunium indixit, se cum eis jejuniis et orationibus affligit. Quo peracto convivium instituit, regem invitans, Aman quoque adesse jussit. Inter epulas regem pro sui populique vita rogavit, se et omnes suos ab Aman damnatos narravit. Quem rex furore repletus jussit suspendi in eodem eculeo, quem ipse præparaverat Mardocheo. Porro ipsum Mardocheum principem constituit, qui omnem cognationem Aman perdidit, sed deo disponente populus innocens est liberatus et semen nequam funditus exterminatum.

Moralisatio. Carissimi, rex iste est dominus noster Jesus Christus, qui de radice Jesse surrexit. Hic principibus et populis regni sui convivium fecit, quia pluribus orbis principibus et fidelibus regni

corpus suum et sacram scripturam in epulas dedit. Reginam Vasti coronatam ad convivium vocavit, quia synagogam lege et philosophis redimitam ad cœlestes epulas invitavit. Quæ renuens regno privatur, Hester captiva in solio ejus locatur, quia Judæa incredula de regno Christi ejicitur et etiam de gentibus a diabolo captiva in thalamum regis concors cœlestis regni ducitur. Aman, qui a rege exaltatur, est judaicus populus, qui a deo in regno et sacerdotio ac divino cultu sublimatur, qui quærit reginæ progeniem exstirpare, quia judaicus populus quærit ecclesiæ spiritum exterminare. Aman quoque eculeum Mardocheo erexit. In eundem eculeum ipse suspenditur, quia diabolus in crucis patibulo comprehenditur. Duo, qui contra regem conjuraverunt, sunt duo infideles populi, scilicet judaicus et gentilis, qui Christum occidi consilium dederunt, quos Mardocheus accusat, quia christianus populus opera eorum improbat. Illi a rege necantur et isti a Christo damnantur. Mardocheus purpura et corona vestitur, equo regio per civitatem ducitur, quia christianus populus a doctoribus per mundum totum colitur; ordo namque equus Christi regis dicitur, in quo ipse per orbem vehitur. Aman cum militibus laudes ei consonant, quia judaicus populus cum gentibus velit nolit christiani præconia propria celebrat. Regina regem ad convivium vocat, quia ecclesia Christum ad solemnia sui corporis invitat. Aman etiam adesse jubet, quia fideli populo suas epulas prædicando præbet. Aman quoque, qui Mardocheo eculeum erigit, est antichristus, qui populo pro fide minatur mortis supplicium, qui eodem eculeo suspenditur et ipse mortis supplicio interimitur; Mardocheus princeps a rege præficitur, quia fidelis populus peracto judicio super omnia bona domini sui constituitur. Semen nequam exterminatur, quia tunc generatio malorum damnatur, populus autem reginæ liberatur et tristitia ejus in gaudium commutatur, quia generatio rectorum benedicetur, lætitia et exultatione perfruetur.

Cap. 178.

De omnium divitiarum matre, providentia.

Quidam rex desiderabat scire, quomodo se ipsum et imperium deberet regere. Vocavit ad se unum, qui alios in sapientia excellebat, et ait ei: Carissime, trade mihi formam, me ipsum et imperium regere! At ille: Domine, libenter. Statim fecit in pariete regem depingi coronam habentem in capite sub ista forma: erat in solio positus quidam rex purpura indutus, in manu læva pilam, in dextra

portat sceptrum, et ultra caput lucernam lucentem; a parte sinistra regina quædam formosa et coronata et veste deaurata varietate amicta; ex alia parte erant assessores in cathedra sedentes cum libro aperto; ante se sub rege miles quidam, qui in equo sedebat, armis decoratus, habens galeam in capite, hastam in dextra, clipeo protectus in læva, ensem in dextra, loricam in corpore, fibulas in pectore, ocreas ferreas in tibia, calcaria in pedibus, ferreas chirothecas in manibus, equum doctum ad prœlium cum phaleratibus; sub rege erant depicti vicarii, unus sicut miles positus in equo cum chlamyde et capucio, pelles variæ, virgam extensam gerens in dextra manu; item populares sub vicariis, quorum erat forma talis: homo in humana specie factus habens in manu dextra ligonem, quo terra foditur, in sinistra virgam, qua grex armentorum dirigitur, in cingulo falcem, cum quo segetes metuntur et vinearum et arborum superflua præscinduntur; in dextro latere regis faber ante militem depictus; hujus fabri forma fuit, quod in forma hominis malleum gessit in dextra, in læva habuit dolabrum, in cingulo gessit trullam cementaream; item ante populares homo, qui in dextra forpicem habuit, in læva gladium magnum et altum, in cingulo pugillare i. e. vas scriptorum cum incausto, super aurem dextram portans pennam ad scribendum; item ante populares erat quidam homo depictus, habens in dextra libram cum pondere, in læva gessit ulnam, in cingulo gessit bursam cum varia moneta; item ante reginam erant medici et pigmentarii sub hac forma: homo erat positus in cathedra magistrali, posito libro in manu dextra, urceo et pixide in sinistra, in cingulo habens ferramenta ulcerum et vulnerum; item juxta eum homo sic formatus: homo tenens manum dextram erectam ad invitandum transeuntes pro hospicio, lævam tenens plenam pane pulchro et desuper vas cum vino, in cingulo tenens claves, item in sinistra parte ante militem homo erat hujus formæ: scilicet in manu dextra habens claves magnas, in læva habens ulnam, in cingulo habens bursam cum denariis; item ante regem erat homo habens capillos hispidos et distortos, in dextra manu modicam pecuniam, in læva habens tres taxillos, in cingulo habens pixidem litteris plenam. Rex cum istam picturam vidisset, tantum in ea studuit, quod sapientiam magnam invenit.

Expositio. Carissimi, iste rex debet esse quilibet bonus christianus, et præcipue princeps vel prælatus, qui uterque eorum debet esse in solio positus purpura indutus, quæ figurat virtutem gratiæ et morum pulchritudinem, quibus mens et anima christiana ornari debet, et præcipue principis sive prælati, quasi habitibus virtutum præ subditis omnibus, ut corpus ejus reluceat aureis vestibus, coronam habens

in capite, quæ ostendit in rege regiam dignitatem, quæ est gloria populi, quia subditorum omnium oculi in eum diriguntur et sibi obediunt. In manu læva defert pilam, quæ ostendit regem esse administratorem et provisorem omnium subditorum, in dextra manu sceptrum, ostendens ejus justitiam et rigorem, quibus malos coerceat, quos amor virtutis a malo non refrenat, et ultra caput regis lucerna lucens, quæ designat regis misericordiam. Item regina a parte sinistra designat caritatem, quæ est formosa in anima, unde mulier sub rege Jesu Christo debet esse verecunda et pudica; secundo debet esse casta et honesta; tertio debet esse sapiens et discreta verbis et moribus modesta. Item assessores scilicet judices in cathedra; isti sunt prælati et prædicatores, qui debent mandata domini custodire, libros i. e. sacram scripturam aperire populo. Miles est bonus christianus, qui debet armari bonis virtutibus. Miles accingendus balneatur, ut novam vitam ducat, item in oratione pernoctat, petens sibi divinitus per gratiam, quod non potest per naturam; sic et bonus christianus. Miles vero debet balneari aqua confessionis et sæpius orationem infundere. Multa sunt necessaria militi, primo ut sit sapiens; sic christianus, ut addiscat sapientiam contra diabolum; secundo incumbit militi, ut sit fidelis domino suo; sic christianus domino suo Jesu Christo; tertio miles debet esse liberalis; sic christianus dativus; quarto miles debet esse fortis; sic christianus contra vitia; quinto miles debet esse misericors; sic christianus; sexto miles debet populares vigilanter custodire; sic christianus verbo exemplo opere alios inquantum potest a peccatis custodire et præcipue prælati. Item vicarii et unus miles positus in equo etc. Miles iste est judex, qui debet poni in equo justitiæ et chlamyde misericordiæ et capucio cum pellibus variis. Per capucium fidem cum multis auctoritatibus sanctorum et exemplis patrum in judiciis dandis. Virgam extensam scilicet tam pauperi quam diviti. Item populares ante judicem et homo in specie humana factus etc. Ad quæ tria reducitur omnis agricultura. Legitur, quod primus agricola fuit Kain, primogenitus Adæ; necesse autem fuit hominem terram colere, ut ipsa, quæ est mater nostra et corporalis formæ, commune initium et quæ nobis in fine vitæ commune præbet domicilium, in medio vitæ nostræ de nostro labore nobis præbeat nutrimentum. Agricola multa bona debet in se tenere; primo debet deum cognoscere et decimam dare, qui omnia sibi dedit; secundo debet legalitatem tenere et personam domini sui gerat et res ejus plus quam propria custodiat; tertio debent agricolæ mortem non timere, sed vitam diligere; quarto debent laborare, otia dimittere. Tria sunt opera agricolæ propria; primum est agros colere;

ideo in manu dextra defert ligonem pro terra fodienda; secundum est armenta nutrire; ideo tenet virgam ad animalia dirigenda, quia debet esse pastor non tantum arte sed virtute, sicut Abel primus pastor offerens deo primitias de optimo, quod habuit in grege; tertio pertinet ad eum virgulta mundare, arbores inserere, vineas plantare; sic bonus christianus debet esse virtuosus, opera meritoria deo afferre, virgulta cordium peccatorum per bonam doctrinam mundare, arbores i. e. bonas virtutes inserere et vineas prædicationis divinæ plantare. In cingulo falcem, i. e. sententiam in corde, rectam sententiam atque prudentiam, quibus debet mundare vitia. Et faber ante militem cum malleo in dextra, per quem notantur omnes, qui fabricant malleo ferrum, argentum et æs. In læva dolabrum, quo notantur omnes artifices in lignis operantes, ut navium rectores et carpentarii. In cingulo gessit trullam, per quam omnes lapicidæ notantur. In omnibus istis debent esse tria; primum est fidelitas et legalitas; secundo debet esse in eis sapientia et veritas, ne unus alteri invideat vel contra eum suspicionem habeat; tertio debet in eis esse et maxime in naucleris fortitudo inconcussa. Item homo in dextra tenens sorpicem, in læva gladium, in cingulo pugillarem, per quam notantur omnes notarii in panno et lana et lino operantes, ut sunt textores pannorum, cisores, doleatores; et pennam et pugillarem, per quas omnes notarii notantur, quorum officium est judici assistere, instrumenta scribere et multa legere. Ad hos omnes triplex veritas vitæ pertinet, scilicet contra omne peccatum: primo contra affatum locutionis, ne sint mendaces verbo et opere; secundo ut habeant et servant justitiam ad quemcunque; tertio ut habeant morum honestatem contra discordiam, fidelitatem contra fraudolentiam, amicitiam contra invidiam. Item homo in dextra libram cum pondere, per quam signantur campsores, pecuniarum commutatores. In læva gessit ulnam cum qua notantur pannorum telarum vel aliarum rerum mensuratores. In cingulo gessit bursam cum varia moneta, per quam designantur diversi monetarii. Omnes isti debent primo avaritiam fugere, quæ est idolorum servitus; secundo caveant gravia debita contrahere; tertio debent depositum sibi commissum, cum repetitur, sine mora reddere. Item sub regina ponitur homo in cathedra magistrali, cum libro in dextra ejus. In isto libro notantur medici et physici omnium artium liberalium doctores. Omnes isti debent habere primo diversas curas propter diversas ægritudines et auctoritates particulares pro eis, sicut Hypocras Galienus et sic de ceteris. In urceo significantur apothecarii confectores. Secundo debent caste vivere, virtutem morum verbis et factis habere, sæpius ægros visitare, sanitatem introducere.

Tertio pigmentarii debent habere summam diligentiam in confectionibus faciendis. Item homo manum dextram extensam etc. quæ signat omnia bona hospitum apud eos reposita salva, sicut et in tuto. Hi primo debent vitare gulam et ebrietatem, ut eorum exemplo omnes ad eos venientes vitæ servant modestiam. Secundo debent exhibere hospitibus cum imitatione benigna et allocutione blanda et faceta receptiones hospitum. Tertio, quia faciunt ipsum famosum hospitem; primo quos receperit hospitio debet de viarum periculis docere; secundo euntes de hospitio suo conducere in aliam domum; et tertio extra domum vitam et famam eorum cum omnibus rebus ut propriam defendere. Item in sinistra parte homo habens claves etc. quibus figurantur custodes civitatis. In læva habens ulnam, quibus designantur officiales civitatis sive communitatis, ut sunt præpositi. In cingulo notantur telonarii et omnes qui recipiunt pecuniam communitatis. Isti debent esse zelatores communis boni, providi et solliciti debent esse in conscientia et deum timere et revereri. Homo etiam habens scapulos hispidos etc. in quo designantur prodigi rerum suarum dilapidatores. In læva habens taxillos tres, quibus ostenduntur lusores, meretricum concubitores. In cingulo habens pixidem litteris plenam; per hanc notantur cursores per mundum etc.

Cap. 179.

De gula et ebrietate.

Refert Cæsarius de detestabili vitio gulæ et ebrietatis, quod gula est solius corporis immoderatus et illecebrosus edendi et bibendi appetitus. Hujus filiæ sunt immunditia, scurrilitas, inepta lætitia, multiloquium, hebetatio sensuum circa intelligentiam. In gula sunt quinque gradus peccandi; primus est cibos pretiosos et delicatos exquirere, secundus curiose præparare, tertius ante tempus sumere, quartus nimis avide, quintus in nimia quantitate. Gula primus homo victus in paradiso succubuit; hæc Esau primogenita surripuit; gula Sodomitas ad peccatum maximum incitavit; ipsa filios Israel in deserto prostravit. Psalm.: Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, et ascendit ira dei super eos. Iniquitas Sodomæ fuit saturitas panis et abundantia. Homo dei Abdo scilicet missus in Bethel propter comessationem a leone occiditur; dives, qui epulabatur quotidie splendide, in inferno sepelitur; Nabusardam princeps coquorum i. e. gula Jerusalem destruxit. Vides, quanta sint pericula in illa? Accedant scripturarum testimonia! Ait enim Salomon: Væ terræ, cujus principes

mane comedunt! Item: Omnis labor ejus in ore hominis et anima ejus non explebitur. Hujus filia est ebrietas, quia gulæ vitium luxuriam parit; pessima autem pestis est; quid autem hoc vitio fœtidius? quid est eo damnosius, quo virtus atteritur, victoria languescente, sopita gloria in infamiam convertitur animique pariter et corporis vires expugnantur? Quia dicit Basilius: Cum ventri deservimus et gutturi, pecora sumus ac belluis similes esse studemus; quibus ad hujus modi prona esse et terram respicere ac ventri obedire natura concessit. Item Boetius de consolatione lib. IV: Qui virtute deserta homo esse desinit, cum in naturam divinam transire non possit, restat ut in belluam convertatur. Et in evangelio dominus: Videte, ne corda vestra graventur in crapula et ebrietate! O quot et quantæ sapientiæ miræ solidique essent consilii, nisi edacitas et vini calor obstetisset! Quam periculosum est patrem familias rectoremque rei publicæ mero calere, quo ira accenditur, discretio offuscatur, luxuria excitatur, intantum ut libido nefandis se immisceat actibus hominis discretione sopita, unde dicit Ovidius:

Vina parant animos Veneri, si plurima sumas.

O pessimum vitium ebrietas, ex qua deperit virginitas, quæ soror est angelorum, possessio omnium bonorum et æternorum securitas gaudiorum. Noe mero calens nudatus filiis verenda detexit; Loth castissimus nimio vino sopitus in montem fugiens, filias carnali copula ut uxores cognovit. Legimus mero sic ira succensos, cum amicitia juncti essent intantum, ut sobrii unus pro alius periculo se exponeret, se invicem gladiis peremisse. Herodes Antipas sanctum Johannem non decoilasset, si crapulæ et ebrietatis convivium defuisset. Balthasar Babiloniæ rex vita et regno non fuisset privatus, si ea nocte, in qua Cyrus et Darius reges eum cum populo crapula sopitum occiderunt, sobrius fuisset. Propter hæc apostolus nos admonet de sobrietate, dum dicit: Sobrii estote et vigilate! Rogemus ergo dominum, ut sobrietatem ita servemus in terris, ut ad cœleste convivium invitemur in cœlis.

Cap. 180.

De fidelitate.

Refert Paulus Longobardus historiographus quendam Onulphum nomine papiensem militem domino suo regi Portatico tanta fidelitatis signa monstrasse, ut se morti pro salute domini sui exponeret. Nam cum Grimoaldus dux beneventanus per Genebaldum ducem ravennensem

primum proditorem coronæ regiæ interfecto Godoberto Longobardorum rege ad regis tabernacula per violentiam atque per fraudulentiam ascendisset, fugato dicti Godoberti regis germano usque ad Ungaros Onulphus miles prædictus Portaticum reconciliare regi Grimoaldo curavit, ut de Ungaria, ubi nec ob timorem Grimoaldi venire poterat, saltem ad regis pedes veniam peteret, sicque securam vitam sine dignitate, quæ sibi debebatur, posset decenter ducere; reconciliatione igitur completa Grimoaldus rex post aliquot dies linguis maledicis nimium credulus ipsum Portaticum, quem sibi reconciliaverat, in crastinum occidere disposuit eique vina, quæ inebriare possent, ne suæ saluti aliqualiter provideret, ministrari mandavit. Quæ res Onulphum militem Portatici minime latuit, ideoque accepto armigero suo Onulphus domum intravit Portatici ac ibidem armigero relicto in cubiculo ipsum Portaticum cooperto lectisternio tanquam proprium armigerum eduxit de domo cum minis, jurgiis et verberibus, eum deducens ad domum propriam regis, excubiis seu custodibus ante fores domus Portatici collocatis et opinantibus dictum armigerum Onulphi eductum, non dominum. Eadem autem nocte circa gallicantum Onulphus dominum suum Portaticum de muro civitatis, cui domus sua adhærebat, func submisso emisit, qui acceptis equit pascualibus fugiens ad civitatem Astensem pervenit et de loco illo ad regem Franciæ properavit. Cumque mane facto Onulphus et ejus armiger fuissent a rege detenti examinatique fuissent de modo et forma, qualiter Portaticum dominum suum liberassent, at illi respondissent simplicem veritatem, dixit rex consiliariis suis: Qua pœna sunt illi digni, qui sic fecerunt contra nostram regiam voluntatem? Cumque unus capitali supplicio puniri, alius vivos excoriandos diceret, alius occulto crucis patibulo pendere affirmaret, rex respondit: Per illum, qui me nasci fecit, isti nulla morte sunt digni; sed omni honore, qui sic fideles suo domino exstiterunt. Rex igitur Grimoaldus eos multis honoribus et muneribus præmiavit, Geribaldus vero proditor et Canimentium dux per manum armigeri sui Godoberti quondam regis, quem sua proditione vita et regno privaverat, in solemni festo beati Johannis baptistæ apud Thaurinum miserabiliter sed juste interfectus est.

Moralisatio. Carissimi, miles iste fidelis Onulphus bonus christianus dicitur, qui domino suo regi Portatico i. e. animæ in omnibus fidelis est, laborando, vigilando, dormiendo et omnes actus suos in servitium domini sui dirigendo, ita quod illud, quod anima per instinctum cujuslibet boni operis ad salvationem expostulat, corpus toto conamine juxta decem præceptorum formam aliaque mandata

ecclesiastica sine tædio impleat et perficiat, ut cum mens interior ad vigilandum et in orationibus persistendum devote domino pro peccatis reconciliando supplicare satagit, corpus exterius ut tædio non vincatur, hoc opere perficere ad meritum clamat. Miles iste tanta fidelitatis signa domino suo ostendit, ut se periculis pro eo exponat, quia ut apostolus dicit sancti martyres et alii Christo devoti quidam pro salvatione domini sui i. e. animæ tentati sunt, quidam secti sunt, quidam in occisione gladii mortui sunt, insuper sunt plurima tormentorum genera, de quibus in sacris scripturarum locis legimus, ad reconciliandum dominum istum, qui transgressum per peccatum mortale fecerat Grimoaldum ducem i. e. Jesum Christum accedunt, ut de Ungaria, ubi nec ob timorem Grimoaldi vivere poterat, liberaretur. Ungaria mundus iste dicitur, qui est miseriis et tribulationibus plenus, in quo anima periculose vagatur et de timore mortis extremæ concutitur. Propterea miles i. e. corpus dominum suum i. e. animam ad hunc ducem Grimoaldum perducere de Ungaria istius mundi semper satagit et intendit, ut saltem ad pedes regis per humilitatem veniam obtineat, qui superbe sæpius contra eum se erigens justitiam potius quam misericordiam meruerat, sed reconciliatione completa homo sæpius in peccatum recidivat, intantum ut Grimoaldus rex, qui pater noster et rex cœlestis est, Portaticum, qui est anima nostra, in crastinum damnare disposuit per justitiam et æquitatem, sed misericordia prævenïente, quam res hæc minime latuit, corpus i. e. fidelem militem ad pœnitentiam sub lecto obedientiæ et satisfactionis occultavit, donec Grimoaldus rex et pater cœlestis Portatico per murum tribulationis deducto peccatum misericorditer dissimulavit, qui acceptis equis pascualibus i. e. aliorum sanctorum et electorum meritis ad civitatem Astensem pervenit. Civitas ista est, de qua Johannes in apocalypsi dicit: Vidi civitatem sanctam, Jerusalem descendentem de cœlo etc. Et de loco illo ad regem Franciæ properavit. Francia est illa sanctorum et angelorum supercœlestium curia; ubi rex in diademate sempiternæ gloriæ coronatus cum lætitia residet cum omnis gaudii plenitudine; sed cum mane facto corpus et anima a peccato, quod commiserant jam absoluti ad judicium venerint et per diabolum accusantur et examinantur de modo et forma, qualiter dominus i. e. anima liberata est a pœnis mortis æternæ et vinculis ejus. tunc Grimoaldus rex judex vivorum et mortuorum a consiliariis suis i. e. justitia vel æquitate, misericordia vel benignitate, investigabit, qua pœna tales digni sunt. Tunc justitia, quia capitali sententia plecti debeant i. e. æternaliter damnari per peccatum commissum, affirmat. Ex alia parte diaboli accusantes astabunt, qui eos

excoriandos per justitiam judicis proclamabunt; sed benignus dux, quia peccatum per confessionem et pœnitentiæ satisfactionem deletum est, sententiabit eos ad vitam ingredi cum electis propter nimiam fidelitatem, quam unus alteri ostendit, et a morte liberabit et dicet: Isti digni sunt omni honore, qui sic fideles domino suo exstiterunt! Et coronabit eos corona gloriæ et lætitiæ sempiternæ, ad quam nos perducat, qui sine etc.

Cap. 181.

De adulterio.

Legitur, quod quidam rex habuit leonem, leænam et leopardum, quos multum dilexit. Leo vero cum absens esset, leæna cum leopardo adulterium commisit. Ut vero leo fœtorem adulterii in ea non sentiret, solebat semper balneare in fonte juxta castrum regis. Rex vero cum hoc sæpius vidisset, quadam vice, cum leæna adulterata fuisset, fontem jussit claudi. Leo vero veniens, et fœtorem adulterii sentiens coram omnibus eam tanquam judex per sententiam latam occidit.

Mystice. Iste rex est pater cœlestis; leo est dominus noster Jesus Christus, scilicet leo de tribu Juda; sed leæna est anima hominis, quæ sæpe adulteratur cum leopardo i. e. diabolo. Quæ cum sic adulterata est, currit ad confessionem et salvatur; sed si descendit sine confessione et contritione, vindictam leonis evadere non potest, sed eam per justam sententiam damnabit, quæ omnibus reprobis dicetur: Ite, maledicti, in ignem æternum etc. A quo nos defendat, qui sine fine vivit et regnat deus per cuncta sæcula benedictus. Amen.

EX GESTIS ROMANORUM CUM PLURIBUS APPLICATIS HISTORIIS DE VIRTUTIBUS ET VITIIS MYSTICE AD INTELLECTUM TRANSSUMTIS RECOLLECTORII FINIS EST FELICITER

LAUS DEO.

XVI

XXXVI

LXVII

C III

3 2044 024 455 891

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

WIDENER
AUG 25 1997
BOOK DUE
CANCELLED

WIDENER
BOOK DUE
JAN 15 1982
CANCELLED
MAY 27 1982
7516850

WIDENER
FEB 10 2000
NOV 22 1999
BOOK DUE
CANCELLED

WIDENER
MAY 30 1995
BOOK DUE